SC.10.Pl.6.

37
15 B
20

ANTONII DADINI ALTESERRÆ

U. J. PROFESSORIS ET DECANI VNIVERSITATIS TOLOSANÆ.

NOTÆ ET OBSERVATIONES in X. Libros Hiſtoriæ Francorum B. Gregorij Turonenſis Epiſcopi, & Supplementum Fredegarij.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

TOLOSÆ,
Typis JOANNIS PEKIJ Typographi ordinum Fuxenſium.

M. DC. LXXIX.

ILLUSTRISSIMO VIRO

DOMINO DOMINO JOANNI BAPTISTÆ COLBERTO, MARCHIONI DE SEIGNELAY, COMITI CONSISTORIANO PRÆFECTO GENERALI SACRI ÆRARIJ.

VIR ILLVSTRISSIME,

Monuiſti vt ſi quæ eſſent in penù ſtudiorum, quæ pro-deſſent adornandæ Hiſtoriæ Galliarum, cujus cura Tibi de-

mandata eſſet à Chriſtianiſſimo Rege, ea præberem. Lubens gaudenſque parvi, & ſtatim Literis Te certiorem feci, me præter tertium volumen Rerum Aquitanicarum, in manu habere tres varios Libellos Obſervationum, vnum in decem Libros Hiſtoriæ Francorum B. Gregorij Turonenſis Epiſcopi, & ſupplementum Fredegarij, alterum in Anaſtaſium de vitis Romanorum Pontificum, Tertium in Epiſtolas Clementis IV. nondùm editas, quæ omnia maximè conducerent ad emendandam & illuſtrandam Hiſtoriam Francorum. Laudandum Conſilium Chriſtianiſſimi Regis, qui inter bellicos tumultus, & conſpirationes gentium adverſus ipſum, eâ quâ præſtat fortitudine, & amplitudine animi, etiam pacis conſilia, literarum ornatum, & gentilitiæ Hiſtoriæ ſtudia animo concipit. Laudandus Princeps qui Te hujus operæ Promotorem elegit, ſatis expertus Tuam rerum omnium, publicarum, & privatarum peritiam, diligentiam & affectum, quo æſtuas in omnibus, quæ pertinent ad dignitatem & gloriam Regni. Nè deéſſem Regio Conſilio, ſtatim operam dedi, vt Typis cuderentur Obſervationes meæ in Gregorium Turonenſem, Has Tuis auſpicijs in publicum prodire volui, ſperans non ingratum Tibi fore votum, quod commendatur meritis, & ſanctitate Auctoris, ad quem hæ Obſervationes pertinent, notitiâ originis Gentis Francorum, adminiſtrationis Regni, rerum geſtarum Clodovei & Liberorum qui Regnum & Eccleſiam pari ſtudio curarunt, veterum Francorum vitæ & morum. Hæc omnia ſatis diligenti Obſervatione perſecutus ſum, & multa ab alijs omiſſa, aut neglecta reſtitui. Demùm operam dedi, VIR ILLUSTRISSIME, *vt conſuleretur memoriæ Maximi Antiſtitis, vt exploderetur error & calumnia malignorum, quibus pe-*

ritiſſimus rerum noſtrarum Scriptor, & ex parte teſtis habetur pro inepto fabellarum & ſomniorum auctore. Non inanis erit mea opera, ſi à me vindicetur fama Epiſcopi Cathedræ & meritorum D. Martini ſucceſſoris. Dulce mihi erit ſtudiorum præmium, ſi opus magis rerum quæ continentur pretio, quàm mole ſpectandum, Tibi non diſpliceat, Teque ab infenſorum livore vindicem experiatur. Suſcipe, VIR ILLUSTRISSIME, *oblatum munus, & auctorem inter devotos & obſervantes Veſtræ poteſtatis cultores dignare admittere.*

Toloſæ 4. Octobris, 1678.

ANT. DADINUS ALTESERRA
U. J. Profeſſor & Decanus
Univerſitatis Toloſanæ.

ANT. DADINI ALTESERRÆ

ANTECESSORIS TOLOSANI.

NOTÆ ET OBSERVATIONES IN B. Gregorii Turonenſis Epiſcopi libros X. Hiſt. Francorum & Libr. XI. Fredegarii.

In Præm.

ACCEDENTE *atque immo potius pereunte ab Vrbibus Gallicanis liberalium cultura litterarum*, inclinante Imperio Romano, Barbaris irruentibus in Gallias literarum ſtudia ita defecére in Gallia, ut deſideraretur qui ſcriberet res geſtas Regum & Eccleſiæ, & hoc eſt quod ait auctor noſter paulo infra. *Nec reperiri poſſet quiſquam peritus dialecticâ; in arte Grammaticus, qui hæc aut ſtilo proſaico aut metrico depingeret verſu, &c.* Ante literarum ſtudia maximè eloquentiæ laude claruére in Gallia Hyeronym. ad Ruſticum. *Ac poſt ſtudia Galliarum quæ vel florentiſſima ſunt* & paulo poſt *ubertas Gallici nitorque ſermonis*, idem ad Paulin. *S. Hi-*

larius Gallicano cothurno attollitur. Idem libr. 2. in epiſt. ad Galat. *Cum & Hilarius latinæ eloquentiæ Rhodanus.* Idem adverſ. Vigilantium. *Sola Gallia monſtra non habuit, ſed viris ſemper fortiſſimis, & eloquentiſſimis abundavit.* Idem ad Marcellam. *Eſt quidem ſermo compoſitus & Gallicano cothurno fluens.* Symmach. lib. 8. epiſt. 68. *Niſi fortè Gallia tua dedux Heliconis.* Idemque lib. 9. epiſt. 83. *Gallicanæ facundiæ hauſtus requiro*, & paulo poſt. *Quicquid in me eſt, quod ſcio quam ſit exiguum, cœlo tuo debeo.* Julium Florum Rhetorem Gallum eloquentiæ laude commendat Quintil. inſtit. lib. 10. cap. 3. *Is fuit Iulius Florus in eloquentiâ Galliarum, quoniam ibi demum exercuit eam Princeps, alioqui inter paucos diſertus, & dignus illa propinquitate.* Eadem laude commendatur Palladius apud Rutilium Numatianum Itinerarii libr. 1.

Facundus juvenis Gallorum nuper ab arvis,
Miſſus Romani diſcere jura fori.

Quò laus ſtudiorum æterna eſſet, eo nomine celebres ſcholæ in Galliâ inſtitutæ ſunt ut Clivienſes Eumenius pro ſchol. inſtaurand. *Merentur & Galli noſtri ut eorum liberis, quorum vita in Auguſto Clivienſium oppido eruditur*, &c. Arvernæ quarum cum laude meminit Sidon. lib. 4. epiſt. 21. ad Aſprum ex materno ſtemmare Arvernum. *Hic te imbuendum liberalibus diſciplinis, Grammatici Rhetoreſque florentia ſtudia monitu certante foverunt, unde tu non tam mediocriter inſtitutus exiſti, ut tibi liceat Arvernos vel propter litteras non amare.* Inter ſcholas Galliæ tum primas tenuére Auguſtodunenſes Tacit. 3. Annal. *Auguſtodunum caput gentis armatis cohortibus Sacrovir occupaverat, & nobiliſſimam Galliarum ſobolem liberalibus ſtudijs ibi operatam ut eo pignore parentes propinquoſque eorum adjungeret.* Maſſilienſes etiam à Tranſalpinis frequentatæ idem 4. annal. *Hunc admodum adoleſcentem ſororis nepotem ſepoſuit Auguſtus in civitatem. Maſſilienſem, ubi ſpecie ſtudiorum nomen exilij tegeretur.* idem in Agricola. *Statim parvulus ſedem ac magiſtram ſtudiorum Maſſiliam habuerat.* Etiam veteres Galli, nè per Romanos victi profeciſſe videantur, eodem ſtudio rem militarem & ſermonis elegantiam coluére Teſtis M. Cato apud Chariſium lib. 2. *M. Cato Originum 2. plera-*

que Gallia duas res induſtrioſiſſime perſequitur, rem militarem & argutè loqui.

Etſi inculto affatu. Gregorius dolens de infelicitate ſeculi quod careret ſcriptore idoneo, ad poſteris tradendas res geſtas eorum temporum, hoc opus aggreſſus eſt inculto & ſimplici ſermone, opus dignum Epiſcopo propter fidem & ſcientiam rerum quæ deſideratur in hiſtorico. Apud Romanos veteres Pontificum munus fuit annales ſcribere M. Tull. 2. de Orator. *Erat hiſtoria nihil aliud niſi annalium confectio, cujus rei memoriæque publicæ retinendæ cauſa, ab initio rerum Romanarum uſque ad P. Mucium Pontificem Maximum, res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus, efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi, qui nunc etiam annales maximè nominantur.* Quintil. inſt. lib. 10. cap. 2. *Nihil in poëtis ſupra Livium Andronicum, nihil in hiſtorijs ſupra Pontificum annales habemus.* Vopiſcus in Tacito. *Quod poſt exceſſum Romuli novello adhuc Romanæ urbis Imperio factum, Pontifices penes quos ſcribendæ hiſtoriæ poteſtas, in literas retulerunt.* Alienum tamen ab Epiſcopo officium, ſcriptionem hiſtoriæ propter invidiam, & periculum rei duxit Sidonius Epiſcopus Arvernorum, & hortante Leone Eurici Regis Gothorum Cancellario ut hiſtoriæ ſcribendæ daret operam, non audivit. Teſtem ipſum habemus libr. 4. epiſt. 22. *Eſt enim hujuſcemodi thema, vel opus, in quo bonorum ſi facias mentionem, modica gratia paratur, ſi notabilium, maxima offenſa.* Gregorius uſus eſt ſermone inculto & ſimplici, tum vitio ſeculi, quia eâ ætate uſus latinæ linguæ cultioris exoluerat Auguſtin. de vit. beat Diſput. 2. *Ne concludas beatum eſſe Academicum qui heſterno ſermone vulgari quidem & malè latino, ſed aptiſſimo ſanè ut mihi videtur verbo Caducarius nominatus eſt.* Sidonius ipſe libr. 2. epiſt. 10. luget interitum linguæ latinæ. *Sic omnes nobiſcum ſermonum purpuræ per incuriam vulgi decolorabantur.* Ob id Homiliæ Patrum tranſlatæ in ruſticam Romanam linguam, ut intelligerentur. Conc. Turon. 3. cap 17. *Et ut eaſdem homilias quiſque apertè transferre audeat in ruſticam Romanam linguam.* Cum etiam religione & humilitate profeſſionis, Epiſcopi abſtinebant culto & ele-

ganti ſermone, nè ſeculares viderentur. Idem Sidonius lib. 4. epiſt. 10. *Reliquas denuo litteras uſuali, licèt accuratus mihi melior non ſit, ſermone contexo.* Orando ad plebem, pedeſtri id eſt vulgari ſermone uſus eſt Auguſtin. teſtatur ipſe de Tempor. ſerm. 78. *Et ideo rogo humiliter ut contentæ ſint conditæ aures, verba ruſtica æquanimiter ſuſtinere, dummodo totus grex Domini ſimplici & ut ita dixerim pedeſtri ſermone pabulum ſpiritale poſſit accipere.* Et Gregorius ipſe de Mirac. B. Martin. libr. 2. cap. 19. *Sed nobis in Eccleſiaſtico dogmate verſantibus videtur, ut hiſtoria, quæ ad ædificationem Eccleſiæ pertinet, propoſita verboſitate brevi atque ſimplici ſermone texatur, ut & virtutem beati Antiſtiti prodat, & ſapientibus faſtidium non imponat.* De re veterinariâ quatuor libros ſcripſit Veget. pedeſtri ideſt ſimplici ſermone, ut ruſticorum captui ſeſe adcommodaret teſtatur ipſe in prolog. libr. 3. *Cedens itaque familiarium honeſtiſſimæ voluntati, ex diverſis autheribus enucleata collegi, pedeſtrique ſermone in unum contuli.*

IN LIBRI I.

S*CRIPTVRVS bella Regum cum gentibus adverſis, martyrum cum paganis.* Gregorius ſcripturus hiſtoriam quæ maximè pertineret ad res Eccleſiæ, præfatur ſe ſcripturum bella Martyrum cum paganis, id eſt paſſiones martyrum quas non improprie vocat bella martyrum, quia per eas pagani debellati ſunt, & Chriſtus triumphavit de Paganis, Auguſtin. in Pſalm. 40. *Ad multiplicandam Eccleſiam valuit ſanctus ſanguis effuſus ſeminatione, acceſſit & mors Martyrum.* Hieronym. ad Hedibiam: *Triumphus Dei eſt paſſio Martyrum & pro Chriſti nomine paſſionis effuſio, & inter tormenta lætitia.*

Propter eos qui appropinquante mundi fine deſperant. Gregorius hiſtoriam repetit ab exordio mundi propter eos, qui vulgari opinione præventi, credentes finem mundi imminere, nec ſupereſſe congruum tempus pœnitendi deſperabant de ſalute, conſcientiâ ſcelerum, metu imminentis judicij. De ſe deſperare

dicuntur peccatores, qui in extremis poſiti deſperant de ſalute, conſcientiâ ſcelerum, metu imminentis judicij & à deſperatione rerum dicuntur deſperati, uti damnati ad ludum gladiatorium. Auguſtin. in pſalm. 70. *Vnuſquiſque peccator & iniquus, jam de ſe deſperans, jam habens quaſi gladiatorium animum, ut ideo faciat quicquid vult, quia neceſſario damnandus eſt, reſpiciat tamen ad Apoſtolum Paulum.* Idem in Pſalm. 129. *Quomodo ſolent deſperati latrones dicere, ſic me occiſurus eſt judex, pro decem homicidijs, quomodo pro quinque, quomodo pro uno, quare jam non faciam quicquid mihi occurrerit facio.* Idem in Joannem cap. 33. *Iam damnandi ſumus, quare non quod volumus facimus, animo gladiatorum ferro deſtinatorum, ideo moleſti ſunt deſperati, jam enim quod timeant non habent, & vehementer timendi ſunt.* Eadem analogiâ deſperantes dicti ſervi vincti in ergaſtulo, quaſi deſperantes de libertate Plin. lib. 18. cap. 6. *Coli rura ergaſtulis peſſimum eſt, & quicquid agitur à deſperantibus.* Ea ætate vulgaris opinio inſederat animis hominum, mundi exitum imminere, propter tot calamitates & clades quibus univerſus orbis terrarum peſſumdabatur & Gregorium ipſum Pontificem hujus opinionis non fuiſſe expertem, confitentem auctorem habemus lib. 6. epiſt. 26. lib. 9. epiſt. 60. & Homil. 1. in Evangel. Igitur Gregorius noſter, ut deſperantibus conſulat, quia quorumdam opinio erat Chriſtum veniſſe medio ſeculo, & poſt eum mundum duraturum tanto tempore, quantum elapſum erat, ante ejus adventum, annales ducit ab initio mundi ut liqueat apertius de ſumma annorum qui lapſi ſunt ab initio rerum conditarum, & hoc pacto ſubblevetur deſperatio & metus credentium mundi finem inſtare..

Credo ergo in Deum Patrem omnipotentem. Gregorius priuſquam opus ſuſceptum aggrediatur, fidei profeſſionem edidit nè de ejus fide dubitaretur ut ante dixit. *Prius fidem meam proferre cupio, ut qui legent, me non dubitent eſſe catholicum.* Hoc pacto recens baptizati ſolemnem fidei profeſſionem certis & conceptis verbis faciebant, in conſpectu totius Eccleſiæ, Auguſtin. lib. 8. Confeſſ. cap. 2. de Victorino Rhetore. *Denique ut ventum eſt ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis con-*

ceptis, retentiſque memoriter de loco eminentiori in conſpectu populi fidelis Romæ reddi ſolet, ab eis qui acceſſuri ſunt ad gratiam tuam.

Et omnia quæ à trecentis decem & octo Epiſcopis Niceæ conſtituta ſunt, credo fideliter. Nicenam fidem profeſſi ſunt Imperatores & Patres & omnes fideles Ambroſ. epiſt. 32. ad Valentinian. Juniorem. *Hoc ſcriptum eſt in Ariminenſi ſynodo, meritoque Concilium illud exhorreo, ſequens tractatum Concilij Niceni, à quo me nec mors, nec gladius poterit ſeparare., quam fidem etiam parens clementiæ tuæ Theodoſius beatiſſimus Imperator, & ſequitur & probavit, hanc fidem Galliæ tenent, hanc Hiſpaniæ, & cum piâ divini ſpiritus confeſſione cuſtodiunt.* Idem de fide lib. 1. *De Concilijs id potiſſimum ſequar, quod trecenti decem & octo Sacerdotes, tanquam Abrahæ electi judicio conſona fidei virtute victores, velut trophæum toto orbe ſubactis perfidis extulerunt, ut mihi videatur hoc eſſe divinum, quod eodem numero in Concilijs fidei habemus oraculum, quo in hiſtoriâ pietatis exemplum.*

Chronicæ Euſebij Cæſarienſis Epiſcopi ac Hieronymi Preſbyteri. Chronicon Hieronymi, non eſt aliud à chronico Euſebij, eſt enim tantum verſio Latina è Græco Euſebij, ſic ſæpius diverſa opera Origenis tribuuntur Hieronymo qui ea Latine vertit. ut in can. ſi quis vult. 36. diſt.

Hoc etiam & Victorius cum ordinem Paſchalis ſolemnitatis inquireret fecit. Victorinus Aquitanus qui Gregorio dicitur Victorius juſſu Hilarij Papæ Cyclum Paſchalem compoſuit teſte Gennadio de ſcript. Eccleſia.

A primi hominis conditione. Conditio hominis ſumitur hic pro creatione, ut & apud Hieronym. in Marcum. *Neque enim montes & terra, nativitatem, parturitionemque recipiunt, ſed conditionem.* Eadem analogiâ conditionem teſtamenti pro factione uſurpavit auctor noſter infr. libr. 8. cap. 22. *Omneſque conditiones tam teſtamenti, quam bene meritorum ſuorum ipſi committit.* Alias conditio eſt ſtatus ſervorum qui certis conditionibus purà agri colendi manumiſſi ſunt can. nulli 54. diſt. can. quam ſit neceſſarium 18. qu. 1. inde conditionales ſervili conditioni obnoxij. l. defenſionis C. de jur. fiſc. Tertull. libr.

idololatriâ cap. 12. *Opera & conditionalis eram.* Auguſtin contr. Fauſt. libr. 22. *Suſcipit & Lia de ancilla ſua filios, ut etiam per hanc conditionalem, libera illa uxor Iacob laborans filios hæredes regni ſuſcipiat.* Conditionarij Iuo Carnotenſ. epiſt. 147. ubi vetat ne conditionarij admittantur in clerum.

Glebam aſſumens fragillimam. Gleba proprie eſt ceſpes terræ l. certo generi § 1. ff. de ſervit. ruſtic. tranſlaticiè pro toto fundo, pars pro toto, vel pro vectigali fundi & hoc eſt quod dicitur in l. 10. Cod. Th. libr. 6. tit. 2. Glebam poſſeſſionum non perſonarum eſſe. Et ſervi glebæ adſcripti, ſunt ſervi addicti prædio culturæ gratiâ. Et gleba hic ſumitur pro corpore humano quod è terrâ conditum ſit. Hac analogiâ reliquias ſanctorum Glebam ſanctorum corporum vocat paſſim Gregorius ut infra h. libr. cap. ult. *Adprehenſam ſanctiſsimi corporis glebam*, loquitur de Martino Turonenſi Epiſcopo. *alij per feneſtram ejiciunt, alij à foris ſuſcipiunt.* Idem de vit. patr. cap. 8. Apud Surium April. 2. in vit. Nicetij Lugdunenſ. Epiſcopi. *Et neſcit quia quicquid precioſius habui ibidem reliqui, id eſt glebam corporis mei.* Idem eod. libr. cap. 13. apud Surium Jun. 24. in vita Lupicini Recluſi. *Et cum eum ad vicum Tranſaliacenſem inferre vellet, reſtitit ei populus pagi Lipidiacenſis dicens noſtrum hunc ſolum fovit, nobis corporis ejus gleba debetur.* Flodoard. Hiſt. Rhem libr. 2. cap. 8. *Denique ut perlata eſt ad præfatum Altuillarenſe Monaſterium ſacratiſsima gleba quibuſdam dubitantibus an ipſa foret Helena Conſtantini Auguſti genitrix.*

Hic primus ſtatunculam adorandam diaboli inſtigatione conſtituit. Chus auctor idololatriæ ſtatunculam, id eſt parvulam ſtatuam poſuit. Priores cultores idolorum parvulas ſtatuas coluerunt, quales fuiſſe ſtatuas Laban argumento eſt quod Rachel cum migraret domum mariti à patre eas furto ſuſtulit, & abſcondit ſub ſtramentis cameli, & ſedit ſuper illis. Gen. 31. Eadem origine ſtatunculum dicitur in fragment Petron. nuper edito. *Ita ex hac maſſa fabri ſuſtulerunt & fecerunt catilla & paropſides, ſtatuncula.*

Ab hoc etiam ignem adorare conſueti, Perſæ ignem adorant inde legati Regis Perſarum ad Antiochenos apud Gregorium

infr. libr. 4. cap. 32. *In hoc apparebit vos ejus amicitias cuſtodire ſi ignem ut ille veneratur, & vos veneramini*, Perſæ ſolem unum Deum colunt Juſtin. libr. 1. *Nam & ſolem Perſæ unum Deum eſſe credunt, & equos eidem Deo ſacratos ferunt.* Tertull. Apologetic. cap. 16. *Ad Perſas ſi forte deputabimus, licèt ſolem non in linteo depictum adoremus, habentes ipſum utique in ſuo Clypeo.*

Cap. 5. *Primogenitus verò Cham Chus hic fuit totius artis magicæ imbuente diabolo, & primus idololatriæ adiuventor*, Chus primogenitus Cham magiæ & idololatriæ auctor, hunc Perſę Zoroaſtrem ut paulo poſt ſubjungitur *hic ad Perſas tranſiit, hunc Perſæ vocitavere Zoroaſtrem, id eſt viventem ſtellam.* Idem Plin. libr. 30. cap. 1. de Magia. *Ita poſſeſsis hominum ſenſibus, triplici vinculo in tantum faſtigij adolevit, ut hodieque etiam in magna parte gentium prævaleat, & in Oriente Regum Regibus imperet. ſine dubio illic orta in Perſide à Zoroaſtre ut inter authores convenit.* Magia dicitur in Oriente Regum Regibus Imperare, quia hæc erat inſanum & primarium ſtudium Regum Perſarum Apuleïus Apolog. 1. *quippe inter prima regalia docetur, nec ulli temerè inter Perſas conceſſum eſt magum eſſe haud magis quam regnare.*

Cap. 6 *In circuitu ſtadia quadringenta ſeptuaginta.* Babiloniæ ambitum deſcribit Gregorius ex Oroſio ſtadiorum CCCCLXX. Oroſius tamen libr. 2. cap. 6. Babiloniæ ambitum ponit CCCCLXXX. ſtadiorum. Minorem Quintus Curt. libr. 5. nempe CCCLVIII. ſtadiorum, Urbem magnitudine ita notabilem fuiſſe tradit Ariſt. politic. libr. 3. cap. 2. ut Provinciæ potius, quam urbis nomine cenſeretur, & eâ jam tertium diem captâ, partem quamdam non ſenſiſſe proditum ſit. Unum ſtadium habet aripennes quinque. Plin. libr. 1. cap. 23 *Stadium centum viginti quinque noſtros efficit paſſus, hoc eſt pedes ſexcentos viginti quinque.*

Cap. 7 *Severus narrat in chronica*, hic eſt Sulpitius Severus Aquitanus, cui patria Aginnum Nitiobrigum, teſtatur ipſe dialogo 1. cap. 20. ubi ſe Aquitanum indicat, & hiſt. ſacræ libr. 1. ubi Phoebadium Epiſcopum Aginnenſem ſuum vocat Epiſcopum, Severum ſimpliciter vocant Hieronym. in Ezechiel lib.

lib.11.cap.36 *& nuper Severus noſter in dialogo, cui Gallo nomen impoſuit* & Auguſtin. epiſt. 205. *precibus compulſus noſtri Severi, quondam venerabilis Martini Turonenſis Epiſcopi diſcipuli.* Severum Sulpitium vocat Turonenſis de Mirac. S. Martini libr. 1. cap. 1. *de quibus primus ille Severus Sulpitius, cui tantus fervor amoris fuit in ſanctum Dei, ut eo adhuc degente in ſæculo, unum librum de mirabilibus vitæ ejus ſcriberet.* Hic inter alia ſcripſit hiſtoriam ſacram duobus libris quos duxit ab initio mundi uſque ad conſulatum Stiliconis & Aureliani, & hos laudat auctor noſter hic nomine chronicæ.

Poſt multas fatigationes. Ideſt poſt multas ærumnas & moleſtias, Severus Sulpit. Dialog. 1. cap. 2. *Tum ille ſicut eſt verecundiſsimus aliquantulum erubeſcens, dum fatigationem meam accepit, facis inquit Sulpici tuo more, qui nullam occaſionem ſi qua tibi porrecta fuerit omittis, qui nos edacitatis fatiges.* Valerian. Homil. 6. *Otioſa verba ſunt figurata convitia ſtulta fatigatione compoſita.* Gregorius ipſe de Mirac. B. Martin libr. 3. c. 1. *Et priuſquam limina ſancta egrederer, nullam fatigationem ſenſi.* Fatigatio Gallis peine facherie, inde fatigare Greg. de glor. confeſſ. cap. 61. *Sed à quibuſdam civitatis majoribus opprimebatur, atque fatigabatur.* cap. 19.

Cujus nunc littora, multi locorum perluſtratores referta ſacris Monaſterijs dicunt eſſe. Multa in Ægypto erant Monaſteria in eremo adjacente Nilo Sulpit. Sever. dialog. 1. cap. 5. *Haud longè ab eremo contiguâ Nilo ſunt Monaſteria.* Idem cap. 17. ejuſd. Dialog. *Ego autem à Sinâ monte digreſſus, ad Nilum flumen regreſſus ſum, cujus ripas frequentibus Monaſterijs conſertas, utraque ex parte luſtravi.*

Super ripam verò ejus non Babylonia de qua ſupra memoravimus, ſed Babylonia civitas collocatur, Babylonia Ægypti urbs ampliſſima, fortè ſic dicta, quod magnitudine eſſet altera Babylon Syriæ, ſic Arelas Galliæ Narbonenſis altera Roma dicta Auſon. in claris urbibus. *Gallula Roma Arelas* Babylonia Ægyptia ea eſt quam veteres Memphim recentiores Cairũ vocitant. Ottho Friſingenſ. 7. chronic. 3. *Porro ea quæ nunc vulgo Babylonia vocatur, non ſupra Euphratem ut illi putant, ſed ſuper Nilum circiter ſex diætas ab Alexandria*

poſit 1 eſt, ipſaque eſt Memphis à Cambyſe filio Cyri olim Babylonia vocata.

In qua Ioſeph horrea miro opere de lapidibus quadris & cemento ædificavit, ita ut ad fundum capaciora ad ſummum vero conſtricta ſint, ut per parvulum foramen ibidem triticum jaceretur, Joſeph imminentis famis levandæ cauſa, apud Babylonem, quæ erat primaria urbs Ægypti horrea condidit lapide quadro, quorum ſtructura ab imò capacior erat, ad ſummum anguſtior, ita ut deſuper triticum demitteretur, hæc erat forma horreorum quibus utebantur Ægyptij & alij tranſmarini, quæ Siros vocitabant, Columella de re ruſtic. libr. 1. cap. 6. *Poſſunt etiam defoſſa frumenta ſervari, ſicut tranſmarinis quibuſdam provincijs, ubi puteorum in modum quos apellant Siros, exhauſta humus editos à ſe fructus recipit.* Varro de re Ruſtic. libr. 1. cap. 57. *Quidam granaria habent ſub terris uti ſpeluncas quas vocant σειρὺς ut in Cappadociâ. ac Thraciâ*, Q. Curt. libr. 7. cap. 4. *Tritici nihil aut admodum exiguum repèriebatur, Siros vocabant barbari, quos ita ſolertes abſcondunt, ut niſi qui defodérunt, invenire non poſsint, in ijs conditæ fruges erant.* Horrea Ægyptia quadrato lapide & cæmento ſtructa fuiſſe obſervatur, ædificia publica à veteribus ſtruebantur lapide quadrato Senec. epiſt. 80. *Quadratis lapidibus Capitolium & Palatinæ ædes conſtructæ erant.* Auctor vitæ S. Audoëni apud Sur. 24. Auguſt. *Illa verò Baſilica in qua ſancta ejus membra quieſcunt, miro opere quadris lapidibus Gothica manu à primo Clothario Francorum Rege olim nobiliter conſtructa fuit.* Lapidibus quadratis adjunguntur cæmenta, ſtructuræ cauſâ, ut ædificium cohæreat, cæmenta ſunt lapides minores, rudes non cæſi qui adhibentur ſtructuræ componendæ causâ Vitruu. libr. 1. cap. 5. *Sed ubi ſunt ſaxa quadrata ſive ſilex, ſive cæmentum.* Inde cæmentarius qui lapides cædit Hieronym ad Paulin. *Agricolæ cæmentarij fabri metallorum lignorumve cæſores.* Aymoin. Floriacenſ. de Miracul. S. Benedict. libr. 1. cap. 26. *Vnus ex fratribus cognomento Gillebertus, qui cæmentarijs fuerat præfectus.* Ivo Carnotenſ. epiſt. 266. *Aſcivit quoſdam Monachos cæmentarios, quorum Monaſterio promiſit ſe daturũ prædictam, ſi muro munirent prætaxatum municipiũ.*

Poſt mortem autem Salomonis diviſum eſt per duritiam Roboæ, regnum in duas partes, reſtiterunt duæ tribus ad Roboam, quod Iuda appellabatur, ad Hieroboam autem, decem tribus quod Iſraël vocabatur. Hæc referuntur 3. Reg. 12. Poſt mortem Salomonis Regnum ſciſſum eſt in duas partes; Duæ tribus è duodecim, hoc eſt Iuda & Benjamin penes Roboam reſedérunt, & ejus Regnum appellatum Judæ, unde nomen Judæis. Aliæ verò decem tribus Hieroboam paruérunt, ejuſque ditio appellata eſt de antiquo populi nomine Iſraël. Inde primæ decem tribus captivæ ab Aſſyriis Babilonem ductæ, inde tribus Juda, & poſt 70. annos tribus Juda ſuo ſolo reddita, decem autem quæ vocabantur Iſraël, ſuâ ætate in montibus urbibuſque Medorum reſidere, teſtatur Hieronym. in Ezechiel. cap. 37. cap. 14.

Apud Ægyptios autem ſexta decima erat poteſtas, quam ſua lingua Dynaſtiam vocabant. Regnum Ægyptiorum diviſum in varias Dynaſtias, id eſt Provincias, quæ dicebantur Dynaſtiæ è Græco Δυναϛεία poteſtas Principum. Sic regnum Parthorum diviſum erat in regna duo & viginti, Sic enim vocabant ſingulas provincias *Plin.* libr. 4. *cap.* 25. *regna Parthorum duodeviginti ſunt omnia, ita enim dividunt provincias*, ſed aliter Gregorius hic Dynaſtias accipit, pro ſucceſſionibus Regum. cap. 16.

Cujus nonodecimo imperij anno, Lugdunum Galliarum urbem conditam manifeſtiſsimè reperimus, quæ poſtea illuſtrata Martyrum ſanguine, nobiliſsima nuncupatur. Lugdunum Colonia condita à Munatio Planco, ad confluentes Araris & Rhodani tempore Auguſti: idem Dio lib. 46. & Euſeb. in chronic. Senec. epiſt. 91. ibi ara Auguſto dicata eo ſuperſtite, & ludi inſtituti ad eandem aram Tranquill. in Claudio cap. 1. & in Caligul. cap. 20. Dio libr. 54. de quibus Juvenal. Satyr. 1. *Aut Lugdunenſem rethor dicturus ad aram.* Hæc urbs centeſimum poſt annum à quo condita erat tota incendio conſumpta, teſte eodem Seneca loco mox laudato, Gregorius ait poſteà illuſtratam ſanguine Martyrum. Sub Severo enim Fotinus, & poſt eum Ireneus Epiſcopi & quàm multi alij apud Lugdunum martyrium paſſi ſunt, cap. 17.

in loco cui nomen Athanaco, unde Martyres Athanacenſes dicti ſunt. Euſeb libr. 5 cap. 4. 7. 8. &c. Et Gregorius præter hunc locum de glor. Martyr. l. 1. cap. 50. Martyrol. Roman. Jun. 28. inde nobiliſſimæ nomen meliori titulo, quam jure Coloniæ, Coloniam agnoſcit & Plin. lib. 4. cap. 18. *Secuſiani libri, in quorum agro Colonia Lugdunum.* Hoc jure Lugdunenſes fuiſſe liberos à vectigalibus intrâ tertium milliare priùsquám beneficio Leonis Imperatoris ut ſcribit Gregorius Tur. de gloria Confeſſ. cap. 63. credere par eſt. Eccleſiam Lugdunenſem laudibus celebrat Bernard. Clarevall. epiſt. 174. *Inter Eccleſias Galliæ conſtat profectò Lugdunenſem hactenùs preminuiſſe, ſicut dignitate ſedis, honeſtis ſtudijs, & laudabilibus inſtitutis, ubi enim æquè viguit diſciplinæ cenſura, morum gravitas, maturitas conſiliorum, auctoritatis pondus, antiquitatis inſigne, præſertim in officijs eccleſiaſticis, haud facilè umquâm re pentinis viſa eſt novitatibus acquieſcere, nec ſe aliquando juvenili paſſa eſt decolorari levitate, eccleſia plena judicij.*

cap. 20. *Geſta Pilati ad Tyberium imperatorem miſſa referunt* quod Gregorius narrat de liberatione Joſeph Arimathienſis è cuſtodia quâ tenebatur, non alio auctore ſcriptum eſt, quam ex Geſtis Pilati ad Tiberium tranſmiſſis; Horum dubia fides videtur Baronio, Pilatum tamen de morte Chriſti retuliſſe ad Cæſarem. Teſtes ſunt Euſeb. in Chronic. & Oros. lib. 7. cap 4. & Cedrenus. Gregorius ipſe infr. cap. 23 h. lib. *Pilatus autem Geſta ad Tiberium Cæſarem mittit, & tam de virtutibus Chriſti, quam de paſsione, vel reſurrectione ejus inſinuat, quæ Geſta apud nos hodiè retinentur ſcripta &c.* Non eſt quod de ea re dubitemus, cum officij Præſidum & Rectorum provinciarum eſſet de rebus novis quæ contingebant ſuis in provincijs, maximè de his quæ pertinent ad novas religiones referre ad principem, & Pilatus eo maximè habuit cauſam de ea re certiorem faciendi principem, ut à ſe invidiam ſceleris amoveret, eamque reijceret in Judæos, qui erant authores mali, conjecturam imprimis juvat quod Plinius junior cum eſſet Proconſul Bythiniæ, commotus multitudine Chriſtianorum quam ibi nactus eſt,

& honeſtâ eorum vivendi ratione, quid in eos decernendum eſſet dubius, hac de re retulit ad Trajanum per epiſt. quæ eſt 101. lib. 10. *Solemne mihi eſt Domine omnia de quibus dubito, ad te referre, quis enim poteſt melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam inſtruere*, & quod geſtis Pilati fidem adſtruit, eſt quod Tiberium nominis, & rerum Geſtarum Chriſti non fuiſſe inſcium certi ſumus, quem de Chriſto in numerum deorum referendo retuliſſe ad Senatum conſtat ex Tertull. apologetic. cap. 5. Imò nihil eſt quod miremur acta de morte Chriſti referri inter geſta Pilati; Geſta enim civilia & criminalia referebantur in publica monumenta uti de geſtis contra Donatiſtas probatur l. notione C. Th. de Hæreticis, & hoc argumento Euſeb. libr. 5. cap. 17. ut probet latrocinia & crimina objecta cuidam nomine Alexandro, refert ſeſe ad acta proconſularia quæ ſervabantur apud Epheſum. Pilatum à Tiberio apud Viennam in exilium truſum, & poſtea in Rhodanum merſum refert Otho (Friſingens. 3. chronic. cap. 13.

Habebat enim ſecum Simonem Magum, virum totius malitiæ, & omnis magiſtræ artis argumento magiſtrum. Argumento pro argutiâ, vel quolibet callido invento Gregor. Papa lib. 5. epiſt. 32. *Sub quolibet ingenio, vel argumento.* Inde argutia eodem ſenſu Gregorius de mirac. B. Martin. libr. 2. cap. 1. *quia apud Dei majeſtatem, magis ſimplicitas pura, quam Philoſophorum valet argutia*, idem lib. de mirac. ejuſd. cap. 60. *ô Purgatorium ut ita dicam cæleſte, quod medicorum vincit argutias.* cap. 24.

Se depoſuit in ſepulchro, Joannes Apoſtolus & Evangeliſta vivus fertur in ſepulchro ſe depoſuiſſe, nec è vivis ſublatus, quaſi reſervetur in finem ſeculi, certaturus cum Antichriſto propter illa verba Domini quę leguntur in Euangelio ipſius Joannis 13. *Sic eum volo manere donec veniam.* Hac de re Auguſtin. in Joann. tract. 124. *Sed tamen ſi quidam Moyſen mortuum negant, quem Scriptura ipſa licet ſepulchrum ejus nuſquam inveniri legimus mortuum tamen eſſe ſine ulla ambiguitate teſtatur, quanto magis Ioan-*

nes ex ipſorum occaſione verborum ubi Dominus ait ſic eum volo manere donec veniam, creditur vivus dormire ſub terra, quem tradunt etiam quod in quibuſdam ſcripturis quamvis Apochryphis reperitur, quando ſibi fieri juſsit ſepulchrum, incolumem fuiſſe præſentem, eoque effoſſo & diligentiſsimè præparato, ibi eum ſe tamquam in lectulo collocaſſe, ſtatimque eum eſſe defunctum, ut autem iſti putant qui hæc verba Domini ſic intelligunt, non defunctum, ſed defuncto ſimilem cubaſſe, & cum mortuus putaretur, ſepultum fuiſſe dormientem, & donec Chriſtus veniat ſic manere, ſuamque vitam ſcaturigine pulveris jndicare, qui pulvis creditur ut ab imo ad ſuperficiem tumuli aſcendat flatu quieſcentis impelli. huic opinioni ſupervacaneum exiſtimo reluctari Gregorius de glor. Martyrum. lib. 1. cap. 30. *Vivus deſcendens in tumulo operiri ſe humo præcepit, cujus nunc ſepulchrum manna in modum farinæ, hodièque eructat, ex qua beatæ reliquiæ per univerſum delatæ mundum ſalutem morbidis præſtant&c.* eadem de re Baron. in Martyrol. Ro. 27. Decembr.

cap.25. *Poſt hunc Aelius Adrianus Imperator creatus eſt, unde & Hieroſolyma Aelia ab Aelio Adriano vocatur, eo quod eam reparaverit.* Hieroſolyma inſtaurata ab Aelio Adriano, unde Aeliæ nomen. Idem Euſeb. in chronic. *Aelia ab Aelio Adriano condita, & in fronte ejus portæ, quâ Bethlehem egredimur, ſus ſculptus in marmore, ſignificans Romanæ poteſtati ſubjacere Iudæos.* Idemque lib. 4. cap. 6. Aelia ab Adriano inſtaurata, & patrio ſolo pulſi Judæi Tertul. Apologetic. cap. 21. *Iudæi diſperſi, palabundi, & cæli & ſoli ſui extorres vagantur per orbem ſine Deo Rege, quibus nec advenarum jure terram patriam ſaltem veſtigio ſalutare conceditur.* Auguſtin. in pſalm. 40. *Occiderunt enim Chriſtum Iudæi, ne perderent locum, eradicati à regno diſperſi ſunt, civitas enim illa eradicatis inde Iudæis Chriſtianos habet, à Iudæo nullo habitatur.* Idem Ottho Friſingens Chronic. lib. 3. cap. 22.

cap.27. *Poſt hunc & quadraginta octo martyres paſsi ſunt, ex quibus primum legimus fuiſſe Vetium Epagatum.* Sub Antonino apud Lugdunum civitatem Galliæ cum Photino primo

Epiſcopo quadraginta & octo martyres paſſi ſunt, quos inter primum fuiſſe Vetium Epagatum ait Gregorius hic quaſi unus eſſet nomine Vetius, cognomine Epagatus. Idem tamen auctor non ſatis compos ſui libr. de glor. martyr. cap. 49. inter quadraginta & octo martyres qui apud Lugdunum paſſi ſunt numerat Vectium Epagatum, quaſi diverſos, & in fin. capit. tradit hos dici martyres Athanacenſes à loco martyrij cui nomen erat Athanaco. cui congruit Martyrol. R. Junij 2.

Hujus tempore ſeptem viri Epiſcopi ordinati ad prædicandum in Gallias miſsi ſunt, ſicut hiſtoria paſsionis ſancti martyris Saturnini denarrat; Ait enim ſub Decio & Grato conſulibus ſicut fideli recordatione retinetur, primum ac ſummum Tholoſana civitas ſanctum Saturninum habere cœperat ſacerdotem, hi ergo miſsi ſunt Turonicis Gratianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Tholoſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius Epiſcopus, Arvernis Stremonius Epiſcopus, Lemovicinis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus. cap. 28. Valdè durum videtur credere Saturninum Martialem Dionyſium & alios priores Epiſcopos non ante Decium qui imperare cœpit anno ccɪ. miſſos in Galliam ad prædicandum Evangelium, Antiquiora enim diptyca eccleſiarum ferunt Martialem unum è lxxɪɪ. diſcipulis Chriſti à Petro miſſum in Gallias, & Galliam quæ erat Italiæ continens, & pulcherrima provincia orbis Rom. tot annis jacuiſſe à Petro & ſucceſſoribus ejus præteritam incredibile eſt, nec ipſe ſibi conſtat Gregorius, cum alio loco id eſt de glor. Martyr. cap. 48. ſcribat Saturninum ab Apoſtolorum diſcipulis ordinatum Epiſcopum Tholoſam miſſum, quod convenienter non poteſt aliter intelligi quam de proximis ſucceſſoribus Apoſtolorum, tamen Gregorij auctoritas nititur fide actorum martyrij Saturnini & fideli recordatione, id eſt memoriâ & traditione veterum quæ in antiquis ſpectanda eſt, & Turonenſi congruit auctoritas Sulpitij Severi qui origines religionis chriſtianæ in Gallia non altius ducit quam à temporibus Aurelij Antonini locus eſt inſignis lib. 2. Hiſt. ſacr. *Sub Aurelio deinde An-*

tonini filio perſecutio quinta agitata , ac tum primum intra Gallias martyria viſa, ſerius trans Alpes Dei religione ſuſceptâ. An verò Dionyſius primus Pariſienſium Epiſcopus fuerit Areopagita necne, ſatis diſputatum eſt à Jacobo Sirmundo & alijs viris eruditioribus , quorum ſententia eſt Dionyſium Pariſienſem , alium eſſe ab Areopagitâ , quæ probabilior eſt , tum propter fidem Martyrolog. Uſuardi in quo Dionyſius Pariſienſis Epiſcopus, & Areopagita locantur ſuo quiſque die eodem menſe , cum propter ætatem Hilduini auctoris hujus opinionis , qui primus hoc ſcripſit in epiſt. ad Ludovicum P. quod ante eum nemo, & ſerius Africam ſuſcepiſſe Evangelium , orientales & cęteras gentes à temporibus Apoſtolorum. Teſtis eſt Auguſtin. libr. con. Petilian epiſt. de unit. eccle.13 *ad Africam enim poſtmodum Evangelium venit, ideò nuſquam literarum Apoſtolicarum ſcriptum eſt Africam credidiſſe, de orientalibus,autem & cæteris gentibus, quæ in ſanctis libris commemorantur, fidem recepiſſe chriſtianam dictum eſt, erunt noviſsimi , qui erant primi quia receſſuri erant à fide.*

Saturninus verò jam ſecurus de martyrio, ſecurus de martyrio dicitur qui de eo certus erat, quia martyres in carcere ſecuri & hilares martyrium expectabant , Martyrol. R. 20. Octobr. de Capraſio martyre Aginnenſi. *Securus ad aream certaminis properavit.* Securus dicitur qui vacat curâ, vel animo quieto & tranquillo futurum caſum expectat Curtius lib. 9. cap. 9. *Et ad commeatus petendos diſcurrunt, ſecuri caſus ejus qui ſupervenit ignaris*, & Gregor. infr. libr. 5. cap 48. *de nullo ſecurus , quia omnibus erat adverſus , cumque comprehenſus ad Capitolium , relictus ab his ſolùs attrahitur.* Saturninus , à Gentilibus captus & ductus ad Capitolium, quod erat templum Jovis Toloſæ à duobus Diaconis quos rogaverat, ne in extremis eum derelinquerent deſtitutus, eis imprecatus eſt, ne umquam Eccleſia de patrio ſolo Pontificem acciperet, quod ad ſua uſque tempora eveniſſe tradit Gregorius hoc loco. Non diſſimiles, imprecationes ſanctorum alias & audivit Deus: pueris irridentibus dicendo aſcende Calve maledixit Elizeus propheta

pheta, & ſtatim Deus immiſit duos urſos pueris 4. Reg. 12. Simili imprecatione uſus Quintianus ex Rutenenſi Arvernenſis Epiſcopus in Hortenſius, Comitem ne quiſquam ex ejus genere ad epiſcopatus apicem proveheretur, qui epiſcopum non exaudiret de quo Gregor. de vit. Pat. cap. 4. & Ablebertus ſeu Emebertus Cameracenſis Epiſcopus latroni qui Godilæ ſororis ſepulchrum violarat, imprecatus eſt, ne liberos relinqueret, & ſi vir claudus vel debilis fieret, ſi mulier vitio quod vocant Guteriam *la Goitre* in poſteros uſque non careret, & exauditum refert Baldricus Noviomenſis Chronic. Cameracens. libr. 1. cap. 16.

Hic verò tauri furentis veſtigiis alligatus, ac de Capitolio præcipitatus, vitam finivit. Saturninus tauri indomiti calcibus, fune ligatus per gradus Capitolij præceps actus martyrio vitam finivit. De ejuſdem martyrio Gregor. etiam de glor. martyr. cap. 48. Fortunat. libr. 2. cap. 8. Martyrolog. R. Nov. 29. & ante Sidon. libr. 9. in calce epiſt. 16.

E quibus primum mihi pſallat hymnus.
Qui Toloſatum tenuit cathedram
De gradu ſummo Capitoliorum
præcipitatum.

Apud Toloſam fuit templum Jovis, unde in ſequentibus Sidonius Saturninum vocat negatorem Jovis ac Minervis, quod templum æmulatione Romæ urbis dictum eſt Capitolium, Carthagine fuit etiam Capitolium Cyprian. de lapſis. *Nunc quando ad Capitolium ſpontè ventum eſt, quando ultrò ad obſequium diri facinoris ceſſum eſt, labant greſſus, poteſt ejuſmodi excuſatio eſſe miſerabilis*, & infra. *Vnus ex his qui ſponte Capitolium negaturus aſcendit, poſtquam Chriſtum negavit obmutuit.* Alijs locis Capitolium pro arce ſumptum occurret. Hieronym. in Eſaiam cap. 14. *Arx autem id eſt Capitolium illius urbis eſt turris, quæ ædificata poſt diluvium.* Auguſtin. de altercat. eccleſ. & ſynagog. *Scio quia urbis tua & ambitioſa fora, & Capitolia celſa vidiſti.*

Clerici ordinati ritum pſallendi ſuſcipiunt. Clerici cap. 29
cum ordinantur officium pſallendi in eccleſia ſuſcipiunt ex con. Cartag. 4. can. 10. can. Pſalmiſta 23. diſt. munus cle-

ricorum eſt pſallere in eccleſia, unde Sidonius libr. 4. epiſt. 8. ridens ut ſignificet Ravennæ cuncta fieri perturbato rerum ordine, *fœnerantur Clerici*, inquit, *Syri pſallunt*.

Senatus veró vel reliqui meliores loci, Fanaticis erant tunc cultibus obligati. Religio Chriſtiana cœpit à plebeculâ, ſerius majores eam ſuſcepére, vix audientes Deum hominem & crucifixum, & hoc eſt quod ait Gregorius hoc loco Senatores vel cæteros optimates Biturigæ urbis adhuc idolorum cultu & ſuperſtitione fuiſſe obligatos. Meliores dicebantur primores, Gregor. infr. libr. 6. cap. 45. *Multi verò meliores natu, qui vi compellebantur abire, teſtamenta condiderunt*, & infra, *convocatis melioribus Francis*. Idem libr 7. cap. 19. *ſecutique ſunt eum, omnes meliores natu regni Chilperici Regis.* Etiam latinis ſcriptoribus ut melior pars diei eſt prior ſeu matutina, Virgil. 9. Æneid. *Melior quoniam pars acta diei*, ubi Servius *id eſt major & prima.* Radevic. de Geſt. Frideric. libr. 2. cap. 30. *Dominus Imperator magna eſt in gloria, quoſdam de melioribus ex Mediolano & Brixia in vinculis retinet*, & idem cap. 34. ejuſd. libr. *quoſdam occiſos ſexdecim captos de ſuis melioribus ibidem perdiderunt.* Eâ ætate jam clauſis fanis, id eſt templis idolorum fanatici dicebantur per contemptum, qui exoleto fanorum cultu tenebantur. Gregor. infr. lib. 2. cap. 10. *Sed hæc generatio fanaticis ſemper cultibus viſa eſt, obſequium præbuiſſe.* Idem eod. libr. cap. 27 *quia erat ille adhuc fanaticis erroribus involutus* vel potius ſacrificuli idolorum, Hieronym. in Eſaiam. cap. 7. *Et pro Levitis habent Phanaticos.* Auguſtin. in pſalm. 40 *ſedent Pagani & computant ſibi annos, audiunt Phanaticos ſuos dicentes, aliquando Chriſtiani non erunt.*

Leocadium quemdam primum Galliarum Senatorem, qui de ſtirpe Vetij Epagati fuit repererunt, Leocadia mater Galli Arvernenſis Epiſcopi, fuit quoque de ſtirpe Vectij Epagati unius è martyribus Lugdunenſibus. Gregor. de vit. Patr. cap. 6. Ubi provinciales omnes civitate donati, multi ex his in Senatum allecti maximè è Gallia, unde per jocum multos Senatores eſſe in provincijs, qui Romam non attigerant ait, Auguſtin. de Civit. Dei libr. 4. cap. 17. *Quid non*

multi Senatores ſunt in alijs terris qui Romam ne de facie quidem norant. Hoc genus Senatorum frequentiùs fuit in Gallia, Senatores dicebantur qui erant generis ſenatorij, Gregor. infr. libr. 2. cap. 21. *Quo migrante Sidonius ex præfecto ſubſtituitur, vir ſecundum ſeculi dignitatem nobiliſsimus, & de primis Galliarum Senatoribus, ut filiam ſibi Aviti imperatoris in matrimonio ſociaret.* Idem infr. libr. 5. cap. 46. *Agræcula autem Cabillonenſis Epiſcopus, hoc obijt tempore, fuitque homō valdè elegans, ac prudens genere Senatorio*, idem libr. 6. cap. 39. de Sulpitio Bituricenſi Epiſcopo. *Eſt enim vir valdè nobilis & de primis Senatoribus Galliarum.* Idem de glor. Martyrum cap. 87. *ſed cum eſſet ex genere Senatorio, & nullus in vico illo Ricomagenſi juxtà ſeculi dignitatem haberetur nobilior* Idem de glor. Confeſſ. cap. 5. *Audientes autem Senatores urbis*, Arvennæ *qui tunc in loco illo nobilitatis Romanæ ſtemmate refulgebunt.* Leocadius iſte fuit unus ex hoc genere Senatorum qui domum quam apud Biturigas habebat Chriſtianis conceſſit, ex qua dicata eſt prima eccleſia hujuſce urbis in honorem ſancti Proto-martyris Stephani.

Acceptis de his tribus aureis pro benedictione. Leocadius oblatis ſibi à Chriſtianis trecētis aureis pro pretio domus ſuæ, acceptis tribus aureis eulogiæ ſeu benedictionis nomine, reliquum lubens remiſit, ut è domo privatâ in eccleſiam commutaretur. Donationes in eccleſiam fiebant per modum venditionis nummo uno duobus vel tribus, vel acceptâ veſte vel equo vel alio munuſculo, charitatis nomine Robert. Montenſ. in ſuppl. Sigebert. ad annum 1201. *VVillelmus de Vado miles vendidit vel potius accepta charitate* XIII. *librarum, & unius equi albi in perpetuam eleemoſinam dedit Deo & Alexaudro Abbati, & Monachis Gemet, tertiam partem terræ quam habebat apud Duclarum* &c. infra, *Eodem quoque anno Rogerius Torel miles illuſtris VVlcatienſis monaſterij dedit eccleſiæ Gemet in perpetuam eléemoſinam apud Giſennenſes* XVI. *& dimidiam Acras terræ arabilis, & ſeptem Acras nemoris in manu VValterij Archiepiſcopi,* Rothomagenſis, *reddidit. Pro hac autem donatione Rogerus Torel accepit ab Abbate Alexandro nomine charitatis* XXX. *libras Andegavenſes, & equum unum album, à VVillelmo vero de*

Lunda tunc Cellario duorum militum veſtimenta de eſtanfort, ſui videlicet & alterius militis.

cap.30. *Valerianus & Gallienus Romanum imperium ſunt adepti qui gravem contra Chriſtianos perſecutionem ſuo tempore commoverunt.* Edicto Valeriani octava perſecutio mota in Chriſtianos. maximè in Epiſcopos & Clericos. Hujus edicti meminit Cyprian. epiſt. 82. *Reſcripſiſſe Valerianum ad Senatum ut Epiſcopi, & Presbiteri, & Diacones in continenti animadverterentur*, in hac perſecutione martyrium paſſi ſunt Romæ Cornelius Pontifex, & Carthagine Cyprianus Epiſcopus, ut ſubjungit Gregorius hic. de hac perſecutione Oroſius libr. 7. cap. 22.

Horum tempore & Chrocus ille Alemanorum Rex commoto exercitu Gallias pervagavit; Imperantibus Valeriano & Gallieno Alemanni Germaniæ populi, Gallias vaſtarunt Duce Chroco, quem Regem vocat Gregorius hic, de hac irruptione Alemannorum in Gallias meminit Oroſ. lib. 7. cap. 22. ſed de Chroco prorſus non meminit.

Veniens verò Arvernos delubrum illud quod Gallicâ linguâ VVaſſo Galatæ vocant, incendit diruit, atque ſubvertit; in illa clade Galliarum etiam templa idolorum ab Alemanis & ipſis Paganis non ſine ſingulari Numinis providentia everſa, in his incenſum & ſolo dirutum templum in finibus Arvernorum quod Galli Vaſſo nuncupabant. Hujuſmodi templum Mercurio ſacrum fuiſſe non levis conjectura eſt quod ſuâ ætate ſignum ingens Mercurij factum apud Arvernos manu Zenodori tradit Plin. libr. 34. cap. 7. *verum omnem amplitudinem ſtatuarum ejus generis, vicit ætate noſtrâ Zenodorus Mercurio facto in civitate Galliæ Arvernis per annos decem HS cccc. manu pretio.*

Intrinſecus verò marmore ac muſivo varium erat. Deſcribitur hic templum illud quod apud Arvernos erat, ſatis curioſè & diligenter prout Grogorius patria Arvernus rerum patriarum ſcribendarum ſtudioſus erat, duplici pariete ſtructum refertur, interior paries conſtabat minuto lapide, id eſt cæmento ſeu cæmentitio opere, exterior quadrato lapide, interius veró parietes marmore, id eſt cruſtis mar-

moreis, & muſivo id eſt opere teſſellato variati ſeu diſtincti erant. Muſivum eſt opus teſſellatum, teſſellis contextum, quod genus operis in antiquis ædificijs valde laudatum fuit Spartian. in Peſcennio Nigro *Hunc in Commodianis hortis, in porticu curvâ pictum de muſivo, inter Commodi amiciſsimos videmus ſacra Iſidis ferentem.* Auguſtin. de civit. Dei libr. 16. cap. 8. *Et cætera hominum vel quaſi hominum genera, quæ in maritimâ plateâ Carthaginis muſivo picta ſunt* Paulin. epiſt. 12. ad Severum. *Abſidem ſolo & parietibus marmoratam, camera muſivo illuſa clarificat* Symmach. libr. 8. epiſt. 41. *novum quippe muſivi genus, & intentatum ſuperioribus reperiſti.* Et Gregor. ipſe infr. libr. 5. cap. 46. *multa in civitate illa ædificia foris, domos compoſuit, eccleſiam fabricavit, quam columnis fulcivit, variavit marmore, muſivo depinxit.* Idem de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 1. de Baſilica Agripinenſi, *& quia admirabili opere ex muſivo quodam modo deaurata reſplendet ſanctos aureos, ipſam Baſilicam incolæ vocitare voluerunt*; noſtris *ouvrage à la Moſaïque,* unde artifices operis muſivarij dicti l. 3. C. Th. de excuſat. artific. Iul. Firmic. libr. 3. cap. ult. & libr. 14. cap. 15. Caſſiod. libr. 8. epiſt. 5. id genus artificum Conſtantinopoli petitum refert Leo Oſtienſis in Chronic. Caſſiens. lib. 3. cap. 27. Cætera ædificia conſtabant quadrato lapide. Gregor. inf. libr. 8. cap. 34. *in cujus angulo erat cellula parva, & quadratis lapidibus clauſa.*

Ac Baptiſmo conſecratus. Victorinus è ſervulo templi baptizatus per Baptiſmum conſecratus dicitur, quia Baptiſmus nos ſacros facit, Baptiſmus eſt ſacerdotium laicorum Hieronym. ad Luciferian. *Deponat ſacerdotium laici, id eſt Baptiſma.*

Irruentibus autem Alemannis in Gallias ſanctus Privatus Gaballitanæ urbis Epiſcopus in Crypta Memmatenſis Montis, ubi jejunijs orationibuſque vacabat reperitur, populi Gredonenſis caſtri munitione concluſus, Privatus Gabalorum Epiſcopus, irruentibus Alemanis in Gallias Duce Chroco orationis causâ ſeceſſit in Cryptam Memmatenſis montis. Tempore perſecutionis Epiſcopi & fideles latebant in Cryptis, id eſt latibulis ſubterraneis opere manu facto cavatis,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Anaſtaſ. in Caio. *Hic fugiens perſecutionem Diocletiani in Cryptis habitavit, martyrio coronatus.* Gregor. ipſe infr. libr. 10. cap. 30. de Gratiano primo Turonenſi Epiſcopo quem cum alijs Epiſcopis miſſum in Gallias tempore Decij ſupra à nobis obſervatum eſt, *ſed interdum occulebat ſe, ob impugnationem potentum, eo quod ſæpius cum injurijs & contumelijs cum repererant adfeciſſent, ac per cryptas & latibula cum paucis Chriſtianis per eundem converſis myſterium ſolemnitatis diei dominici clanculo celebrabant.* Memoratur Anatolius Burdegalēſis perclusus in cellula quæ erat in crypta ātiqua Gregor. infr. libr. 8. cap. 34. *Erat autem ibi crypta, ab antiquis, transvoluto elegantique opere expoſita, in cujus angulo erat cellula parva de quadratis lapidibus clauſa, in quam vix unus ſtans homo recipi poſſet, in hanc cellulam puer ingreditur &c.* in hujuſmodi cryptis ſepulta inveniuntur corpora martyrum. Hieronym. in Ezechiel libr. 12. cap. 40. *Dum eſſem Romæ puer & liberalibus ſtudijs erudirer, ſolebam cum cæteris ejuſdem ætatis & propoſiti diebus dominicis ſepulchra Apoſtolorum & Martyrum circuire, crebroque cryptas ingredi quo in terrarum profunda defoſſæ ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora ſepultorum.* In eiſdem cryptis condita corpora Epiſcoporum & clariorum ſecularium virorum Gregorius noſter infr. h. libr. cap. 39. *Ipſe quoque ſacerdos cum conjuge & filia in crypta Cantobennenſi juxtà aggerem publicum eſt ſepultus.* Et idem infr. libr. 4. cap. 12. *Erat enim ad Baſilicam ſancti Caſsij Martyris crypta antiquiſsima, abditiſsimaque, ubi ſepulchrum magnum ex marmore pario, in quo grandævi cujuſdam hominis corpus poſitum videbatur*, de his plura in Regiſtrum Gregorij Papæ libr. 9. epiſt. 38. Privatus igitur ob metum Barbarorum derelictâ civitate Gabalitana ſeceſſerat in cryptam Memmatenſis montis, in qua deprehenſus à Barbaris, & vici Credonenſis caſtri munitione, id eſt arce, cuſtodiæ cauſa ab his incluſus, ſic enim intelligenda exiſtimo hæc verba quæ ſatis obſcura ſunt populi Credonenſis caſtri munitione concluſus, & cum idolis ſacrificare fortiter detrectaret fuſtibus cæſus, paucos poſt dies expiravit. Gabalorum civitati olim nomen Anderetum vel Gabalum, ſed ea everſa à Barbaris, fortè ab Alemānis in illa

clade Galliarum ſedes Epiſcopalis tranſlata Mimate, vicus fuit cap. 32
temporibus Privati Gabalorum Epiſcopi ut legitur in ejus vitâ cui nomen à proximo monte Mimattenſi vel Memmatenſi. Eo tranſlata ſedes epiſcopalis in gratiam ſepulturæ Privati qui conditus eſt in loco martyrij, exinde Mimate velut ſedes Privati martyris, memoriâ celebratur Gregorius infr. libr. 10. cap. 28. *Ecce adeſt Iulianus à Brivate, Privatus ex Mimate, Martinus è Turonis, Martialiſque ab urbe propriâ*, inde Mimate & Gabali promiſcuè accipiuntur, idem Gregor. de glor. Martyr. lib. 2. cap. 30. *Adeſt Privatus ex Gabalis* & Fortunat. libr. 8. cap. 4.

Privatum Gabalus, Iulianum Arvernus abundans
Ferreolum pariter pulchra Vienna gerit.

Sed ex ipſa quaſſatione interpoſitis paucis diebus ſpiritum pca. 33
exhalavit, Privatus religionis causâ fuſtibus cæſus, ex ipſa quaſſatione, id eſt fuſtium percuſſione paucis poſt diebus expiravit. Quaſſare latinis ferire tundere baculo, vel alio inſtrumento. Optat. Milevit. libr. 1. cap. 9. de pœnitentibus, *& quaſſetur illi caput de pœnitentiâ*, inde quaſſatio pro percuſſione vel tunſione Optat. libr. 2. *in Mauritaniæ civitatibus nobis inſtantibus quaſſatio populi facta eſt.* conquaſſari minus eſt quam conteri. Auguſtin. in Pſalm. 45. *Aliud eſt conquaſſari, aliud conteri, conquaſſari, minus eſt quam conteri.*

Eo tempore Quirinus Siſtienſis eccleſiæ ſacerdos, glorioſum pro Chriſti nomine martyrium tulit. In pago VVlcaſſino Quirinus Presbiter cum Nicaſio primo Epiſcopo Rothomagenſi martyrium paſſus memoratur, Martyrol. Ro. octobr. xi. VVlcaſſinus pagus eſt juris B. Dionyſij martyris, quem à Sugerio Abbate Ludovicus Craſſus ſuſcepit in beneficium ſeu Feudum Innocent. III. libr. 2. epiſt. 188. *Ad hæc comitatus VVlcaſsini, qui juris beati, Dionyſii eſt quem illuſtris memoriæ Ludovicus quondam Rex Francorum per Sugerium quondam Abbatem ſancti Dionyſij, in beneficium & Feudum ſuſcepiſſe cognoſcitur.* Idem VV. Nangius de Geſt. B. Ludovici ad ann. 1266. & Joannes Tillius.

Prodente Iuda Hebræo qui poſt Baptiſmum Quiriacus eſt vocitatus. Judæi & Gentiles in Baptiſmo mutabant nomen &

ſuſcipiebant nomen Sanctorum ut Petri Pauli, Conc. Nicen. can. 30. Euſeb. libr. 2.cap. 20. ut Athaniſ. filia Leontij philoſophi in baptiſmo Eudoxiæ nomen ſuſcepit Socrat. libr. 7. cap. XXI.

Vicecomes deBaptiſm. lib. 2. cap. 12 13. *Quæ ita ſe in cuncta bonitate ac ſanctitate omnibus probavit, ut Tecla vocaretur ab incolis.* Melania nobilis Matrona Romana, dimiſſis rebus Hieroſolymam migravit, ubi tantâ ſanctitatis laude claruiſſe dicitur, ut ab incolis Tecla vocaretur.

cap. 25. Sic eam Teclæ nomine adornavit Hieronym. in Chronic. Tecla virgo & martyr quæ à Paulo Apoſtolo ad fidem converſa ſub Nerone feris expoſita, victrix apud Seleuciam in pace quievit, quam antiqui ſummo cultu celebrarunt, de ejus vita & miraculis duos libros ſcripſit Baſilius Epiſcopus Seleucienſ.

cap. 37 *Monachos ad militiam cogi jubet, nolentes fuſtibus præcipit verberari.* Anno Chriſti 375. Monachi ad militiam coacti Valentis edicto idem Euſeb. in Chronic. Theodorit. libr. 3. cap. 6. Baſil. epiſt. 70. 200. 303. Oros. libr. 7. cap. 33. de quo in Aſceticis.

pca. 39 *Vxorem habens quæ juxta conſuetudinem eccleſiaſticam remota à conſortio ſacerdotis religiosè vivebat.* Vrbicus ex Senatore factus Epiſcopus Arvernenſis ſeceſſit ab uxore, uti moris erat, ſed cum ea aliquando virum de nocte adijſſet, cumque ad coitum provocaſſet, Epiſcopus pœnitens facti pœnitentiæ cauſa ſeceſſit in monaſterium, quâ emenſâ redijt ad Epiſcopatum. Cum uxoratus in epiſcopum presbyterum vel diaconum ordinabatur, ſecedebat in perpetuum ab uxore, quæ mutata veſte caſtitatem colebat & vocabatur Epiſcopa Presbytera vel Diacona Conc. Tur. 2. can. 20. Antiſſiodor. can. 20. 21. conc. Rom. can. 1. & 2. can. Presbyter 32. diſt. laudibus celebratur Vrſinus Presbyter, qui à tempore accepti ordinis Preſbyteram ſuam ut ſororem diligens, ſed quaſi hoſtem cavens, ad ſe accedere non ſinebat, de quo Gregor. Papa dialog. libr. 4. cap. 20 de quodam Nannetenſi Epiſcopo, idem Gregorius noſter de glor. Confeſſ. cap. 78. *aiebat enim fuiſſe antiſtitem in civitate ſua, cum conjuge, ſed cum ad honorem ſacerdotij acceſſiſſet, lectulum juxtà ordinem inſtitutionis catholicæ ſequeſtravit.* Epiſcopæ & Presbiteræ nigrâ veſte utebantur Gregor. inf. libr.

libr. 2. cap. 17. de vxore Namatii Epiſcopi Arvernenſis. *Et aſpiciens eam in veſte nigrâ ſenio jam provectam, putavit eſſe unam de egentibus.*

Ipſe quoque ſacerdos cum conjuge & filia in cryptâ Cantobennenſi juxta aggerem publianum eſt ſepultus. Urbicus Epiſcopus Arvernenſis ſepultus in crypta Cantobennenſi juxta aggerem publicum ,id nomen vico à proximo monte Cantobennenſi ubi Eparchium Epiſcopum quoque Arvernenſem poſtea monaſterium condidiſſe narrat Gregor. infra libr. 2. cap. 21. *ferunt etiam ipſum in arce Cantobennici montis momaſterium collocaſſe, ubi nunc oratorium eſt*, vulgo *Chantoin.* Plerumque veteres conditi in cryptis, quæ erant juxta viam publicam Gregorius noſter infr. h. libr. cap. prox. *ſepultuſque in cryptâ, ſuburbano civitatis illius* Gregor. Papa libr. 9. epiſt. 38. *Retruſas cryptas juxta Flaminiam portam invenientes in eis ſe occultaverunt*, ubi dixi. Hujuſmodi cryptæ etiam fuère juxta eccleſias, quia erant deſtinatæ in ſepulturam mortuorum, Gregor. infr. libr. 2. cap. 20. *unde & cryptæ illæ uſque hodie perſtant, ad Baſilicam ſancti Iuliani.* Unde cenſentur cum arenariis id eſt cœmiteriis, quaſi ap pendices eccleſiarum Innocent. III. libr. 2 epiſt. 140. *Eccleſia ſancti Iuliani cum domibus cellis, cryptis hortis vineis & arenariis ſuis, &c.*

Habuit autem & Archidiaconum nomine, & merito Iuſtum, qui & curſum vitæ bonis conſummans operibus magiſtri tumulo ſociatur. Illidius Epiſcopus Arvernenſis Archidiaconum habuit nomine & vitæ meritis Iuſtum, qui in ejus tumulo conditus ut qui in vitâ fuerat individuus comes officii, poſt mortem ab eo non divideretur. Sic Laurentius Xiſti Diaconus deſiderabat ei ſocius eſſe martyrii, qui comes fuerat pontificalis officii,ſic eum affatus cum duceretur admartyrium ut legitur aqud Ambroſ. 1. offic. 41. *Quo Sacerdos ſancte ſine diacono properas,numquam ſacrificium ſine miniſtro offerre conſueveras, cui commiſiſti dominici ſanguinis conſecrationem, cui conſummandorum conſortium ſacramentorum, huic conſortium tui ſanguinis negas.* cap.40.

A ſancto autem Nepotiano viſitatus, atque oleo ſancto perunctus, tribuente Domino redditur ſanitati. Artemius unus

è legatis Maximi Tyranni qui Treviris ſedebat, cum proficiſcens in Hiſpaniam morbo correptus fuiſſet apud Arvernos, à Nepotiano Epiſcopo ſancto oleo, id eſt oleo, ſeu chriſmate infirmorum unctus curatur. Hac ætate etiam Epiſcopi quandoque infirmis unctionem extremam miniſtrabant, Innocent. I. ad Decent. epiſt. I. can. ult. *Cæterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit aliquem à ſe viſitandum, & benedicere & tangere chriſmate ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum chriſma conficere* can. illud. 95. diſt. oleo ſanctificato unguntur infirmi, juxta Jacobi præceptum *infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, qui orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum.* Auguſtin. de tempor. ſermon. 215. *Quoties aliqua infirmitas ſupervenerit, Corpus & Sanguinem Chriſti ille qui ægrotat accipiat, & inde corpuſculum ſuum ungat ut illud quod ſcriptum eſt impleatur in eo, infirmatur aliquis, &c.* Unde hoc genus chriſmatis dicitur oleum infirmorum cap. unic. de ſacr. unct. & hoc ſub ſigillo cuſtodiendum eſt, ne cuiquam ex cauſâ medicinæ id eſt medicamenti, vel maleficij detur. Conc. Moguntin. I. can. 27. *Presbiteri ſub ſigillo cuſtodiant chriſma, & nulli ſub prætextu medicinæ, vel maleficij donare inde præſumant.*

Datoque arrabone diem conſtituit nuptiarum. Sponſalia con-
cap. 42. trahuntur dato arrabone, id eſt à ſponſo ſponſæ datis arris l. ſi quis officium ff. de rit. nupt. l. arris l. ult. C. de ſponſ. Annulo ſubarrantur puellæ, Philippi Ducis Sueviæ natam Ottoni IV. imperatori deſponſam per oſculum & traditionem annuli arræ nomine refertur in appendic. Otton. Friſingens. cap. 51. *mox à Duce Leopoldo cognato ſuo, per manus Cardinalium lege Francorum Regi Ottoni deſponſatur, à quo amantiſsime amplexata, publici ſigno oſculi, mutuationeque annulorum ſubarratur.* Sponſalitiæ arræ annulus oſculum calciamenta, hauſtus poculi. Ejuſdem Gregor. de vit. Patr. cap. 20. *Denique dato ſponſæ annulo porrigit oſculum, præbet calciamentum, celebrat ſponſalium diem feſtum*, & idem de vit. Patr. cap 16. *Cumque ut ætati huic convenit, amori ſe puellari præſtaret affabilem, & cum poculis frequentibus etiam calciamenta deferret.* Sponſa arrhas accipiebat ſponſalium nomine, pro nepte ſua ſe eas accepiſſe

in monaſterio confeſſa eſt Leobovera Abbatiſſa Pictavienſis apud Gregor. infra libr. 10. cap. 16. *De ſponſalibus quoque ait coram Pontifice, Clero vel ſenioribus, pro nepte ſua orphanulâ arras accepiſſe*. B. Genovefam virginem à Germano Epiſcopo Altiſſiodorenſi nummum æreum ſigno Crucis inſignem in ſignum ſponſalitiæ cum Chriſto arræ accepiſſe ait Auctor ejus vit. apud Sur. Jan. 3. & auctor vit. Germani apud eund. Jul. 3. Stephan. Tornacenſ. epiſt. 178. & in ipſis ſponſalibus nuptijs dies dicitur. Terent. in Andria. *Placuit deſpondi, hic nuptijs dictus eſt dies*: Arrabo recentioribus pro arra quæ eſt ſymbolum emptionis Hieronym. in epiſt. ad Epheſ. *Pignus latinus interpres pro arrabone poſuit, non id ipſum arrabo, quod pignus ſonat. Arrabo enim futuræ emptioni, quaſi quoddam teſtimonium & obligamentum datur, &c.* Luitprand. Hiſt. libr. 1. cap. 7. *Cui Berengarius ut promiſsionis ſuæ daret fidem credulitatis arrabonem clypeum portat.*

Horrent tua ſolaria, cum dominum reſidentem ſuſpicio ſuper Solaria ſunt mœniana ſeu projecta ædificiorum è quibus veteres proſpicere ſolebant. l. pen. §. item illud C. de ædific. privat. Hieronym. in Ezechiel. lib. 12. cap. 42. ἐκθέτας *autem Romæ appellant ſolaria de cœnaculi parietibus eminentia, ſive meniana, ab eo qui ea primus invenit, quæ nonnulli Græcorum* ἐξώστας *vocant.* Hujuſmodi ſolaria cancellis ferreis vel æreis munita erant, ita ut ſine periculo ibi deambulare liceret. Anaſtaſ. in Adrian. *Vbi & deambulatorium ſcilicet ſolarium ſuum, cum cancellis æreis, nimis pulcherrimè conſtrui fecit.*

Hos uſque hodiè duos amantes vocitare loci incolæ voluerunt. Narrat hiſtoriam duorum conjugum, qui apud Arvernos in eodem thalamo cœlibem vitam duxerunt, & in eadem Baſilica ex diverſo ſepulti ſunt, ſed non ſine miraculo eorum tumuli in unum coïerunt; unde duos amantes Pagenſes vocitarunt, eadem de re auctor noſter de glor. confeſſ. cap. 32.

Apud Condatenſem diæceſis ſuæ vicum, excedens à ſeculo feliciter migravit ad Chriſtum, Martinus Turonenſis Epiſcopus, cum diæceſim luſtraret, morbo tentatus, è vivis exceſſit apud Condatenſem vicum. Condatenſis vicus eſt in confinio Turonum & Pictonum vulgo Candè, de quo &

Gregor. inf. lib. 10. cap. 32. *conſummato ergo præſentis vitæ curſu obiit apud Condatenſem vicum urbis ſuæ*, & Sever. Sulpit. epiſt. ad Baſſulam ſocrum; *Interea cauſa exſtitit, quâ Condatenſem diœceſim viſitaret* Eo loci condita Baſilica in honorem ſancti Martini de qua & Gregorius libr. 8. cap. 40. *Depoſuerat enim ſibi ſepulchrum in Baſilica ſancti Martini vici Condatenſis*. Hic ſummâ religione viſebatur lectulus B. Martini ſic vocabant nudam humum cinere ſtratam, in qua cubabat reclinato capite ſuper lapide. Gregor. de mirac. D. Martin. lib. 2. cap. 45. *veniensque ad cellulam Condatenſem in quâ lectus Beati Viri habetur.* Idem lib. 3. cap. 22. *Mulier indigena urbis Turonicæ viſus claritate mutata cellulam Condatenſem in qua lectulus Beati Antiſtitis habetur expetiit, lectulum autem non aliud dicunt, niſi in pavimento illo ſubſtratus cinis, & appoſitus capiti lapis, in quo nocturno tempore flexa cervice recumberet.*

Major ei virtus ante Epiſcopatum fuit, quam poſt Epiſcopatum, Martino ægrotante apud Condatenſem vicum qui in finibus Turonum & Pictonum ſitus eſt, utrique ad ejus funus quaſi proximum convenère, eoque defuncto gravis exorta eſt altercatio inter utroſque ſuper vindicijs ſancti corporis, Pictones ſuum Abbatem & Monachum vindicabant, Turones ſuum Epiſcopum, & Pictonibus excipientibus quod Turonibus ſufficere deberet, ſe Martini ope & virtute uſos eſſe quo ad vixit, Turones contra ſeſe tuebantur hac exceptione non eſſe locum invidiæ, quod Martino major virtus, id eſt gratia miraculorum fuit ante Epiſcopatum, quam poſt Epiſcopatum, quia apud Pictones ſuſcitavit duos mortuos, apud Turones unum, tandem vicére Turones & Martini corpus deportatum vel potius raptum eſt Turones. Quod dicitur de Martino eum virtutis gratia minorem fuiſſe in Epiſcopatu quam ante Epiſcopatum, teſtatur Sever. dialog. 2. cap. 5. *illud autem animadverti ſæpè Sulpici Martinum tibi dicere ſolitum nequaquam ſeſe in Epiſcopatu, eam virtutum gratiam ſuppetiſſe, quam prius ſe habuiſſe meminiſſet.* Idem Gregorius ipſe infr. & Petr. Bleſ. epiſt. 112.

Verum ſi mos antiquitus inſtitutus ſervatur, in urbe quâ or-

dinatus eſt habebit Deo jubente ſepulchrum. Turones corpus Martini ſui Epiſcopi vindicabant hâc maximè ratione, quod moris eſſet Epiſcopum ſepeliri in ſua eccleſia: de ſepulturâ Norberti Magdeburgenſis Epiſcopi olim Abbatis Præmonſtratenſis non diſpar exorta eſt controverſia inter Monachos Præmonſtratenſes & Clericos Magdeburgenſes, ſed hi vicére ſententiâ Lotharij Imperat. Robert. Montenſis in ſupplem. Sigeberti ad ann. 1134. *Cum de ſepulturâ inter Clericos majoris eccleſiæ, & fratres ſanctæ Mariæ contentio fieret, res ad imperatorem delata, & ejus præcepto in eccleſia ſanctæ Mariæ, cum filijs & fratribus, quos in Chriſto genuerat, & Chriſto ædificaverat ſepultus eſt*; Epiſcopus tamen non prohibetur ſepeliri in monaſterio ubi elegerit ſepulturam, ex conc. Tolet. 9. can. 5. can. Bonæ rei. 13. qu. 2. inde anno Chriſti 1077 cum de ſepulturâ Hugonis Lexovienſis Epiſcopi certamen ortum eſſet inter Monachos Lexovienſes & Monachas quaſdam cœnobij ſanctæ Mariæ; re delatâ ad curiam Guillelmi II. Regis Anglorum, ejus judicio ſecundum Moniales pronuntiatum eſt, quia Epiſcopus in monaſterio cujus erat fundator, ſepulturam ſibi elegerat ut refert Orderic. Vital. lib. 5.

In Vingennam fluvium deſcendunt, ingreſſique Ligeris alveum. Corpus B. Martini nave perlatum per Vigennam amnem, qui defluit in Ligerim, *c'eſt là Vienne*, de quo Gregor. infr. libr. 2. cap. 37. *Porrò ille cum ad fluvium Vigennam cum exercitu adveniſſet*, & in vit. S. Leodegarij cap, 28. *Poſt hæc cum ad Vigennam fluvium in vico Sannone veniſſent.*

Ad urbem Turonicam cum magnis laudibus, pſallentioque dirigunt copioſo. Corpus B. Martini Turones delatum cum laude & pſallentio, id eſt cum hymnis & cantu Pſalmorum, Pſallentium eſt concentus pſalmorum vel chori pſallentium Gregor. infr. libr. 2. cap. 21. *Die autem Cœnæ Dominicæ, cum magno pſallentio comitantibus clericis; civibuſque ad eccleſiam ſuam revertebatur.* Idem infr. libr. 10. cap. 9 *Miſerat enim ad eum obviam Epiſcopus Regatis clericos ſuos cum crucibus & pſallentio.* Idem de glor. Martyr. libr. 1. cap. 51. *Sanctus Gregorius inluminatis cereis cum grandi pſallentio.* Anaſtaſ. in Adriano. *cum pſallentio à Diaconia uſque ad Balneum.*

A Paſsione ergo Domini uſque ad tranſitum ſancti Martini Franci, ea fuit eorum religio & cultus erga nomen B. Martini, annos numerare cœperunt à tranſitu B. Martini, ut ante à Nativitate Chriſti. Tranſitus dicitur mors Sanctorum, quia eſt tranſitus ad meliorem vitam, ſic Joannes Evang. cap. 13. Chriſti mortem μετάβασιν appellat id eſt tranſitum. Rationem reddit Chriſoſtom. in eund. cap. 71. ὅτι ὁ θάνατος αὐτοῦ μετάστασίς ἐστι καὶ μετάθεσις ἀμείνων. *quia mors ejus eſt tranſlatio ad meliora*, & in can. ſi tranſitus 79. diſt. tranſitus Papæ pro morte.] Anaſtaſ., in Eugenio *die tranſitus ſui pauperibus vel clero ſeu familiæ presbyteria in integrum orogari præcepit.*

IN LIBR. II.

CVR faciles res ſequeretur arguebatur, Martinus Turonenſis Epiſcopus Briccium Diaconum qui ei ſucceſſit in Epiſcopatu infenſum habebat, quod eum argueret de levium rerum ſtudio, facilis pro levi & mobili, Virgil. 2. Æneid. *Facilis jactura ſepulchri.* Idem 8. Æneid. *facileſquo oculos fert omnia circum*, ubi Servius, *id eſt mobiles vino.* Idem 3. Georgic. *Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas* facilis pro ſtulto Gregor. ipſe de Mirac. B. Martin. libr. 2. cap. 1. *Viſum eſt & hoc inſerere lectioni, qualiter me Deus arguerit, nè ante me permitterem ſtultos & faciles, beatis ſolemnibus obtrectare.*

Sed & presbyterij honore præditus, ſæpè beatū virū convicijs laceſſivit, Briccius è Diacono promotus eſt in presbyterum Archidiaconi munus non erat perpetuum, Sidon. libr. 4. epiſt. 25. *temporumque proceſſu Archidiaconus, in quo ſeu gradu ſeu miniſterio multum retentus propter induſtriam &c.*

Nam mulier ad quam cubicularij ejus veſtimenta deferre ſolebant ad abluendum, quæ ſub ſpecie religionis erat veſte mutata, concepit & peperit. Briccius Turonenſis Epiſcopus & Martini ſucceſſor ſuſpicione ſtupri valde laboravit, quia mulier quâ-

ejus cubicularij utebantur, ad abluendas ejus veſtes, quæ religionis obtentu veſtem mutaverat, prægnans deprehenſa eſt, Viduæ vel devotæ quæ caſtitatem domi colere propoſitum habebant, veſtem mutabant, & velum capiti imponebant. can. vidua. 20. qu. 1. can. ſicut bonum. can. de viduis. can. viduæ 1. & 2. can. vidua. can. viduitatis & paſſim 27. qu. 1. Mulieres devotas ſeu converſas velatas fuiſſe teſtatur Gregor. infr. h. libr. cap. 13. *Reſidentibus tamen Epiſcopis, die Dominico mulier quædam velata, atque devota Deo audenter ad eos ingreditur,* Idem libr. 4. cap. 26. *Habebat tunc temporis Ingoberga in ſervitium ſuum, duas puellas, quarum prima vocabatur Marcoveſa, religioſam veſtem habens.*

Nec Deus nos diutius ſinit manus tuas indignas oſculando pollui. Chriſtiani ſolebant reverentiæ cauſa oſculari manus Epiſcoporum. Ambroſ. de dignitat. ſacerdot. cap. 2. *Quippe cum videas Regum colla & principum ſummitti genibus ſacerdotum, & exoſculatis eorum dexteris, orationibus eorum credere ſe committi.* & Sidon. libr. 8. epiſt. 11.

Perge ad limina mox Epiſcoporum
Sancti & Gallicini manu oſculata.
Tecti poſce brevis vacationem.

Inde benedictio & oſculum ſunt gratiæ Epiſcopales, Gregor. infra h. libr. cap. 5. *acceptâ benedictione cum oſculis redierunt*; Laici verò admittuntur ad oſculum pedum Romani Pontificis. Anaſtaſ. in Valentino. *Cujus ovanter ab omni Romanorum ſenatu pedibus oſculatis, magna in totius ſexus & ætatis populo lætitia manſit.* Idem in Leone IV. *Et procedentes veſtigia ipſius oſculari cœperunt.* Epiſcopi quoque ſolebant clericos recipere ad oſculum in ſignum communionis eccleſiaſticæ; Hieronym. adverſ. Rufin. libr. 2. *Antequam ſanctus Epiphanius veniſſet Hieroſolymam, & ore quidem & oſculo tibi pacem daret,* & infr. *ut Hæreticum ſcriberet, quem oſculis orthodoxum comprobavit.* Chriſtiani etiam oſculabantur catenas Martyrum. Tertull. 2. ad uxor. *Quis in carcerem ad oſculanda vincula martyris reptare patietur.*

Cumque oblatus fuiſſet infans, triginta dies ab ortu habens, ait ad eum Epiſcopus, adjuro te per Ieſum Chriſtum, &c. Bric-

cius de ſtupro inſimulatus cum prædicta muliercula, infantem coram plebe oblatum, jam trigeſimum diem natum, per Deum adjuravit ut palam ediceret ſi ejus pater eſſet, infans patrem negavit. Sæpius varijs miraculis clericorum & monachorum de ſtupro accuſatorum innocentia purgata eſt. Euſtathio lectore Cæſarienſi per calumniam accuſato de ſtupro cum filia presbyteri, & ab officio lectoris depoſito, puella quæ clericum calumniata erat, non prius parere valuit, quam calumniam faſſa eſſet, poſt nonum diem niſus puerperij, Pallad. Lauſiac. hiſt. cap. 141. Similiter & mulier quędam quæ falſo Simeonem monachum de ſtupro inſimulavit, non prius peperit, quam fateretur ex quo concepiſſet quo facto inquit Evagr. libr. 4. cap. 33. εὐθὺς βρέφος ἐξήλατο ὑπὸ τῆς ἀληθείας μαιευθὲν *extemplo infans ex utero exilijt, velut veritate obſtetricante.*

Ille autem ad ſatisfaciendum adhuc populo, prunas ardentes in byrrhum ſuum poſuit. Briccius nè qua ſuſpicio de ſe plebis animis hęreret, ſeſe purgare non dubitavit per prunas ardentes in byrrum, id eſt in ſinum veſtis poſitas. Byrrhus erat veſtis genus commune; Auguſtin. in Pſalm. 130. *Et quando quereris vel amicis, vel in judicio, hoc dicis judici conſcidit me, non dicis conſcidit birrhum meum, ſed conſcidit me.* Glaber. Hiſt. libr. 1. cap. 4. *Egrediens latenter Creſcentius de turre ſcilicet birro indutus, & operto capite, venienſque improviſus corruit ad imperatoris pedes.* Pontius Diaconus in vit. Cypriani apud Surium ſept. 14. *Et ita idem Cyprianus in agrum Sexti perductus eſt & ibi ſe lacerno birro expoliavit, & genu in terram flexit* Joan. Monach. in vita S. Odon Abbat. Cluniac. libr. 2. *& birrum quo tegebatur more cappæ, per extremitatem fimbriæ aprehendentes oſculabantur* Martian. Capell. libr. 4. *Nam & byrrhus & tunica nomen veſtis habent.*

Et plebe proſequente acceſsit ad ſepulchrum B. Martini & projectis prunis candentibus ad ſepulchrum, veſtis illæſa apparuit. Purgatio tamen per prunas ardentes, vel ferrum candens fuit purgationis genus vetitum, utpotè in quo Deus tentatur can. Mennam 2. qu. 5. cap. ult. extr. de purgat. vulgar.

Denique Romanæ urbis Papam expetijt flens & ejulans,

Briccius

Briccius à plebe Epiſcopatu depoſitus, ſuffecto ſibi Juſtiniano confugit ad ſedem Apoſtolicam, à quâ reſtitutus ſeptimum poſt annum Turones redijt, quo pertinent illa verba quæ ſequuntur, *ſeptimo igitur regreſſus anno à Româ, cum auctoritate Papæ illius Turonos redire diſponit*, & Juſtinianum ſucceſſorem jam mortuum nactus cathedram recepit; ſic Petrus Epiſcopus Alexandrinus ejecto Lucio Alexandriam redijt cum literis Damaſi Papæ Socrat. libr. 4. cap. 30. Ex quo ſatis intelligimus hac ætate agnitam fuiſſe auctoritatem Romani Pontificis in deponendis & reſtituendis Epiſcopis, de quo fusè à nobis ſcriptum libr. 10. de juriſd. eccleſ. tuend. cap. 3. & 4.

Qui ad ſedem apoſtolicam reſidens plerumque miſſarum ſolemnia celebrans. Epiſcopi & Presbyteri quotidiè miſſas celebrare ſolebant Cyprian. de orat. dominic. *Hunc autem panem dari nobis quotidiè poſtulamus, nè qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidiè ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti & non communicantes à cœleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur*; quem locum exſcripſit Auguſtin. libr. de bon. perſeverant. cap. 4. Ambroſ. in epiſt. ad Hebræos, cap. 10 *Quid ergo nos nonnè per ſingulos dies offerimus, offerimus quidem, ſed recordationem facientes mortis ejus, & una hæc Hoſtia non multæ, &c.* Miſſæ veteribus in plurali pro miſſæ ſacrificio. Cornel. P. in epiſt. ad Lupicinum E. Viennenſem. *Edictis Imperatorum Chriſtianos ubique tormentis varijs affici, unde publicè, neque in cryptis notioribus, miſſas agere Chriſtianis licet.* Beda Hiſt. libr. 4. cap. 22. *à tertiâ enim horâ quando miſſæ fieri ſolebant, ſæpiſsimè vincula ſolvebantur.* Victor Vticenſ. de perſecut. Vandal. libr. 2. *Liberum arbitrium habetis in eccleſijs veſtris miſſas agere, vel tractare.*

Sed procedant duo de veſtris in campum cum armis bellicis. Inter Vandalos & Suevos, quæ erat quæſtio de Hiſpaniæ imperio, ſingulari ſingulorum ex quaque parte dirimitur, ut parceretur utrique populo, Gothi pariter lites inter ſe armis id eſt ſingulari pugna definiebant. Caſſiodor. 9. Var. 14. *Vos armis jura defendite, Romanos ſinite legum pace litigare*, ait in campum id eſt locum dictum certamini. Campus eſt locus

pugnæ vel exercitationis, unde campeſtria ſunt perizômata quibus ſuccinguntur juvenes, in campo exercitationis & campeſtrati ſunt qui his ſuccincti ſunt, ut exerceantur. Auguſtin. de Civit. libr. 14. cap. 17. *Porro autem Campeſtria latinum quidem verbum eſt, ſed ex eo dictum, quod juvenes qui nudi exercebantur in campo pudenda operiebant, unde qui ita ſuccincti ſunt, Campeſtratos vulgus appellat*, inde campiones id eſt pugiles vel pugnatores à campo Roger. Hoveden. in Richard. 1. ex ejus diplomate. *Latro autem de furto convictus tondeatur ad modum Campionis.*

Tunc ille cujus puer vicerit, regionem ſine certamine obtinebit, puer paſſim accipitur, pro famulo vel ſervo Gregor. infr. libr. 3. cap. 5. *cui dormienti orarium ſub collo poſitum, ac ſub mento ligatum, trahentibus ad ſe invicem duobus pueris ſuffocatus eſt*, idem lib. 5. cap. 3. *Nam ſi ante eum ut aſſolet convivio utenti, puer cereum tenuiſſet.* Nimirum pueri dicebantur ſervi non ab ætate, ſed à conditione Ambroſ. lib. 2. de Abraham in illa verba & vocavit puerum ſeniorem domus ſuæ. *Diſce hinc quod etiam ſenioris ætatis ſervuli, pueri dicantur à dominis, vel à quibuſque potioribus* & infra, *unde & pueros dicimus, quando ſervulos ſignificamus, non ætatem exprimentes, ſed conditionem.* Inde pueri medicorum Idem epiſt. 66. *Miſceri mulieri quibuſdam voluptas eſt, medicorum etiam pueri corporibus utile ferunt*: Idem in Pſalm. 35. *Plurimi tamen remedia medicinæ aliqua ſcire ſe dicunt; vel quod medicorum pueri faciunt*, eodem ſenſu ἰατρῶν παῖδες Chryſoſtom. Homil. 4 ad Antiochenos τὰ γὰρ ἐναντία τοῖς ἐναντίοις θεραπεύειν, καὶ ἰατρῶν παῖδες κελεύουσιν. *contraria enim contrarijs curare & medicorum pueri, jubent*, malè interpres vertit medicorum filij. Eadem ſignificatione pueri ruſticorum pro ſervulis, Ambroſ. Hexamer libr. 3. cap. 13. *Ei arbori quam marem palmam appellant pueri ruſticorum.* Hoc loco puer honeſtiore ſignificatu videtur accipi pro milite lecto ex toto exercitu ad certamen, quem Gregorius puerum vòcat à juvenili ætate ut Matthei 14. de Jacobo Apoſtolo dicitur. Erat puer amictus ſyndonè.

Cumque Regis fuiſſet oblata conſpectibus cœpit eam primum ad rebaptizandum blandis ſermonibus inlicere. VVandali erant Ar-

riani qui rebaptizabant Catholicos tranſeuntes ad ſe volentes vel coactos, quod damnatum miraculo refert Gregorius hoc loco *poſt multas quæſtiones cum ad hoc frangi non poſſet, ut beatam ſcinderet Trinitatem ad rebaptizandum invita deducitur.* Donatiſtæ etiam rebaptizabant deficientes ad ſe, quod deteſtatur Auguſtin, epiſt. 203. *Rebaptizare igitur hæreticum hominem, qui hæc ſanctitatis ſigna percepit, quæ chriſtiana tradidit diſciplina, omninò peccatum eſt, rebaptizare autem Catholicum immaniſsimum ſcelus eſt.* Hinc Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus captus à Vvandalis, ſcripſit epiſt. ad Catholicos quæ ſubjicitur infr. h. libr. cap. 3. *Servate itaque unici baptiſmatis gratiam, cuſtodientes Chriſmatis unctionem, nemo poſt aquam revertatur ad aquam, renatus ex aquâ*, &c.

Digno aquas unguine cunctas infecit id eſt fluxu ventris aſperſit, unguen pro unguento vel unctione, Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 51. *Nam cùm mihi nimiâ lippitudine oculi gravarentur, ex hoc ſacrato unguine tactus, dolore protinùs carui.* Seren. Samonic. de Medicin.

Mira loquar geminans mulcebitur unguine poples.

Idem alio loco.

Vnguine quo frangit vires languoris aquoſi.

Idem alio loco.

Vnguine quo fotis dabitur medicina papillis.

Poſt hæc proſequentibus Alamannis uſque ad Traductam tranſito mari Vandali per totam Africam ac Mauritaniam ſunt diſperſi. Vandali prædâ direptis Gallijs, tranſiére in Hiſpaniam, inde Mauritaniam & Africam occuparunt, prior locus quem attigére in Mauritania fuit Traducta, Tingi oppidum Mauritaniæ à Claudio Cæſare deducta colonia appellatum Julia traducta Plinio libr. 5. cap. 1. Hodie Tanger. Vvandalicam cladem Galliarum deplorat Hieronym. epiſt. ad Ageruchiam de quo dixi rer. Aquit. libr. 5. cap. 8.

Dico tamen vobis, valete orate pro nobis & jejunate. Eugenius captus à Vandalis imminente martyrio ſe commendat precibus plebis ſuæ. Eccleſia orabat pro martyribus & pro Epiſcopis Auguſtin. libr. 1. contra literas Petiliani cap. 105. *Ecce oratur pro Paulo Apoſtolo, quod fieri non vis pro Epiſcopo*, &c. Cap. 5.

Quod cùm feciſſent & manus ſuas ſuper caput ejus tenerent ſanctus Eugenius crucem ſuper oculos cæci faciens. Eugenius per impoſitionem manuũ & ſignum crucis curat cæcum, qui cum pecunia corruptus à Cirola Pſeudo Epiſcopo cæcum ſe finxiſſet, quaſi oculorum lucem recepturus à Cirola, juſto Dei judicio cæcus factus eſt. Signo crucis curantur ægri, fugantur dæmones, præſente ſigno crucis obmutuérunt idola, & exta non litarunt Auctor quæſt. utriuſq. teſtam. cap. 114. *Sed præſente ſigno crucis obtumeſcit Paganitas, adeſt quam vocant ſtultam, prudentia illa, ſacra illorum, reſpondere non audent, reprimuntur enim exta illorum, reſpondere non audent, & occultantur ob reverentiam Chriſtianæ Majeſtatis.*

Beatum verò Eugenium decollari juſsit ſub ea ſpecie, ut ſi in ea horâ, qua enſis ſuper cervicem ejus incumbebat non reverteretur ad Hæreticorum ſectam, non occiderentur nè eum pro martyre excolerent Chriſtiani, ſed exilio damnaretur. Eugenius propter fidem Catholicam ab Honorico ſeu Hunerico Rege Vandalorum decollari id eſt capite cædi juſſus, decollare eſt caput cædere, inde decollatio pœna capitis Paul. 5. ſentent. tit. 17. *Summa ſupplicia ſunt, crux, crematio, decollatio*, pœna capitis ſub ea ſpecie, id eſt lege indicta ut ſi in propoſito perſeveraret, gladius à cervicibus revocaretur, & ultima pœna exilio commutaretur, nè à Catholicis coleretur pro martyre. Non alio conſilio ex edicto Diocletiani, & Maximiani martyrum corpora è terra effoſſa, & in mare miſſa, nè colerentur pro martyribus. Euſeb. libr. 8. cap. 7. & Julianus quoque non ſævijt uſque ad necem in Catholicos, quia ut ait Gregor. Nazianz. orat 3. τῆς τῶν μαρτύρων τιμῆς ἐφθόνει τοῖς ἀθληταῖς. *martyrij honorem invidebat athletis.*

Tunc ſuſpenſo gladio apud Albigenſem Galliarum urbem exilio deputatus eſt, ubi & finem vitæ præſentis fecit. Gladio à cervice ſuſpenſo, id eſt jam librato revocato, mandato Hunerici Regis Vvandalorum, Eugenius exulavit in Gallia apud Albigam civitatem Narbonenſis Provinciæ, Eugenium ibi vitam finiiſſe teſtatur, & ibidem in crypta Amaranthi martyris ſepultum refert idem auctor de glor. martyr. libr. 1. cap. 37. & in hunc diem ibi coluntur reliquiæ ſanctiſſimi Epiſcopi &

martyris. Eundem tamen ab exilio revocatum inſinuare videtur Sigibertus quatenùs tradit anno 492. omnes Epiſcopos Africæ petente Eugenio Carthaginenſi Epiſcopo ab exilio revocatos, non nego hic lapſum Gregorij cùm ait Honoricum ſucceſſiſſe Traſamundo, conſtans enim eſt eum ſucceſſiſſe Genſerico patri ex Procopio Marcellino & Sigiberto.

Nihil hæc ſupplicia erant confeſſoribus ſanctis qui in paucis vexati in multis benè ſe noverant diſponendos. Hoc diſtant Confeſſores à Martyribus, quod Confeſſores erant qui aliquid puta vincula vel cruciatum ut verbera paſſi erant pro Chriſto, Martyres qui extrema paſſi erant Optat. Milevit. libr. 1. *Nam fermè ante annos LX. & quod excurrit per totam Africam perſecutionis eſt devagata tempeſtas, quæ alios fecerit Martyres, alios Confeſſores.*

Accedens ergo ad beati Apoſtoli tumulum deprecabatur auxilium bonitatis ejus. Servatius Tungrenſis Epiſcopus ſentiens Deo revelante, Gallijs Hunnos imminére, Romam petijt ad limina Apoſtolorum, ut horum interceſſione iram Dei averteret. Hac tempeſtate frequens ac penè popularis erat peregrinatio ad limina Apoſtolorum. Beda hiſt. libr. 5. cap. 7. *Abeunte autem Romam Ceadualla ſucceſsit in regnum Hun de ſtirpe regia, qui cum triginta & ſeptem annis imperium tenuiſſet gentis illius, & ipſe relicto regno, ac junioribus commendato ad limina Beatorum Apoſtolorum Gregorio Pontificatum tenente profectus, quod his temporibus plures de gente Anglorum, nobiles ignobileſque, Laici & Clerici, viri ac fœminæ certatim facere conſueverunt.* Conc. Cabillonenſ. 2. can. 40. *ſunt quidam potentum qui acquirendi cenſus gratia, ſub pretextu Romani, ſive Turonici itineris multa acquirunt, multos pauperum opprimunt* &c. Inde Romei Romam peregrinationis cauſa petentes. Odo Cluniac. vit. S. Geraldi Aureliacenſ. Comit. libr. 1. cap. 17. *Cùm vero dehinc quoſdam Romeos ſibi notos obviam reperiſſet* & infra *cum dehinc ad portum Placentinum veniſſet quidam Clericus qui portui præerat ſupervenit, nam ſicut illic mos eſt, lucroſum nimis naulum à Romeis expectabat.* Cap. 5.

Hic verò ad Trajectenſem urbem accedens, modica pulſatus febre receſsit, Servatius Tungrenſis Epiſcopus Roma redux

dimiſſa Tungrorum urbe quæ erat Epiſcopalis civitas, ad Trajectum urbem receſſit quæ erat Diœceſis, inde Agricolaus proximus ejus ſucceſſor Tungris urbe ab Hunnis ſolo everſa, apud Trajectum ſedem collocavit Harigero in vit. Tungrenſ. Pontif. cap. 30. Tempore Pipini Regis Trajectum proprium habuit Epiſcopum, primus fuit Vvilbrodus Apoſtolus gentis Friſiorum de quo Beda Hiſt. libr. 5. cap. 12. Sigebert. ad ann. 697. Martyrol. Ro. 7. Nov. & ibi Baron.

Ablutuſque à fidelibus juxta ipſum aggerem publicum eſt ſepultus. Duo hic memorabilia obſervo circa funus Servatij Tungrenſis. Unum eſt lotio corporis defuncti, alterū ſepultura ejus juxta aggerem publicū, Chriſtiani lavabant corpora mortuorum Gregor. infr. libr. 4. cap. 45. *Tunc ab Arnulfo quodam collectus, ablutuſque ac dignis veſtibus eſt indutus, & ad Ecoliſmenſem civitatem ſepultus.* Idem de vit. patr. cap. 6. apud Sur. 1. Jul. de B. Gallo Arvernenſ. Epiſcopo *Exinde ablutus, atque veſtitus in Eccleſiam defertur, donec cōprovinciales ad eum ſepeliendum convenirent.* Idem infr. libr. 6 cap. 29. de Diſciola virgine in Monaſter. S. Radegundis. *Poſt hæc corpus aquiſablutum.* Hunc morē à primis temporibus Eccleſiæ receptū fuiſſe ſcimus ex Act. Apoſt. cap. 9. ubi Tabitham vita functam confeſtim lotam fuiſſe legimus. Eundem morem ſubobſcurè indicat Tertul. Apologetic. cap. 42. *Non lavor diluculo, attamen lavor honeſtâ horâ, & ſalubri, quæ mihi & colorem & ſanguinem ſervet, rigere & pallere poſt lavacrum mortuus poſſum*, id eſt ut rectè hæc verba interpretatus eſt Heraldus non lavor diluculo rigoris & palloris conciliandi cauſa, ſatis mihi eſt quod mortuus rigere & pallere debeo, poſt lavacrum quo mortui procurantur. Veteres Romani calidâ abluebant, & ungebant corpora mortuorum priuſquam cremarentur Ennius. *Tarquinij corpus, bona fœmina lavit & vnxit.* Hunc ſecutus Virgil. 6. Æneid. *corpuſque lavant frigentis, & vngunt.* Etiam Sanctorum reliquias in tranſlatione lotas obſervo Bedâ Hiſt. libr. 3. cap. 11. *Lota igitur oſſa intulerunt in thecam quam in hoc præparaverant, atque in Eccleſia iuxta honorem congruum poſuerunt.* Idem lib. 4 cap. 19 *laverunt igitur Virginis corpus, & novis indutum veſtibus intulerunt in Eccleſiam.* Græcis non

modò mortuorum corpora lavabantur, ſed etiam poſt funeris elationem, omnes qui erant de domo defuncti lavabantur purgationis gratia, quo alludens Ariſtophan. in Nubibus.

ὥσπερ τεθνεῶτος καταλύεις μου τὸν βίον,

Quaſi eſſem mortuus vitam id eſt ſubſtantiam lavas. Et ibi Scholiaſt. ἐπεὶ ἔθος ἦν μετὰ τὴν ἐκκομιδὴν τοῦ νεκροῦ λούεσθαι τοὺς κατ᾽ οἶκον καθαρμοῦ χάριν. *Poſtquam mos erat poſt elationem mortui, eos qui erant de domo lavari purgationis gratia.* Peculiare fuit occiſos illotos ſepeliri, uti obſervatum eſt in funere Abbonis Abbatis Floriacenſis à ruſticis inſidijs Monachorum nefariè occiſi apud Regulam monaſterium ſuper Garumnam flumen in Pago Aginnenſi Aimoin Floriacenſ. de vit. S. Abbon. cap. 20. *Matutino ſanè tempore feriæ quartæ, cum ipſis quibus indutus erat veſtimentis, uti mos eſt ſepeliri interemptos, inlotus etiam lapideo tumulatus Sarcophago,* &c. Sepulchra veterum poſita juxta aggeres publicos, id eſt vias publicas Gregor. ſupr. libr. 1. cap. 39. *Ipſe quoque Sacerdos cum coniuge & filia in crypta Cantobennenſi iuxta aggerem publicum eſt ſepultus.* De Servatio idem Gregor. de glor. confeſſ. cap. 72. *Arvatius verò Traiectenſis Epiſcopus ſepultus refertur, iuxta ipſum pontem aggeris publici.* Inde aggeres conſecrati, pro ſepulchris poſitis propter vias publicas l. 5. C. Th. de ſepulchr. violat. idem teſtatur quoque Porphir. in Horat. ode. 11. *in aggeribus religiones & ſepulchra erant.* Agger verò hic non pro munitione accipiendum eſt, ſed pro viâ publicâ ſeu militari, lapide vel ſilice ſtrata, ut in l. 4. & 5. Cod. Th. de itiner. muniend. Sever. Sulpit. Dialog. 2. cap. 4. *Interim per aggerem publicum plena militantibus viris fiſcalis rheda veniebat.* Vel agger etiam eſt genus ſepis juxta vias publicas vel flumina ripæ muniendæ cauſa Varro de re ruſtica lib. 1. cap. 14. *Agger is bonus, qui intrinſecus junctus foſſa; aut ita arduus, vt eum tranſcendere non ſit facile, hoc genus ſepis fieri ſecundum vias publicas ſolent & ſecundum amnes.* Tales ſunt aggeres Nili l. un. C. Th. de Nili aggeribus. Hieronim. in Ezechiel. lib. 9. cap. 30. *Moris autem Ægyptiorum eſt propter inundationem Nili excelſos aggeres conſtruere ad ripas Nili* &c. Agger propriè eſt media pars viæ quæ lapide ſtrata eſt Servius in illum verſ. 5.

Æneid. *Qualis ſæpe via deprenſus in aggere ſerpens. Agger eſt media via eminentia coaggeratis lapidibus ſtrata, unde via aggere dixit.* Unde via publica ſimpliciter ſtrata dicitur in l. ult. C. Th. eod. Monumenta fiebant juxta vias publicas, nè verò fierent in via publica vetitum l. 2. ff. de loc. & itiner. public.

Cap 6. *Quia locus in ea eſt, in quo parvitatis meæ pignora continentur*, Reliquiæ Stephani martyris quæ erant in oratorio Metenſis urbis vocantur pignora, paſſim reliquiæ Sanctorum dicuntur pignora, quia ſunt nobis quaſi pignora interceſſionis & ſuffragij Sanctorum apud Deum, pignora vocat Gregorius & alijs locis ut libr. de glor. martyr. cap. 33. *De hoc enim ſudario multi infirmi ſanitatem experti ſunt, ac plerumque & ipſe Pontifex de eodem decerpens pignora, vbi Eccleſias conſecrabat fideliter collocavit.* Aimoyn. Floriacenſ. de mirac. S. Benedict. libr. 2. cap. 19. *Cum ſenioribus habito conſilio deliberavit, vt ſumptis Sanctorum pignoribus imminente vindemiâ ad locum cum aliquibus è fratribus, fructus vinearum collecturus properaret.* Alibi pignera idem Gregor. infr. libr. 10 cap. 30. in fin. *Nacti etiam ſumus & alios lapides, ita ut hic erat concavos, in quibus Sanctorum Apoſtolorum, cùm reliquorum martyrum pignera continebantur.* & infr. *& in illo priore baptiſterio ſancti Benigni Martyris pignera collocavi.* Flodoard. libr. 2. *Dum Clerici jam cum patroni ſui pigneribus ad civitatem confugiſſent.* alij lipſana à Græco λείψανα id eſt reliquiæ Sigebert. ad ann. 766. *Conſtantinus inſuper ægrè ferens gloriam Sanctorum miraculis coruſcantium, etiam lipſana eorum, ubique jubet effodi, & jactari in profundum.*

Cap. 7. *Prius ſuſpectus futuri*, id eſt ſuſpicatus de futuro, eadem locutione uſus eſt Gregorius infr. libr. 4. cap. 13. *Cautinus autem Epiſcopus, cùm ſuſpectus eſſet quod & ipſe iniuriaretur*, id eſt ſuſpicionem haberet nè injuria afficeretur. Idem de glor. confeſſ. cap. 105. *Inſtigante verò fide ſuſpecti ſunt habiti homines, quod aliquid cum divina maieſtate virgo potuerit obtinere.* Idem infr. lib. 6. cap. 11. *ſed cùm Epiſcopus de his ſuſpectus eſſet,* Idem libr. 9 cap. 3. *& ſuſpectus nè percutiatur, omninò ſe à ſuis vallari præcipit.*

Itaque

Itaque liberatâ obtentu Beati Antiſtitis civitate, Attilam fugant, qui Mauriacum campum adiens ſe præcingit ad bellum. Aurelianis urbe ab obſidione liberatâ, Attila Rex Hunorum victus & fuſus ab Ætio conjunctis copijs cum Theodorico Rege Gothorum, & Meroveo Rege Francorum apud Mauriacum id eſt in campis Catalaunicis in Campania de quo præter Gregorium Idacius. Sidon. libr. 7. epiſt. 12. Roderic. libr. 2. cap. 8.

Convenientibus ad matutinos hymnos populis. populus conveniebat ad matutinum officium, Gregor. infr. libr. 6. cap. 25. *Cum die dominico ad urbem Turonicam ad matutinas ſignum commotum fuiſſet, & populus ſurgens ad eccleſiam conveniret,* Plin. libr. 10. ep. 101. de Chriſtianis. *quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire carmenque Chriſto, quaſi Deo dicere.* Sidon. libr. 1. epiſt. 2. de Eorico Rege Gothorum. *Antelucanos Sacerdotum ſuorum cœtus minimo comitatu expetit.* de Friderico I. Imperat. idem teſtatur Radevicus de geſt. ejus libr. 2. cap. 76. *Antelucanos Baſilicarum & Sacerdotum ſuorum cœtus, aut ſolus aut minimo comitatu expetit.* Ad alias horas Canonicas tertiam ſextam & nonam conveniebat & populus Auſtin. de tempore ſermo. 78. *Attentius tamen rogo, & admoneo fratres, ut ad vigilias maturius ſurgere ſtudeatis, ad tertiam ad ſextam ad nonam fœliciter veniatis.*

Ætius ſpoliato campo, victor in patriam cum grandi eſt reverſus ſpolio. victo Attila & campo, id eſt loco pugnæ expoliato, campus eſt locus pugnæ Baldric. Camerac. chronic. libr. 3. cap. 57. *Campum contra eum accepit, & legaliter feudum ſuum adjudicatus perdidit, domum reverſus cum ingenti prædâ,* Spolium pro rebus captis à latronibus, vel ab hoſtibus Tryphonin. in l. bona fides ff. depoſit. *Exempli loco, latro ſpolia, quæ mihi abſtulit poſuit apud Seium,* Tertull. de Reſur. cap. 7. *Hodie ſpolium efficitur ſi detrahatur, hoc fuit indumentum cum ſuperſtruebatur* Idem cap. 12. ejuſdem libr. *Quippe etiam terræ de cœlo diſciplina eſt, arbores veſtire poſt ſpolia.*

Nec multo poſt Aquileia à Chunis capta incenſa, atque diruta, Aquileia poſt triennij obſidionem, ab Attila Rege Hunnorum capta & ſolo everſa. Paul Diacon. libr. 15.

Cap. 8. *Quid de Ætio Renati Frigeridi narrat hiſtoria, tacere nefas putavi*, narrat hiſtoriam Ætij ex Renato Frigerido ſcriptore hiſtoriæ illorum temporum, cujus opera non extant, nec aliud fragmentum præter iſtud quod hoc loco excerpſit Gregorius, qui eundem Renatum Profuturum Frigeridum vocat infra hoc cap.

Gaudentius pater à domeſticatu exorſus militiam. Domeſticatus eſt Domeſticorum officium Nou. Theod. & Valentin. de Scholarib. Domeſtici erant qui excubabant in Palatio Principis, ſeu qui familiarius Principi militabant l. 8. C. Th. de Domeſtic. Caſſiodor. 1. Varr. 10. *Domeſtici patres equitum & peditum, qui noſtræ aulæ videntur jugiter excubare.* His Præpoſitus vocabatur Comes Domeſticorum ut infra hoc cap. *Ætius ex Comite Domeſticorum* & infra hoc lib. cap. 9. *Eodem tempore Caſtinus Domeſticorum Comes.*

Ipſe poſtmodùm Auguſtus dum in campo Martio, pro tribunali reſidens concionaretur ad populum, Occylla Buccellarius Ætij ex adverſo veniens cum gladio perfodit. Valentinianus junior dum pro tribunali oraret ad populum, ferro occiſus ab Occylla Buccellario Ætij in ultionem necis domini ſui. Buccellarius eſt miniſter, qui in epulis domino miſcet poculum, vel miniſtrat panem & alia edulia, ſic dictus à Buccella quæ ſignificat fruſtulum panis. Tertull. de Monogam. *Et illic planè ſic dabunt viros & uxores, quomodo Buccellas.* Auguſtin. de tempore ſermon. 216 *ille bonus Chriſtianus eſt, qui pauperibus ſecundum quod vires habet argentum porrigit, aut buccellam*, Arnob. in pſalm. 147. in illa verba, *Mittit Cryſtallum ſuum ſicut buccellas, Cryſtallum hoc grandinis memorat Dei lapidationem, quam panibus fractis & buccellis aſſimilat.* Alias Buccellarij ſunt cuſtodes corporis, quos privatis cum armis habere non licet l. ult. C. ad leg. Jul. de vi public. ubi Cujac. Ait in campo martio, id eſt in campo ubi cenſebatur exercitus. Gregor. infr. h. libr. cap. 27. *Tranſacto vero anno, juſsit omnem cum apparatu advenire phalangam, oſtenſuram in campo martio ſuorum armorum nitorem.*

Cap. 9. *Nam cum multa de eis Sulpitij Alexandri narret Hiſtoria.* Sulpitius Alexander ſcripſit hiſt. Francorum de quo unicus meminit Gregorius noſter.

Eo tempore Genobaldo, Marcomere, & Sunnene Ducibus Franci in Germaniam prorupére. Franci primum Duces habuére ut refert Gregorius ex Sulpitio Alexandro, penes quos tamen regiam auctoritatem fuiſſe colligitur à Gregorio ex eo quod qui primum Duces dicti ſunt, alio loco vocantur regales ab eodem auctore. Sunnonis Ducis meminit Ordericus Vitalis libr. 4. *Franci Gallis tempore Sunnonis Ducis aſſociati ſunt, & Romanornm jugo de cervice ſua viriliter excuſſo ſuper eos regnare cœperunt.*

Franci enim ſimulato metu ſe in remotiores ſaltus receperant concidibus per extrema ſylvarum procuratis, concædes ſunt ſepes ſylvarum vel viarum è præciſis arboribus munitionis causâ contextæ ut infr. hoc cap. *qui conjunctis arborum truncis vel concidibus ſuperſtantes, velut è faſtigijs turrium ſagittas tormentorum ritu effudére.* Eadem voce uſus eſt Gregorius infr. libr. 3. cap. 28. *Et concides magnas fecit in villis illis.* Alij concædes Veget. libr. 3. cap. 22. *præciſis arboribus vias claudunt quas concædes vocant.* Tacit. 1. Annal. *Caſtra in limite locat, frontem ac tergum vallo, latera concædibus munitus.* Ammian. libr. 16. *difficiles vias, & ſuaptè naturâ clivoſas, concædibus clauſére ſolerter, arboribus immenſi roboris cæſis*, & idem eod. libr. *ſed concæde arborum denſâ, undique ſemitis clauſis.* Ambroſ. de exceſſ. Satyr. *quam doleret in Alpium vallo ſummam noſtræ ſalutis conſiſtere, lignorumque concædibus conſtrui murum pudoris.* Polyb. lib. 2. χλευομένης προσδοκῶν τὸν ἔφοδον, τὰς μὲν ἄλλας, τὰς εἰς τὴν χώραν εἰσβολὰς, ἠσφαλίσατο φυλακαῖς, καὶ τάφροις καὶ δενδρῶν ἐκκοπαῖς. *Cleomenes hoſtium impreſsionem expectans, reliquos aditus præſidijs foſsis, concædibus munivit.* Galli *Abbatis de bois.*

Clauſo apud Viennam Palatij ædibus Principe Valentiniano & penè infrà privati modum redacto, militaris rei cura Francis ſatellitibus tradita. Ea tempeſtate Franci ſummam tenebant in Comitatu Imperatoris, inter eos Arbogaſtes magiſter militiæ fuit Ammian libr. 35. *Adhibitis Francis, quorum ea tempeſtate, in palatio multitudo florebat.* Eadem ætate erat & in Palatio ſchola Gallicanæ militiæ Symmach. lib. 9. epiſt. 54. *Dudum eum ad ſcholam Gallicam palatij tranſlatum eſſe meminiſti.*

Cum autem Aſterius Codicillis Imperialibus patriciatum ſortitus fuiſſet. Per codicillos honores deferebantur à Principe. Præter hunc locum Gregor. infr. h. libr. cap. 38. *Igitur ab Anaſtaſio Imperatore codicillos de conſulatu accepit*, & hoc eſt quod dignitatum formulas vocat Auſon. in Profeſſ. Burdigalenſ. 5. *Vagus per omnes dignitatum formulas.*

Tradunt enim multi eoſdem de Pannoniâ fuiſſe digreſſos, & primum quidem littora Rheni amnis incoluiſſe, dehinc tranſacto Rheno, Thoringiam tranſmeaſſe, ibi juxta Pagos vel civitates Reges Crinitos ſuper ſe creaviſſe, de primâ & ut ita dicam nobiliori ſuorum familiâ. Franci è Pannoniâ digreſſi primum ultrà Rheni littus conſedére, unde regio illa quæ prima eorum ſedes fuit ultra Rhenum dicta eſt Francia, ejus ſitum obſervat Hieronym. in vit. Hilarionis. *Inter Saxones & Alemannos, gens ejus non tam lata quàm valida, apud Hiſtoricos Germania, nunc vero Francia vocatur.* Et hæc eſt quæ poſterioribus dicta eſt Francia orientalis, ad quam pertinet Conc. Triburienſis Can. 39. quem Pontifices retulére in cap. 1. ext. de ſponſalib. Poſtea Franci ſtudio propagandi fines ſuperato Rheno Thoringiam occuparunt & Pagos vel civitates viciniores, & Reges Crinitos ſuper ſe crearunt, Reges Francorum erant Criniti, id eſt comam alebant & barbam promittebant. Nec hoc peculiare fuiſſe Regum Francorum certum eſt, nam & Franci omnes erant Criniti, & quod ait Gregorius Francos Reges crinitos ſuper ſe creaſſe, eo tantùm pertinet ut intelligamus Francos ſibi Reges elegiſſe de gente ſua, quod ſatis probatur ſequentibus, cum ait Francos Reges ſibi creaſſe de prima & nobiliori ſuorum familia, idem fuit habitus Orientalium Ammiam. libr. 31. *Sed orientalis turma, novo neque ante viſo ſuperavit eventu, ex ea enim crinitus quidam, nudus omnia præter pubem, ſubraucum & lugubre ſtrepens, educto pugione agmini ſe medio Gothorum inſeruit* &c. Hieronym. in in vit. Malchi *ecce ſubito equorum camelorumque ſeſſores Iſmaelitæ irruunt, crinitis vittatiſque capitibus*, &c.

Nam & in Conſularibus legimus Theodomerem Regem

Francorum filium Richimeris quondam & Aſcilam matrem, gladio interfectos. Gregorius Hiſtoriam priorum Regum Francorum petijt tum ex Renato Frigerido, & Sulpitio Alexandro, quorum nè nomen quidem alibi ſupereſt, cum ex Conſularibus. Conſularia ſunt Faſti conſulares quorum fide & auctoritate ſæpius uſi ſunt veteres ſcriptores Auguſtin libr. contr. Donatiſtas poſt. collat. *Sicut autem ordo Conſulum oſtendit, quem tunc conſiderare anguſtia temporum non ſinebat, neque enim præſto erant libelli qui conſulares vocantur.* Faſtis conſularibus adſcribebantur nomina benemeritorum de Republica, & clariorum virorum M. Tull. ad Brutum epiſt. 15. *Ego enim D. Bruto liberato, cum lætiſsimus illi civitati dies illuxiſſet, idemque caſu Bruti natalis eſſet, decrevit vt in faſtis ad eum diem Bruti nomen adſcriberetur, in eoque ſum majorum exempla ſecutus qui hunc honorem mulieri Laurentiæ tribuerunt, cui vos Pontifices ad aram in Velabro facere ſoletis.*

Ferunt etiam tunc Chlogionem utilem ac nobiliſsimum in gente ſua Regem Francorum fuiſſe, qui apud Diſpargum caſtrum habitabat quod eſt in termino Thoringorum. Is eſt Clodio, cui cognomen Comatus Rex Francorum qui fertur ſucceſſiſſe Faramundo, de quo prorſus ſilet Gregorius. Clodionem Faramundi filium & ſucceſſorem memorat Sigebert. ad ann. 430. *Clodius filius Pharamundi Rex Crinitus regnat ſuper Francos annis* 18. Ex hoc Franci Crinitos Reges habere cœperunt, Clodionis Regia fuit apud Diſpargum caſtrum quod locatur in finibus Toringorum quibus tunc continebatur ditio cis Rhenana Francorum.

In his autem partibus, id eſt ad meridionalem plagam habitabant Romani vſque Ligerim fluvium, vltra Ligerim vero Gothi dominabant. Talis erat ſtatus Galliarum ea tempeſtate, Gothi cum Gallia Narbonenſi obtinebant Aquitaniam quę pertinebat uſque ad Ligerim ex diviſione Galliarũ facta ab Auguſto quam ſecuti ſunt Oroſius lib. 1. cap. 2. & Aimoin. lib. 1. cap 4. ultra Ligerim habitabant Romani id eſt Prouinciales qui adhuc parebant imperio Romano; ſic dicti omnes Provinciales qui erant in orbe Romano. Auctor quæſt. utriuſq; teſtament. c. 107.

Nam quia Romani regnum habent, Hiſpani & Galli & Afri, & cæteri ſubjecti eis, ſub eorum nomine Romani vocantur. Conc. Narbonenſ. ſub Recaredo, *in cuiuſcumque domo Gothi Romani fuerint inventi.* Et idem Auguſtin. Homil. 50. *omnes enim Romani Romanum regnum poſsident, quamvis in eo non omnes regnent, ſed cæteris regnantibus pareant.* Belgicæ partem quæ declinabat ad Rhenum Franci recens partam occupabant.

Burgundiones quoque Arrianorum ſectam ſequentes habitabant trans Rhodanum qui adjacet civitati Lugdunenſi. Burgundiones erant Arriani & tenebant quartam Galliarum partem quâ Rhodanus fluit, cujus erat Lugdunum. Sidon. libr. 5. epiſt. 7 qua notat Chilpericum Burgundionum Regem, *quandiù præſens poteſtas Lugdunenſem Germaniam regit.* Regni Burgundionum finibus etiam Maſſilienſis Provincia continebatur Gregor. infr. h. libr. cap. 32. *Tunc Gundobaldus & Godegiſilus fratres regnum circa Rhodanum aut Ararim cum Maſsylienſi Provincia retinebant.* Hujus regni caput erat Vienna ut dicat Gregorius eod. cap. *Godegiſilus vero obtentâ victoriâ, promiſſâ Chlodoveo aliqua parte Regni ſui cum pace diſceſsit, Viennamque triumphans, tamquam ſi jam totum poſsideret regnum ingreditur.*

Cap. 10. *Sed hæc generatio fanaticis ſemper cultibus viſa eſt obſequium præbuiſſe, nec prorſus agnovère Deum ſibique ſylvarum atque aquarum, avium beſtiarumque & aliorum quoque elementorum finxère formas.* Franci ante Clodoveum Ethnicæ ſuperſtitionis erroribus tenebantur, arbores & fontes quaſi res ſacras colebant & pro dijs habebant, hujus ſuperſtitionis reliquias ſuſtulit Conc. Antiſiodorenſ. can. 3. *Non licet compenſas in domibus proprijs, nec vigilias in feſtivitatibus ſanctorum facere, vel inter ſentes aut arbores, vel ad fontes vota exoluere.* Fanatici ſunt ſacrificuli, & cultores idolorum. Auguſtin. de Geneſ. ad liter. libr. 12. cap. 22. *moris enim erat vt ante prandium peractis ſacrificijs agitatiſque Phanaticis, ſi qui adoleſcentes poſt prandium vellent, eo more ludere, nullus prohiberetur* de quo plura dixi in Gregor. libr. 3. epiſt. 71.

Cap. 11. *Auitus enim vnus ex Senatoribus & vt valde manifeſtum eſt civis Arvernus.* Avitus unus ex Senatoribus Arvernis, ex

præfecto Prætorio Galliarum à Senatu electus Imperator, Avito Conſuli anno quo ſuſcepit Imperium Panegyricus dictus à Sidonio, qui extat inter ejus opera carm. 7. E Senatoribus Gallicanis ſæpius lecti Conſules. Caſſiod. 2. Var. 3. *legit Roma frequenter faſces de mœnibus Gallicanis.*

Baſilicam S. Iuliani Arverni Martyris cum multis muneribus expetivit. Avitus à Senatu Imperio dejectus & Placentinus Epiſcopus ordinatus, cum ibi ſe tutum non crederet, confugit in Arvernos ad baſilicam ſancti Juliani martyris, quę eſt apud Brivatenſem vicum in finibus Arvernorum, ſed in itinere diem obijt. Flagrante Diocletiani perſecutione Julianus martyrium paſſus eſt Brivate apud Arvernos, ubi reliquię ejus ſumma veneratione coluntur de quo Martyrolog. Rom. 28. Auguſti Gregor. noſter de glor. martyr. lib. 2. cap. 1. & idem infr. libr. 10. cap. 29. *Ecce adeſt Iulianus à Brivate* & Fortunat. lib. 7. carm. 4.

Privatum Gabalus, Iulianum Arvernus abundans

Et Sidon. in Propempt. carm. ult.

Hinc te ſuſcipiet benignâ Brivas.
Sancti quæ fovet oſſa Iuliani.

Ejus caput tranſlatum Viennam, & conditum in tumulo Ferreoli martyris de quo Sidon. ipſe libr. 7. epiſt. 1.

Delatuſque ad Brivatenſem vicum ad pedes ante dicti martyris eſt ſepultus, Avitus Brivate ſepultus ad pedes Juliani martyris, votum fidelium erat ſepeliri juxta ſepulchra martyrum, ut præſentes patronos haberent Auguſtin. de curâ pro mortuis agendâ. *Profecto etiam proviſus ſepeliendis corporibus apud memoriam ſanctorum locus, non video quæ ſunt adjumenta mortuorum, niſi ad hoc ut dum recolunt ubi ſunt poſita eorum quos diligunt corpora, eiſdem ſanctis illos tamquam patronis ſuſceptos apud dominum adjuvandos orando commendent.* Conſtantinus in baſilica Apoſtolorum, quam Conſtantinopoli poſuerat inter duodecim Apoſtolorum thecas ſepeliri voluit Euſeb. de vit. Conſtantin. libr. 4. cap. 60. pari conſilio Celſum filiolum Paulinus condidit juxta tumulum martyrum teſtem ipſum habemus carm. 15. ad Pneumatium.

Quem Complutenſi mandavimus urbe, propinquis

Conjunctum tumuli fœdere martyribus.
Vt de vicino ſanctorum ſanguine ducat
Quo noſtras illo purget in igne animas.

Brivate vel Brivatenſis vicus eſt locus in finibus Arvernorum celebris Eccleſiâ S. Juliani Martyris, quæ eſt exempta, & immediatè ſubjecta ſedi Apoſtolicæ de qua Petr. Cluniacenſ. lib. 6. epiſt. 28. *Brivatenſis Eccleſia juri Apoſtolico nullo alio Epiſcopo mediante ſubjecta, juxta propriæ inſtitutionis morem, magna & nobilis diu permanſit* &c. Brivatenſes Canonici Comites dicuntur, propter Brivatentem Comitatum, qui ex donatione unitus eſt Eccleſiæ. Brivate vulgò *Brioude.*

Cap. 12. *Cæpit filias eorum ſtupro detrahere*, Childericus regno pulſus, quod filias primornm ſtupro detraheret, id eſt infamaret. puella ſtupro detrahitur & quaſi minuitur quia confunditur. Statius Thebaïd. libr. 2.

—— Tacitæ ſubit ille ſupremus
Virginitatis amor, primæque modeſtia culpæ
Confundit vultus —— —— Eademque locutione uſus eſt Gregorius infr. libr. 4. cap. 13. de Chramno *ita vt filias Senatorum dans prædonibus, eiſdem vi detrahi jùberet.* Idem eod. lib. cap. 38. *Albinus de ſede exiliens, adprehenſum Archidiaconum detrahit pugnis calcibuſque cædit, & cuſtodia carcerali coarctat* Idem lib. 9. cap. 27. *Et facta nocte, crapulatus à vino miſit pueros, vt detrahentes puellulam, eam thoro ejus adſcirent.*

Cap. 13. *Teſtatur presbyter Paulinus dicens ſi enim hos videas dignos domino Sacerdotes, vel Exuperium Toloſæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdegalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Ecoliſmæ, vel Venerandum Arvernis, vel Alethium Cadurcis, vel nunc Pegaſium Petrocorijs, vt cumque ſe habent ſeculi mala, videbis profecto digniſsimos totius fidei, religioniſque cuſtodes.* Paulinus adhuc presbyter, poſteà Nolanus Epiſcopus ſcripſit epiſtolam, cujus fragmentum extat tantum apud Gregorium hoc loco, in quo meminit clariorum Epiſcoporum Galliæ hujus ætatis, quos inter fuére Exuperius Toloſanus Epiſcopus. Hunc ſanctitatis laude & ſtudio in in pauperes commendat Hieronym. epiſt. ad Ruſticum, ad Furiam

Furiam & Ageruchiam, eidem dicavit commentarium in Zachariam. Ad Simplicium Viennenſem & Amandum Burdegalenſem Epiſcopum extant epiſtolæ Sidonij, & ipſius Paulini.

Manè autem facto, proceſsio ſolemnitatis, funeris ejus obſequium fuit. Venerandus Arvernenſis Epiſcopus diem obijt, Dominici natalis vigiliâ, poſtera die ſolemni funere elatus, & hoc eſt quod voluit dicere Gregorius proceſſionem ſolemnitatis id eſt ſolemnem proceſſionem quæ de more indicta erat in honorem nativitatis Chriſti, fuiſſe converſam in obſequium funeris Epiſcopalis. Dies proceſſionis dicitur dies ſolemnis quia in eo ſolemnis lita ſeu proceſſio ſolet celebrari Auctor quæſt. utriuſque teſtam. cap. 127. *Et Chriſtiano cum uxore ſua convenire aliquando licet, aliquando vero non licet, propter diem enim proceſsionis aliquando non licet convenire.* Natalem domini præcedit vigilia, vigilia non ſine jejunio cap. quæſivit §. feſtum de V.S. Auctor ſermon. ad fratr. in erem. de nativ. B. Joann. ſerm. 25. *Hæc autem feſtivitas non ſolum apud fideles, ſed apud infideles vigiliam habet, quia & dum jeiunamus vigiliam nuncupamus.* & non ſine proceſſione Sidon. 5. epiſt. 17. *conveneramus ad ſancti Iuſti ſepulchrum proceſsio fuerat antelucana, ſolemnitas anniverſaria, cultu peracto vigiliarum.* Gregor. Tur. de mirac. D. Martin. libr. 2. cap. 25. *nam cum in venerabili Dominicæ nativitatis nocte ſacroſanctis deductâ excubijs procedentes de Eccleſiâ ad baſilicam ſancti ire diſponeremus*, &c.

Omnis populus cuncta intentione poſtpoſita, clamavit dignum ac juſtum eſſe. In electione & ordinatione Epiſcoporum populus calculi cauſa acclamare ſolebat Dignus & Juſtus eſt, ut in ordinatione Evodij quem Auguſtinus ſibi ſucceſſorem deſignavit acclamatum eſt à plebe, *Dignus & Iuſtus eſt, Deo gratias, Chriſto laudes, exaudi Chriſte, Auguſtino vita*, ut patet ex ipſis geſtis ordinationis quæ extant apud Auguſtin epiſt. 110. quem morem notat Ambroſius de dignit. Sacerdotal. cap. 5. *Et neſcij homines, & indocti, in ordinationibus eorum clamant, & dicunt dignus & juſtus*, &c.

Feneſtras in altario triginta duas. Perpetuus Turonenſis Epiſcopus ædificavit baſilicam S. Martini extra muros civita- Cap. 14.

tis cujus formam depingit Gregorius. Capſum eſt pars Eccleſiæ diſtincta ab altari , quæ capit ſeu continet plebem , quæ erat diviſa ab ordine clericorum Cancellis altaris , eodem ſenſu infra hoc cap. ſubjungitur. *Oſtia octo tria in altario, quinque in capſo*, Altarium eſt pars Eccleſiæ in qua ſtabant Clerici, juxta altare intra cancellos. Capſum eſt pars illa quæ cancellis ab altari dividitur Conc. Turon. 2. can. 4. quem Raimundus retulit ex Conc. Moguntino in cap. 1. ext. de vit. & honeſt. Cleric & ita Altarium ab Altari diſtinxit Gregor. de mirac. B. Martin libr. 1. cap. 5. *Factum eſt autem ut illa dominica, Prophetica lectione jam lecta, ante Altarium ſtante, qui lectionem B. Pauli proferret, Beatiſsimus Antiſtes Ambroſius ſuper ſanctum Altare obdormiret* ita Gregorius infr. h. libr.. cap. 21. *atque ad gratias Deo tempore nocturno reddendas ad Altarium eccleſiæ conſurgebat.* Idem infr. libr. 6. cap. 11. *Dum diverſa inter ſe ſuper Altarium conferunt, recedentes ab altario Salutatorium ingrediuntur.* Nè dubitemus Capſum eſſe partem illam Eccleſię in qua ſtabat plebs confirmat idem Gregorius infr. proximo cap. in deſcriptione formæ Eccleſiæ quæ condita eſt à Namatio Epiſcopo apud Arvernos. *Hic Eccleſiam quæ nunc conſtat, & veterrima intra muros civitatis habetur, ſuo ſtudio fabricavit, habentem in longum pedes centum quinquaginta, in latum pedes ſexaginta, in altum infra capſum vſque cameram pedes quinquaginta.* Rectè Gallicus interpres vertit *la nef de l'Egliſe.* Eadem analogiâ pars media corporis humani ſive umbilicus Capſum dicitur. Arnob. in pſalm. 134. *Simulachra enim in quibus ſpem habuit, habentia membra omnia ſine ſenſu, & capſum ſine ſpiritu.* Camera verò eſt fornix ſeu teſtudo templi ut & ſupr. prox. cap. *in altum vſque ad Cameram.* Gregorius de glor. martyr. cap. 47. *Dum in honorem ipſorum martyrum miſſarum ſolemnia celebrarentur, cecidiſſe è camera tabulam vnam.*

Solemnitas enim ipſius baſilicæ triplici virtute pollet, id eſt dedicatione templi, tranſlatione corporis ſancti, vel ordinatione ejus Epiſcopi Horum verborum ſententia eſt in baſilica S. Martini Turonenſis tres dies ſolemnes celebrari, diem dedicationis Eccleſiæ, quia dies dedicationis Eccleſiæ ſolemniter colitur ex more antiquo Felix epiſt. 1. cap. 1. & 2. *Solemnitates dedi-*

cationum Eccleſiarum Epiſcoporum & Sacerdotum per ſingulos annos ſolemniter ſunt celebrandæ. Can. ſolemnitates 1. & 2. de Conſecrat. diſt. 7. Gregor. P. lib. 10. epiſt. 71. *vt Die dedicationis vel natalitio ſanctorum Martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur religioſis convivijs ſolemnitatem celebrent.* Dies tranſlationis corporis ſancti Martini, quia Dies tranſlationis corporis ſanctorum ſolemniter celebrantur Ambroſ. epiſt. 85. de tranſlatione corporum ſancti Gervaſij & Prothaſij Martyrum, *quod multa condivimus integra corpora SS. Gervaſij, & Prothaſij, ad ordinem tranſtulimus veſpere jam incumbente ad Baſilicam Fauſtæ, ibi vigiliæ noctè, manus impoſitio.* Celebratur etiam ſolemnis Dies Elevationis ſeu relevationis Martyrum idem in Pſalm. 118. ſerm. 6. *Celebramus enim Diem quo revelata ſunt populis corpora ſanctorum Martyrum.* Dies ordinationis B. Martini Epiſcopi, Dies anniverſarius Ordinationis Epiſcopi ſolemniter celebrari ſolebat. Auguſtin. de Verb. Domini ſerm. 32. *Dies anniverſarius Ordinationis Domini ſenis Aurelij craſtinus illuceſcit, rogat & admonet per humilitatem meam charitatem veſtram vt ad Baſilicam Fauſti devotione venire dignemini.* Idem Homil. 24. *Verumtamen cum Dies anniverſarius noſtræ ordinationis exoritur, tunc maximè honor hujus officj tamquam primo imponatur attenditur* Ambroſ. in Luc lib. 1. cap. 16. *Honora patrem tuum & matrem. Pulchrè mihi hodie legitur legis exordium, quando mei natalis eſt Sacerdotij, quot annis enim quaſi de integro videtur incipere Sacerdotium, quando temporum renovatur ætate.*

In ante abſidem rotundam habens, ab utroque latere aſcellas eleganti conſtructas opere. Deſcribitur Eccleſia quam Namatius poſuit in civitate Arvernorum, in ante, id eſt in anteriori parte habebat abſidem in orbem conſtructam. Abſis eſt locus editior in anteriori parte Eccleſiæ curvato opere aſſurgens, ſub quo erat ſedes Epiſcopi, unde ſedes abſide appellatione continetur, quia ſub abſide eſt Auguſtin. epiſt. 225. *Dicebam ego quibus poteram, qui ad nos in abſidem honoratiores & graviores aſcenderant.* Evodius de mirac. B. Stephani lib. 1. cap, 3. *Cum in loco Abſidæ ſuper Cathedram velatam eſſent reliquiæ conſtitutæ*, quia locus erat eminentior per gradus aſcen-

debatur in abſidem, inde Abſides gradatæ Auguſtin epiſt. 203. *Tranſit honor hujus ſeculi, tranſit ambitio, in futuro Chriſti judicio nec Abſidæ gradatæ, nec Cathedræ velatæ, nec ſanctimonialium occurſantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defenſionem.* Evodius lib. 2. cap. 1. *Ipſaque etiam per ſe gradus Abſidæ conſcendens univerſis eminus conſpicienda adſtabat.* Ante Abſidem Epiſcopus reconciliabat publicos pœnitentes. Conc. Carthag. 3. can.32. *Cujuſcumque autem pœnitentis publicum & vulgatiſsimum crimen, quod univerſam commoverit Eccleſiam, ante Abſidem manus ei imponatur.* Can. Presbyter 26. qu. 6. & Conc. Carthag. can. 46. apud Balſamo. Plerumque abſis eccleſiæ propter dignitatem Cathedræ Epiſcopalis, quæ in ea eminebat, eleganti opere conſtructa erat, nempe tabulis marmoreis, & opere muſivo adornata. Paulin. epiſt. 12. ad Severum de Baſilica B. Fœlicis. *Abſidem ſolo, & parietibus marmoratam, Camera muſivo illuſa clarificat.* Leo Oſtienſ. Chronic. Caſſinenſ. libr. 3. cap. 27. *Vt alij abſidam, & arcum atque veſtibulum majoris eccleſiæ muſivo componerent.* ideò ante abſidem erat atrium Gregor. de mirac. Divi Martini libr. 3. cap. 57 *Igitur ante diem tertium feſtivitatis hoc in atrio quod abſidam corporis ambit.* Abſis erat opus cameratum id eſt fornicatum Plin. libr. 12. epiſt. 17. *Cubiculum in abſida curvatum.* Caſſian. collat. 24. cap. 6. *velut ſi quis abſidis Cameram volens in ſublime concludére, ſubtiliſsimè illius centri lineam jugiter circumducat.* Gregor. de vit. patr. cap. 7. *ante altare baſilicæ fundamenta jecit, erectaque abſida miro opere conſtruxit, & tranſvoluit*, idem libr. 10. cap. 30. *Hic ſubmota baſilicâ quàm prius Briccius Epiſcopus ædificaverat, ædificavit aliam ampliorem miro opere, in cujus abſida beatum corpus venerabilis ſancti tranſtulit.* Aſcellæ ſunt alæ ſeu latera eccleſiæ quæ dicuntur aſcellæ à comparatione partium corporis humani, aſcella eſt ala ſeu axilla cava pars brachij Gregor. infr. lib. 4. cap. 31. *naſcente in inguine, aut in aſcella vulnere.* Idem lib 7. cap. 29. *Cumque Claudius elevata dextera cultrum ejus pectori injeciſſet, & ille non ſegniter ſub aſcella illius pugionem defixiſſet.* Idem de mirac. B. Martin lib. 3. cap. 14. *Hic deorſum proclivis, nequaquam ſurſum poterat erigi, ſed duobus*

in aſcillis fuſtibus additis incurvus agebat greſſum, aſcellæ ſeu latera eccleſiæ eleganti opere conſtructa erant, id eſt muſivo opere adornata.

Totumque ædificium in modum crucis habetur expoſitum. Eccleſia quam extruxit Namatius apud Arvernos erat ſtructa in modum crucis. Eadem fuit forma ædis ſacræ Symeonis Stilitæ apud Antiochiam. Evagr. libr. 1. cap. 24. σύγκειται μὲν σταυροῦ δίκην, ἐκ τῶν τεσσάρων πλευρῶν στοαῖς κοσμουμένη παρατετάχθαι.

Parietes ad altarium opere Sarſurio ex multo marmorum genere exornatos habet. Perſequitur deſcriptionem eccleſiæ quæ condita eſt à Namatio, parietes ad altarium, id eſt quatenus regnat pars illa in qua eſt ſtatio clericorum circa altare, opere ſarſurio id eſt opere tectorio, vario marmore exornati erant. Opus ſarſurium eſt opus tectorium, quod varium eſt & multiplex ſic dictum non ineptè à Latino ſarcio, reficio quod eſt opus tectorum. Appoſitè Tertullian. de Idololatr. *Scit Albarius tector & tecta ſarcire, & tectoria inducere, & ciſternam liare, & cymathia diſtendere* Parietes Baſilicarum & publicorum ædificiorum ſolebant ornatus cauſa vario marmore incruſtari, unde abſis marmorata Paulino epiſt 12. ad Severum. *Abſidem ſolo & parietibus marmoratam Camera muſivo illuſa clarificat*, memorię marmoratæ id eſt monumenta marmorata Auguſtin. in pſalm. 33. *Marmoratas, aurataſque memorias* eidem in pſalm. 48. *Deinde memoriam qualem habet, quam marmoratam, vivit in ipsâ memoriâ, ille vbi mortuus eſt.*

Quam cum fucis colorum adornare vellet, tenebat li- Cap.
brum in ſinu ſuo, legens hiſtorias actionis antiquas, picto- 17.
ribus indicans, quæ in parietibus fingere deberent. Uxor Namatij Epiſcopi Arvernenſis ſuo ſumptu condidit Baſilicam ſancti Stephani, in ſuburbano civitatis, quam cum picturis adornari vellet, & ei propoſitum eſſet depingi hiſtoriam paſſionis Martyris, ad hoc in manibus habebat hiſtorias actionis antiquas, id eſt acta paſſionis martyris, pictoribus indicans quid nam vellet depingi. Geſta martyrum Hiſtorias paſſionum martyrum vocabant vete-

res. Beda Hiſtor. libr. 5. cap. 21. *Sed & hiſtorias paſſionum eorum, una cum cæteris eccleſiaſticis voluminibus ſummâ induſtriâ congregans ampliſsimam ibi ac nobiliſsimam Bibliothecam fecit.* Acta martyrum ſumma diligentia cuſtodiebantur in archivo eccleſiæ Auguſtin. in breviculo collat. *Geſta martyrum quibus oſtendebatur tempus perſecutionis Conſulibus facta ſunt Diocletiano novies, & Maximiano octies pridie idus Februarij* & infr. *quod Catholici quoniam tunc inquirere, & ad horam veteres chartas in archivis eccleſiaſticis diſcutere non poterant reſpondebant* & rurſus infr. *quamvis perſecutione fervente ſicut in ipſis geſtis martyrum monſtrabatur, qui confitebantur in paſsionibus ſuis ſe collectam & dominicum egiſſe* & infr. *nam & domum privatam Chriſtianis congregandis præſtitam conſtitit tempore perſecutionis, ſicut in quibuſdam geſtis martyrum loquebatur.* Geſta martyrum lectitari ſolebant in eccleſia in die natali, id eſt anniverſario die paſſionis eorum Conc. Carthaginenſ. celebratum anno Dom. 401. can. 13. *Liceat & legi paſsiones martyrum, cum anniverſarij dies eorum celebrantur* Gregor. de glor. martyr. libr. 1. cap. 86. *Dies paſsionis erat Polycarpi Martyris magni, & in Ricomagenſi vico civitatis Arvernæ, ejus ſolemnia celebrantur. lecta igitur paſſione cum reliquis lectionibus, quas Canon Sacerdotalis invexit tempus ad ſacrificium offerendum advenit.* Legebatur & vita Confeſſorum in eorum die feſto Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 2. cap. 49. *Deniquo Sacerdotibus qui advenerant, ad agenda ſalemnia procedentibus, cum lector, cui legendi erat officium adveniſſet & accepto libro vitam ſancti cœpiſſet legere Confeſſoris.* Vel ſi malis mulier legebat librum continentem hiſtorias actionis id eſt effigiem depictam paſſionis martyris, veteres enim hiſtorias Sanctorum, ſeu Martyrum vocabant, effigies penicillo vel ſtylo, vel acu depictas in tabulis libris vel veſtibus. Anaſtaſ. in Leone IV. *Fecit autem iſdem egregius Pontifex in monaſterio S. Martini miræ pulchritudinis veſtem habentem hiſtoriam ſancti jacentis in lectulo cum effigie Salvatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti* & infra *fecit idem in Baſilica Sanctorum quatuor fratrum veſtem de fundato unam habentem hiſtoriam ipſorum ſanctorum Martyrum*, & infra *obtulit*

etiam in eccleſia Beati Petri Principis Apoſtolorum, coronam ex argento, cum hiſtorijs à foris circumdatam. Idem in Nicolao I. *Simili modo & in eccleſia Beati Petri Principis Apoſtoli nutritori ſuo obtulit vela in arcus Presbyterij habentem* (l. Habentia) *hiſtoriam, leonum figuras numero quadraginta.* Moris antiqui fuit Eccleſias varijs Sanctorum imaginibus depingi Gregor. Turon. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 65. de eccleſia S. Antoliani Martyris apud Arvernos quam fundarunt Alchima, & Placidina. *Erectis tamen parietibus ſuper altare ædis illius turrem à columnis pharis heracliiſque tranſvolutis arcubus erexerunt, miram cameræ fuçorum diverſitatibus imaginatam adhibentes picturam.* Et ante Auguſtin. de Conſ. Evangeliſt. libr. 1. cap. 10. *Hic omninò errare meruerunt, qui Chriſtum & Apoſtolos ejus, non in ſanctis codicibus, ſed in pictis parietibus quæſierunt.* Varijs picturis ornari ſolebant etiam ſepulchra ſanctorum Gregor. de glor. confeſſ. cap. 35. *quia ipſa hiſtoria ſepulchrorum de virtutibus Domini & Apoſtolorum ejus expoſita ſunt.* de quo plura in Anaſtaſ. in Gregor. 2.

Et benedictionem ex ea ſingulis diebus ſumens, donec expenſa eſt, uxor Namatij Epiſcopi Arvernenſis cum ſederet in Baſilica Stephani martyris à ſe conditâ, veſte nigra amictâ & jam vetula, pauper quidam qui orationis cauſa baſilicam ingreſſus erat, credens eam unam de egentibus, quadram panis dedit, quà acceptâ ſanctiſſima mulier benedictionem ex eâ per ſingulos dies ſumpſit, donec conſumpta eſſet. Benedictio eſt refectio, vel panis qui benedictionis nomine datur in vit. Ludovic. P. *Qum primo vere à patre dimitteretur interrogatus eſt ab eo, cur Rex quum eſſet, tantæ tenuitatis eſſet in re familiari, vt nec benedictionem quidem niſi ex poſtulato ſibi offerre poſſet*, & infra. *Et benedictione panis ac vini ſimul participata, Imperator ad civitatem redijt, Dominus Apoſtolicus ibidem remanſit.* Odo Cluniacenſ. vit. S. Gerald. libr. 2. cap. 19. *Et omnibus qui aderant particulas, pro benedictione dedit.* Græci εὐλογίαν vocabant, unde Latini Eulogiam, Paulin. epiſt. 1. ad ad Severum *Panem Campanum de cellulâ noſtra tibi pro eulogia miſimus.* Idem epiſt. 45. ad Alipium. *Panem vnum ſanctitati tuæ vnitatis gratia miſimus, in quo etiam Trinitatis ſoliditas*

continetur. Hunc panem eulogiam eſſe tu facies dignitate ſumendi. De quo plura dicemus infra alio loco.

Cap. 18. *Britanni de Biturica à Gothis expulſi ſunt, multis apud Dolenſem vicum interemptis.* Biturica eſt in prima Aquitaniâ, matrix totius Aquitaniæ, quæ erat juris Gothorum ex traditione Honorij, à quo Aquitania conceſſa eſt Gothis. Sigebert. ad ann. 417. *Honorius pacto fœdere cum Gothis Aquitaniam traditis.* Inde poſtquam Aquitania provecta eſt in Regni apicem Biturica fuit caput regni Aquitaniæ Adrevald. de mirac. S. Benedict. libr. 1. cap. 32. *Teſtatur hoc Pictavis fæcundiſſima quondam urbs Aquitaniæ, ipſumque Avaricum caput regni Aquitaniæ.* Gothi igitur jure ſuo uſi ſunt cùm Bituricam recepére à Britannis qui eam occupaverant, de quo Jornandes de reb. getic. cap. 45. Sigebert. ad ann. Chr. 470. Britanni hoc loco ſunt populi, qui à Saxonibus Britanniâ pulſi conſedére in ea Galliæ parte, quę olim Armorica, Britanni, vel Britones promiſcuè dicti Auſon. Epigr.107. Vicus Dolenſis eſt nobile & antiquum caſtrum in finibus Biturigum cujus meminit & Turonenſ. de glor. confeſſ. cap. 92. *In Dolenſi autem Biturigi termini vico* &c de quo plura rer Aquitanic. lib. 1. cap. 8. vulgo *Bourg Deolz* ſive *Bourg Dieu en Berry.*

Cap. 19. *Inter Saxones & Romanos bellum geſtum eſt.* Bellum geſtum à Romanis cum Saxonibus, qui Britanniam inſulam nuper occupaverant pulſis indigenis, quod inſinuant verba quæ ſequuntur. *Inſulæ eorum à Francis captæ, atque ſubverſæ ſunt.* Inde Saxones littus Aquitanicum Myoparonibus, id eſt navibus Piraticis valde infeſtum habebant Sidon. lib. 8. epiſt. 6. ad Namatium. *Subitus à Santonis Nuntius conſtanter aſſeveravit nuper vos claſsicum in claſſe ceciniſſe, atque inter officia nunc nautæ, modò militis, littoribus Oceani curvis inerrare contra Saxonum pandos Myoparones.* Idem in Panegyric. Aviti.

Quin & Aremoricus Pyratam Saxona tractus.
Sperabat, cui pelle ſalum ſulcare Britannum
Ludus.

Cap. 20. *Eoricus autem Gothorum Rex Victorium Ducem ſuper ſeptem civitates præpoſuit.* Eoricus Rex Gothorum Arvernis in ditionem

tionem redactis Victorium Ducem ſeptem civitatibus impoſuit, quorum primariam fuiſſe civitatem Arvernorum & ejus ſedem ex eo colligitur, quod primum Arvernos venit & civitatis ornandæ & ampliandæ ſtudioſus, civitatis ambitum augere voluit, ſic enim interpretor illa verba quæ mox ſequuntur *qui protinus Arvernos adveniens, civitatem addere voluit*, & quod magis patrocinatur interpretationi, eſt quod adjicit Gregorius, adhuc perſtare cryptas ad Baſilicam S. Juliani quaſi incœpti operis veſtigia, *unde* inquit *& Cryptæ illæ uſque hodiè perſtant ad Baſilicam* S. *Iuliani*. Victorius Dux eſt idem quem Comitem Patronum, & filium jure diverſo vocat Sidon. lib.7. epiſt. 17. *Ampliſſimi viri Victorij Comitis devotione præventus, quem jure ſeculari Patronum, jure eccleſiaſtico filium excolo vt cliens, vt pater diligo.* Victorius Dux ſeptem civitatibus impoſitus memoratur quia Duces præerant ſingulis Provincijs quæ conſtant pluribus ex civitatibus Gregor. infr. lib. 8. cap. 18. *Nicetius per emiſſionem Eulalij à Comitatu Arverno ſubmotus, Ducatum à Rege expetiit, datis pro eo immenſis muneribus, & ſic in vrbe Arvernâ, Ruthenâ atque Vceticâ Dux ordinatus eſt* & idem cap. 26. ejuſd. libr. *Turonicis vero atque Pictavis Ennodius Dux datus eſt* & idem lib 9. cap. 7. *Ennodius cum Ducatum vrbium Turonicæ, atque Pictavæ miniſtraret, adhuc & vici Iulienſis, atque Benarnæ vrbium principatum accepit.* Inde eidem lib. 6. cap. 4. Memoratur Lupus Dux Camponiæ de quo dixi de Ducibus, & Comitibus Provinc. lib. 1. cap. 4. de Victorio Duce meminit & Gregor. de vit. Patr. cap. 3. *erat enim eo tempore ſanctus Sidonius Epiſcopus, & Victorius Dux, qui ſuper ſeptem civitates Principatum Eorico Gothorum Rege indulgente ſuſceperat.*

Ipſi Sacerdoti in ipſo quod modo Salutatorium dicitur manſio erat. Cap. 20.
Hoſpitium ſeu tectum Namatij Epiſcopi Arvernenſis quod erat juxta Eccleſiam Salutatorium dicitur propter officium hoſpitalitatis, & honeſtatis publicæ quod ibi colebatur in peregrinos & hoſpites eodem ſenſu Gregor. infr. lib. 6. cap. 11. *quo non intelligente, dum diverſa inter ſe ſuper Altarium conferunt, recedentes ab altario Salutatorium ingrediuntur*, idem lib. 7. cap. 22. *habebat enim pro timore Regis, in ip-*

ſo Salutario Baſilicæ manſionem Græcis ἀσπασικὸν ut apud Theodorit. lib. 5. cap. 17. Theodoſius aditu templi prohibitus ab Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo, abſtinuiſſe memoratur, & abſolutionis petendæ gratia Epiſcopum conveniſſe ἐν τῷ ἀσπασικῷ οἴκῳ. μιτατόριον Cedreno in Leone Philoſopho de quo plura de Ducib. & Comit. lib. 1. cap. 16.

Atque ad gratias Deo tempore nocturno reddendas ad altarium eccleſiæ conſurgebat. Namatius Epiſcopus de nocte ſurgebat orandi cauſa ad altarium eccleſiæ. Altarium eſt aliud ab altari, nimirum eſt pars interior eccleſiæ, continens altare, quæ Cancellis dividitur ab exteriori parte eccleſiæ ut jam obſervatum eſt.

Sed ſigno ſanctæ Crucis munitus nihil ei inimicus nocere potuit. Signo Crucis fugatur Dæmon à Namatio Epiſcopo, hoc ſigno fugantur Dæmones Gregor. de vita Patrum cap. 7. in Gregor. Lingonenſi Epiſcopo, *adduci eos ad ſe iubens, ſine vllo tactu, facto tantum ſigno Crucis, è contra verbo Dæmonia diſcedere imperabat, quod illa protinus audientia, corpora quæ ſua nequitia divexarant abſolvebant.* Auguſtin. ſeu alius auctor quæſt. utriuſque teſtamenti cap. 114. *ſed præſente ſigno Crucis obtumeſcit Paganitas*, & infr. *vnde cuncta Dæmonia ſive Dii gentium, nominatâ Cruce Chriſti terrore concutiuntur.*

Ferunt etiam ipſum in arce Cantobennici montis Monaſterium collocaſſe; ubi nunc oratorium eſt, & ibi ſe diebus Quadrageſimæ ſanctæ recludére. Namatius Epiſcopus per tempus quadrageſimæ ſecedebat, orationis causâ, in monaſterium quod extruxerat in Arce, id eſt in faſtigio Cantobennici montis, *c'eſt Chantoin.* Epiſcopi tempore quadrageſimæ jejunij & orationis cauſæ ſecedebant in Eremum vel in Inſulam de Palladio Santonenſi Epiſcopo teſtatur & Gregor. lib. 8. cap. 43. *erant autem eo tempore Dies quadrageſimæ ſanctæ, & Epiſcopus in Inſulam maris orationis cauſa ſeceſſerat.* De Eadberto Lindiffarnenſi Epiſcopo in Anglia Beda hiſtor. lib. 4. cap. 30. *Qui tum fortè in remotiori ab Eccleſia loco, refluis vndique Pelagi fluctibus cincto Solitarius manebat, in hoc etenim ſemper quadrageſimæ tempus agere in hoc quadraginta ante Domini-*

cum natale dies, in magna continentia orationis & lachrymarum devotione tranſigere ſolebat.

Die autem Cœnæ Dominicæ cum magno pſallentio comitantibus clericis, civibuſque ad Eccleſiam ſuam revertebatur. Namatius emenſa quadrageſima in ſeceſſu, die Cœnæ Dominicæ revertebatur ad eccleſiam proſequente clero, & plebe, idem de Palladio Gregor. loco modo laudato *ſecundum conſuetudinem autem dum ad Dominicæ cœnæ feſta ad Eccleſiam populo expectante rediret.*

Sidonius ex præfecto ſubſtituitur. Sidonius Apollinaris vir Senatorij ordinis, ex Præfecto urbis ab Anthemio Imp. factus eſt Epiſcopus Arvernenſis, Sidonium fuiſſe Præfectum urbi teſtis eſt ipſe de ſe lib. 1. epiſt. 9. *Egit cum Conſule meo vt me Præfectum faceret Senatui ſuo.* Præfectus urbi ſc. erat Caput Senatus. l. 3. C. de offic præf. urb. Symmach. lib. 10. ep. 62.

Fuit in Monaſterio B. Cyriaci vrbis ipſius Abbas Abraham nomine. Abraham Abbas condidit Monaſterium S. Cyriaci in Arvernis de quo Greg. de vit. Patr. cap. 3. ejus Epitaphium metro ſcripſit Sidon. lib. 7. epiſt. 18.

In Præfatione libri quem de Miſsis ab eo compoſitis coniunximus. Sidonius in Epiſcopatu librum de miſſis id eſt officijs Dominicis & ſolemnibus Miſſarum ſcripſit, cui præfationem ſuo ſtilo ſe adjeciſſe ait Gregorius.

Vt ab omnibus miraretur, miror paſſivè pro cum admiratione conſpicior Gregor. infr. lib. 3. cap. 24. *tantis enim muneribus ditavit, vt ab omnibus miraretur.*

Signum ad Matutinas audiens fuiſſe commotum. Officium Eccleſiaſticum per horas diſtinctum, primum eſt Matutinum quod incipit illuſceſcente die, unde Matutinæ. Ad Matutinas, & alias ſingulas horas mos antiquiſſimus eccleſiæ eſt ut conveniatur ſigno dato ſeu pulſato. Gregor. de mirac. B. Martini lib. 1. cap. 33. *mane autem facto, ſigno ad Matutinas commoto, reverſi ſumus dormitum.* & idem lib. 2. de mirac. ejuſdem cap. 11. *Manè autem facto moto matutinis ſigno ſuper pedem debilem conſtitit* idem cap. 45. ejuſd. lib. *Viſum eſt eis, quaſi ſignum quod Matutinis commoveri ſolet, audiſſent* idem infr. lib. 3. cap. 15. *qui dum per plateam præteriret ſignum ad Matutinas mo-*

tum eſt idem lib. 6. cap. 25. *Cum Die Dominico ad vrbem Turonicam ad Matutinas ſignum commotum fuiſſet, & populus ſurgens ad Eccleſiam conveniret.*

Ingreſſus autem in ſeceſſum ſuum, dum ventrem purgare nititur, ſpiritum exhalavit. ſeceſſus pro Latrinâ ut infr. hoc cap. *Elevato puer velo oſtij reperit dominum ſuper cellulam ſeceſſus defunctum* & paulo poſt *non minoris criminis hunc eſſe reum, quam Arrium illum, cui ſimiliter in ſeceſſu fuére interna depoſita*, Latrina Græcis ἀφεδρὼν recentioribus Latinis ſeceſſus Matth. 15. καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται, *& vadit in ſeceſſum*, narrat Gregorius infelicem exitum presbyteri contumacis in Sidonium Epiſcopum quem ait expiraſſe in ſeceſſu ut Arrium, eadem voce pro Latrina uſus eſt Gregor. infr. libr. 9. cap. 6, *De quo tantus pædor egrediebatur, vt omnium cloacarum atque ſeceſſuum fœtores fœtor ille devicerit.* Romæ & Conſtantinopoli erant Latrinæ publicæ ſeu foricæ, quarum conductores foricarios appellabant, l. cum quidam §. fiſcus ff. de uſur. Tales erant Latrinæ in quibus Arrium ejectis viſceribus defeciſſe refert Socrat. libr. 1. cap. 25. ἐρόμενος τε εἰ ἀφεδρὼν πῃ πλησίον, *interrogans vtrum Latrinæ eſſent in proximo.*

Expectabat enim puer à foris cum cereo, dominum egreſſurum veteres cereis utebantur pro facibus, Gregorius infr. libr. 5. cap. 3 *Nam ſi ante eum vt aſſolet convivio vtenti puer cereum tenuiſſet, nudari eius tibias faciebat, atque tamdiu in his cereum comprimi, donec lumine privaretur.* Idem libr. 9. cap. 44. *Mane autem facto procedente Rege ad matutinas, ac praeunte cereo.*

Elevato puer velo oſtij, reperit dominum ſuper cellulam ſeceſſus defunctum, vela opponebantur ad fores etiam privatarum ædium Sidon. libr. 4 ep. 24. *cilicum vela foribus appenſa*, etiam ad fores ſcholarum vela apponebantur & Proſcholus ſtabat ad velum, id eſt ad limen ſcholæ Auguſtin. de verb. Apoſtol. ſermo 23. *Dicam quid fecerit pauperrimus homo, nobis apud Mediolanum conſtitutis, tam pauper vt Proſcholus eſſet grammatici. ſed planè Chriſtianus quamvis ille eſſet Paganus grammaticus, melior ad velum, quam ad cathedram*, vela ad fores regiarum vel ſenatoriarum ædium imprimis appone-

bantur, Lamprid. in Alexandro Severo *ſalutabatur vero quaſi vnus de Senatoribus patente velo admiſsionalibuſque remotis*, id eſt remotis oſtiarijs, qui à velo dicebantur velarij, vel allevantes quia velum levabant. Ad fores auguſtarum ædium erant vela Anaſtaſ. in Sylverio *& ad primum, & ſecundum velum retinuit omnem clerum*, idem in Gregorio 4. *vela Alexandrina tria ante portas majores pendentia, habentia homines & caballos*, ad limen curiæ erat velum, inde audire cauſas velo levato l.pen.C.de naufrag. *c'eſt à huis ouvert*, & pro foribus erant cancelli ad ſubmovendam turbam, Sidon. libr.1. ep. 2. *Pellitorum turba Satellitum, pro foribus immurmurat, excluſa velis, incluſa cancellis.*

Factum eſt autem poſt hæc ut accedente febre ægrotare cœpiſſet, cum rogat ſuos vt eum in eccleſiam ferrent, ægrotantes deſperati quandoque deferebantur ad eccleſiam, ut commendarentur ſuffragijs Sanctorum. Auguſtin. Homil. 41. *Equidem Chriſtiani ægrotant homines, mittunt ad eccleſiam, vel portantur ad eccleſiam, & baptizantur & renovantur, & felices hinc erunt.* Gregorius ipſe de mirac. S. Martin. libr. 2 cap. 3. *Quæ jam valde exanimis rogavit, vt eam ad pedes ſancti Martini deferrent.*

Adveniente die dominico qui imminebat poſt tranſitum ſancti viri, Mors Sanctorum dicitur tranſitus, quia per eam tranſitur ad meliorem vitam Jo. Chryſoſtom. in Joann. cap. 71. in illa verba quia venit hora ut tranſeat obſervat Chriſti mortem appellari μετάβασιν tranſitum ὅτι ὁ θάνατος αὐτοῦ μετάστασίς ἐστι καὶ μετάθεσις ἀμείνων, *quia mors eius eſt tranſlatio ad meliora.* Cap.

Præparato epulo juſſit cunctos cives in domo eccleſiæ invitari, 17. presbyter quidam qui Sidonio Epiſcopo dum viveret nimis infenſum ſe præbuerat, eo morte ſublato, quaſi jam eſſet Epiſcopus, civibus epulum exhibuit in domo Epiſcopali. Mos antiquus fuit ut initio ordinationis Epiſcoporum epulum præberetur civibus in ædibus Epiſcopalibus. Badegiſilum Cenomannenſem Epiſcopum quinquennale epulum civibus adminiſtraſſe refert Gregorius infr. libr. 8. cap. 39. *Quinto autem anno Epiſcopatus ſui expleto, cum jam ſextum ingrediens epulum civibus cum immenſa lætitia præparaſſet à fe-*

bre correptus. Apud Gentiles aditiales] cœnæ præſtabantur pro aditu ſeu auſpicio Sacerdotij Varro de re ruſtic. libr. 3. cap. 5. de Pavonibus. *Primus hos Q. Hortenſius augurali adjiciali cœnâ poſuiſſe dicitur*, quod repetit Plin. libr. 16.cap. 20. *Pauonem cibi gratiâ Romæ primus occidit Orator Hortenſius, aditiali cœnâ Sacerdotij.* Idem libr. 29. cap. 4. *Et in cœnis eorum etiam nunc ponitur catulina, aditialibus quidem epulis celebrem fuiſſe, Plauti fabulæ indicio ſunt*, Hoc genus epularum quo ſumptu conſtiterit obſervavit Senec. epiſt. 95. *& tricies tamen H. S. adjiciales cœnæ frugaliſsimis viris conſtiterunt cui adſiſtebant multi Sacerdotum in albis veſtibus.* Veſtis Sacerdotum eſt alba, nimirùm linea. Hieronym. adverſ. Pelag. libr. 1. *Quæ ſunt rogo inimicitiæ contra Deum, ſi tunicam habuere mundiorem, ſi Epiſcopus Presbyter, & Diaconus & reliquus ordo Eccleſiaſticus in adminiſtratione ſacrificiorum candida veſte proceſſerint.*

Interea cum jam terror Francorum reſonaret in his partibus, & omnes eos amore deſiderabili cuperent regnare, ſanctus Aprunculus Lingonicæ civitatis Epiſcopus, apud Burgundiones cœpit haberi ſuſpectus. Ea tempeſtate tœdio Burgundici & Gothici dominatus ſtudia Gallorum & ſpes convertebantur ad Francos quaſi futuros liberatores Galliarum. Indigenis minus ſuſpectum erat imperium Francorum de labefactatione fidei licet eſſent Pagani & Fanatici ut ſupra dictum, quam Burgundionum & Gothorum qui erant Arriani, quia jam Paganorum nomen, erat vile & contemptum, eorum errores ridebantur, & ſpes erat ut faciliùs Pagani converterentur quam Arriani. Auguſtin. de verb. Domin. ſermo. 1. *Si quæris vnde vincantur Pagani, vnde illuminentur, vnde ad ſalutem revocentur, deſerite omnes ſolemnitates, deſerite nugas ipſorum, etſi non conſentiant veritati noſtræ, erubeſcant paucitati.* Idem contra Fauſtum libr. 20. cap. 9. *proinde vos Paganis iſtis, qui vulgò noti ſunt, & antiquitus fuerunt, & in reliquiis ſuis jam nunc erubeſcunt, prorſus deteriores eſtis.* Aprunculus Lingonenſis Epiſcopus cum de ſtudio in Francos Burgundionibus ſuſpectus eſſet, & de ejus nece conſilium initum eſſet, eo cognito fugâ evaſit in Arvernos, ubi lectus in Epiſcopum, & Sidonij ſuc-

ceſſorem. Eadem cauſa Quintianus Rutenenſis Epiſcopus ſuſpectus Gothis,quod ſtuderet Francis urbe pulſus ſeceſſit in Arvernos de quo Gregorius infr. hoc libr. cap. 36. *Multi iam tunc ex Gallis habere Francos dominos ſummo deſiderio cupiebant, vnde factum eſt vt Quintianus Ruthenorum Epiſcopus per hoc odium ab vrbe depelleretur, dicebant enim ei quia deſiderium tuum eſt vt Francorum dominatio poſsideat terram hanc* idem de vit. Patr. cap. 4. *non poſt multum vero tempus orto inter cives & Epiſcopum ſcandalo, Gothos qui tunc in antedicta vrbe morabantur ſuſpitio attigit, quod ſe vellet Epiſcopus Francorum ditionibus ſubdere, conſilioque accepto cogitaverunt eum perfodere gladio.* Parem ob ſuſpicionem Voluſianus Epiſcopus Turonenſis à Gothis pulſus ſede ſuâ, Gregorius infr. h. libr. cap.26 *In cujus loco Voluſianus vnus ex Senatoribus ſubrogatus eſt,ſed à Gothis ſuſpectus habitus Epiſcopatus ſui anno ſeptimo in Hiſpanias eſt quaſi captivus abductus, ſed protinus vitam finivit.* Nec vana fuit ſpes GallorumClodoveus enim brevi à Remigio Rhemenſi Epiſcopo cùm ſuis baptiſmum ſuſcepit, & Burgundiones Gothoſque è Gallijs ſuſtulit.

Nocte à caſtro Divionenſi per murum demiſſus Arvernos advenit. Divione caſtrum in Burgundia Gregor. infr. h. libr. cap. 32. *Ad caſtrum cui Divione nomen eſt, pervenerunt.* Hoc caſtrum ab Aureliano Imperatore conſtructum memoratur. Gregor. infr. libr. 3. cap. 19 quo deſcribit ſitum hujus caſtri. *Nam veteres ferunt ab Aureliano hoc Imperatore fuiſſe ædificatum*, quod & repetit Aimoin. libr. 2. cap. 24. ejuſdem meminit Guill. Brito Philippid. libr. 1.

Belligeriſque viris quos Divio nobile caſtrum
Edua quos mittit vrbs antiquiſsima.

Ecdicius quidam ex Senatoribus huius propinquus. Ecdicius unus ex Senatoribus Arvernis, Aviti Imperatoris propinquus pauperes pavit in dira fame, cujus meriti in gratiam audivit vocem de cœlo dicentem Ecdici Panis tibi & ſemini tuo non déerit in æternum, de quo Sigebert. ad ann. 481. vir bello elatus cum parva manu Gothos fudit in Arvernis de quo eum laudat Sidonius libr. 3. epiſt. 3. quod gratiæ Beati Martini tribuit Gregor. de mirac. B. Martini libr. 6. cap. 2. Cap. 24.

ubi pro Egidius legendum Ecdicius Decium ſtultè vocat Jornandes de reb. Getic cap. 45.

Cap. 25. *Sacerdotes vero alios dabat exilio, alios gladio trucidabat*, Eoricus Rex Gothorum ſævam perſecutionem exercuit in Galliâ, maximè in Epiſcopos & clericos, quorum alios exilio, alios morte damnabat. Hinc ſecuta vacatio diutina, & clades clariorum Eccleſiarum Aquitanię, quam deplorat Sidon. epiſt. 6. ad Baſilium libr. 7. *Burdigala Petrocorij, Rutheni Lemovices. Gabalitani Eluſani Vaſates Convenæ, Auſcenſes, multoque jam major numerus civitatum, ſummis Sacerdotibus ipſorum morte truncatis, nec vllis deinceps Epiſcopis in defunctorum officia ſuffectis latum ſpiritualis ruinæ limitem traxit*, Gothicæ perſecutionis furor eo exceſſit, quod ædes ſacræ clauſæ & ſpinis obſeratæ, ut ſubjungit Gregorius *Nam & ipſos ſacrorum templorum aditus, ſpinis iuſſerat obſerari, ſcilicet vt raritas ingrediendi, oblivionem faceret fidei.*

Maximè tunc Novempopulanæ, geminæque Germaniæ vrbes ab hac tempeſtate depopulatæ ſunt. Hunc locum eſſe depravatum, & ita reſtituendum jam olim credidi *geminæque Aquitaniæ.* Hoc enim loco refertur perſecutio ab Eorico Rege Gothorum exercita in Gallijs, quæ maximè afflixit urbes primæ & ſecundæ Aquitaniæ & Novempopulaniæ, quę eſt tertia Aquitania, ut modo obſervatum eſt ex epiſt. Sidonij ad Baſilium. Verum & vulgata lectio retineri poteſt, Germaniæ utriuſque appellatione intellectâ prima & ſecunda Aquitaniâ, nam & Gregorius Pontifex Germanię appellatione, pro Galliæ abuſus eſt lib. 7. epiſt. 30. cum ait Auguſtinum Anglorum Epiſcopum à Germaniarum Epiſcopis ordinatum. Et Sidonius ipſe lib. 7. ep 7. Galliam Lugdunenſem Germaniam vocitat. *Quamdiu præſens poteſtas Lugdunenſem Germaniam regit.* Et poſt eum Gregorius de miracul. confeſſ. cap. 79. Primam Lugdunenſem vocat primam Germaniam, *Cum lues inguinaria populum primæ Germaniæ devaſtaret, concurrit Rhemenſium populus ad ſancti ſepulchrum*, inde Lugdunenſi Provinciæ Germaniæ nomen, quia ſcilicet tenebatur à Burgundionibus, qui erant origine Germani. Unde Aquitania tertia Novempopulania dicta ſit obſervavi rer. Aquitan. lib. 1. cap. 16. quæ hic retexere nimis otioſum eſt.

Beda hiſtor. libr. 1. cap. 28.

In

In cuius loco Voluſianus vnus ex Senatoribus ſubrogatus eſt ſed à Gothis ſuſpectus habitus, Epiſcopatus ſui anno ſeptimo in Hiſpanias eſt quaſi captivus abductus, ſed pretinus vitam finivit. Voluſianus Turonenſis Epiſcopus, Gothis ſuſpectus quod ſtuderet partibus Francorum, ſede ſua pulſus in exilio vitam finivit. De loco exilij ſecum non convenit Gregor. nam hoc loco refert relegatum in Hiſpaniam, idem vero infr. libr. 10. cap. 31. ait relegatum Toloſam, ibique diem obijſſe. Probabilius eſt quod hoc loco Gregorius dixit Voluſianum relegatum in Hiſpaniam, ſi intelligas de limite Hiſpanico, & hoc antiquitatis fidei convenientius eſt, quæ prodidit eum martyrij lauream accepiſſe in pago Fuxenſi truncato, capite. Hujus memoriæ ſacrum Fuxenſe Monaſterium Canonicorum regularium D. Auguſtini Carcaſſonenſium Comitum beneficio fundatum. Cap. 26.

Super quem Clodoveus cum Ragnacario parente ſuo, qui & ipſe regnum tenebat, veniens, campum vt pugnaret præparari ſibi depoſcit. Ragnacharium conſortem regni, & parentem Clodovei vocat. Scriptores ejus ævi appellatione parentum abuſi ſunt pro liberis, fratribus agnatis vel cognatis Gregor. infr. hoc lib. cap. 40. *nec enim poſſunt ſanguinem parentum meorum effundere*, & eod. lib. cap. 42. *veh mihi, qui tanquam peregrinus inter extraneos remanſi, & non habeo de parentibus, qui me ſi veneris adverſitas poſsit aliquid adjuvare*, & idem cap. 32. ejuſd. lib. *Dicens quia parens mea hæc eſt* idem libr. 3. cap. 13. *Theodoricus autem ab Arverno diſcedens Sigivaldum parentem ſuum in ea quaſi pro cuſtodia dereliquit.* Gregor. P. lib. 2. epiſt. 15. *quod eum vaſa ſacra ſuis dare parentibus prohibebat*, & jam ante meliori ſeculo Hieronim. adverſ. Rufin. lib. 2. *niſi fortè parentes militari vulgarique ſermone cognatos & affines nominat.* Cap. 27.

Vt Gothorum pavere mos eſt. Gothos notat de puſillanimitate ut infr. h. libr. cap. 37. *Cumque ſecundum conſuetudinem Gothi terga vertiſſent.* Cap. 27.

Igitur de quadam Eccleſia vrceum miræ magnitudinis, ac pulchritudinis hoſtes abſtulerant, cum reliquis Eccleſiaſtici mi-

niſterij ornamentis. Urceus eſt vas fictile, minus amphorâ Horat. de arte Poëtic.

——— *Amphora cœpit.*

Inſtitui currente rota, cur Vrceus exit

Urceus inter vaſa Eccleſiæ reponitur, quia eſt vas aptum continendo vino vel aquæ, quæ duo neceſſaria ſunt ad ſacrificium miſſæ; unde eccleſia uſa eſt urceis argenteis. Præter hunc locum Greg. Tur. de mirac. martyr. lib. 1. cap. 38. *Ferunt etiam quod eo tempore, quo ad ſancta ſolemnia accedentes incluſi ſunt, vrceos argenteos & metallo formatos, cum vino quod ad oblationem ſacrificij divini offertur, ſecum homines detuliſſent.*

Cap. 8. *Cumque mihi vas illud ſors dederit, quæ Papa poſcit adimpleam*, Epiſcopo per miſſos repetente urceum Eccleſiæ qui prædâ ablatus fuerat de Eccleſia ſua, à quodam milite, promiſit ſe redditurum ſi vas illud in diviſione prædę quæ ſorte fiebat ei obtingeret. Res mobiles captæ ab hoſtibus, apud Francos ſortè dividebantur inter Regem & milites, ut obſervatur ex hoc loco qui eſt ſingularis in hanc rem, quem illuſtrant verba quæ ſequuntur. *Elevatam bipennim vrceo impulit, dicens nihil hinc accipies, niſi quæ tibi ſors vera largitur.* Apud Romanos res mobiles prædâ captæ ab hoſtibus, cedebant militi occupanti. Agri vero capti ab hoſtibus publicabantur, id eſt in fiſcum redigebantur l. ſi captivus §. pen. ff. de captiv. & poſtlim reverſ. Hinc Africâ receptâ à Vandalis, Romanis militibus ſuaſu uxorum captivarum agros ab hoſtibus captos ſibi vindicantibus, Salomon Præfectus Prætorio Africæ interceſſit dicens captivos quidem & cætera mobilia militibus in prædam cedere, at agros captos ab hoſtibus, redigi in publicum, ex quo milites annonas & ſtipendia ferrent Procop. de bello Vandalic, lib. 1. Cujac. 19. obſ. 7. Ait quæ Papa poſcit ea ætate Papæ nomen erat commune Epiſcopis. Hieronym. in Jonam in proem. ad Chromatium Aquileienſem Epiſcopum *Cæterum non ignoramus Chromati Papa venerabilis.* Patientem Lugdunenſem Epiſcopum Papæ nomine cohoneſtat Sidon. l. 2. epiſt. 10. *Eccleſia nuper Lugduni extructa eſt, quæ ſtudio Papæ Patientis ſummum cœpti operis accepit.* Pragmatium Auguſtodunenſem Epiſcopum eodem nomine honoris

cauſa nuncupat idem libr. 6. epiſt. *Memor noſtri eſſe dignare Domine Papa.* Et Gregor. infr. libr. 4. cap. 26. *Numquid ait Turonicam adiſti vrbem, vt Papæ illius nobis ſalutem deferas*, intelligit Eufronium Turonenſem Epiſcopum.

Vnus Francus levis ac cerebroſus, cum voce magna elevatam bipennim vrceo impulit. Bipennis eſt ſecuris bellicæ genus, bipenni ferro quo Franci utebantur. Triplex eis erat armorum genus Haſta gladius bipennis, ut paulo infr. oſtenditur, *nam neque tibi haſta, neque gladius, neque bipennis eſt vtilis.* Etiam bipenni utebantur in bello de Clodoveo teſtatur Gregorius infra hoc loco. *Rex elevatis manibus bipennim ſuam capiti eius defixit*, & nobiles idem hoc libr. infr. cap. *vnus elevata manu bipennem cerebro eius inliſit.* Etiam recentiores Franci bipenni uſi ſunt. Hæc eſt quam vocant *hache d'armes* Jo. Froſſard. vol. 3. cap. 226. *& portoit chacun homme d'armes ſon glaive droit, avant luy retaillé à la meſure de cinq piés, & vne hache forte & dure & bien acerée, à petit manche à coſté ou ſur le col.* Monſtrelet. vol. 1. cap. 94. *Et avoit le Duc de Berry nonobſtant qu'il fut âgé de plus de ſoixante & dix ans épée, dague & hache d'armes*, &c. Id genus ſecuris Hiſpani Franciſcas vocabant propter uſum Francorum Iſidor. Origin. libr. 18. cap. 6. *Secures & Hiſpani ab uſu Francorum per derivationem Franciſcas vocant.*

Quarum ſenior mutata veſte Mucuruna, junior Chrotildis vocabatur, devotæ ſeu religioſæ veſte mutata, nomen quoque mutabant inſtar Monachorum, etiam Presbyteri cum ordinabantur nomen mutabant Joannes Presbyter ordinatus Petri nomen aſſumpſit. Procopius de Bell. Vandalic. libr. 1. ἔνθα ἱερεὺς γενόμενος ἑκουσίως Πέτρον ἑαυτὸν μετωνόμασεν, *vbi Presbyter factus, volens Petrum ſe ipſum nuncupavit*, ut & baptizati nomen mutabunt Gregor. ſupr. libr. 1. cap. 36 *Prodente Iuda Hebræo, qui poſt baptiſmum Quiriacus eſt vocitatus.* Cap. 38.

Inceſtator virorum inceſtator eſt reus inceſti. Auguſtin. contra Secundin. cap. 26. *Pauciores ſunt homicidæ, quam fures, pauciores ſunt inceſtatores, quàm adulteri.* Inceſtare pro ſtuprare. Plaut. in Pœnul.

Interea Regina fidelis filium ad baptiſmum exhibet, adornari Eccleſiam velis præcipit, atque Cortinis. In baptiſmo Ingo-

meris natu majoris filij Clodovei Regis curante Clotilde Regina, Eccleſia velis & cortinis adornata. Moris antiquiſſimi eſt in diebus ſolemnibus velis adornari Eccleſias. Cortinę ſunt vela ut cortinæ regiæ ſunt vela regia, quę prædijs imponuntur in pignoris ſignum. Ambroſ. epiſt. 33. *Dum hæc tracto ſuggeſtum eſt mihi cortinas regias eſſe collectas, refertam autem populo baſilicam præſentiam mei poſcere* & infra *tradere baſilicam non poſſum, ſed pugnare non debeo, poſteà verò quam cognoverim cortinas regias inde eſſe ſublatas, cum me populus eo ire depoſceret, direxiſſe Presbyteros.* Eâdem voce uſus eſt Gregorius infr. cap. 31. h. libr. *velis depictis adumbrantur plateæ Eccleſiæ, cortinis albentibus adornantur* &c. idem de mirac. B. Martini lib. 2. cap. 23. *Martyr parumper oculis intuetur cortinam lineam de Cancello pendere,* & Anaſtaſ. in Gregorio IV. *Cortinam Alexandrinam vnam, vela alia habentia mucrones de fundato quatuor.* Cortinæ vulgare latinum pro velis vel aulęis Auguſtin. libr. 2. quæſt. in Exod. cap. 173. αὐλαίας *quas Græci appellant, Latini Aulæa perhibent, quas cortinas vulgò vocant.*

Baptizatus autem puer, quem Ingomerem vocitaverunt, in ipſis ſicut regeneratus fuerit albis obijt, ait in albis in alba veſte quæ baptizatis dabatur. Recens baptizati albam veſtem geſtabant, unde candidatos Chriſti eos appellitat Auguſtin. de verbis Domin. ſerm. 62. *congruenter vivite, maximè vos candidati Chriſti, recens baptizati, modo regenerati, ſicut vos ante admonui, & modò dico,* &c. Gregorius infr. libr. 5. cap. 11. de Judæis converſis per Avitum Arvernenſem Epiſcopum. *Quidam ex his ad ſanctum Paſcha vt baptizaretur expetijt, renatuſque Deo per baptiſmi Sacramentum, cum albatis reliquis, albatus & ipſe procedit,* & baptizati in Paſchatis ſabatho veſtem albam non deponebant ante octavam diem. Idem Auguſtin. de tempore ſerm. 157. De dominica in octavis Paſchæ. *Paſchalis feſtivitas hodiernâ feſtivitate concluditur, & ideò hodie Neophytorum habitus commutatur, ita tamen vt candor qui de habitu deponitur, ſemper in corde teneatur.* Unde in albis è vitâ migrare dicuntur, qui è vivis excedunt intra octavum diem à baptiſmo, ita de Luſore Leocadij filiolo. Gregorius de

glor. Confeſſ. cap. 92. *In Dolenſi autem Biturigi termini vico B. Luſor Leocadij quondam Senatoris filius requieſcit, qui fertur in albis migraſſe à ſeculo*, & Clotildis hoc loco inſit Clodoveo *quia ſcio in albis ab hoc mundo vocatum Dei obtutibus nutriendum.* Idem infr. libr. 5. hiſt. cap. 11. *Renatuſque Deo per baptiſmi Sacramentum, cum albatis reliquis in albis & ipſe procedit.*

Velis depictis adumbrantur plateæ Eccleſiæ cortinis albentibus adornantur, baptiſterium componitur, Balſama diffunduntur, micant flagrantes odore cerei. In baptiſmo Clodovei Regis ſolemnitatis cauſa atrium Eccleſiæ velis albis ſeu cortinis adornatur, quod conveniens erat baptiſmo in quo baptizandis alba veſtis induebatur, baptiſterium componitur, id eſt pariter velis albis ornatur, ac atrium Eccleſiæ. Baptiſterium erat in atrio ſeu veſtibulo Eccleſiæ, ut inſinuat Gregorius hoc loco, & apertè idem de mirac. B. Martin. libr. 2. cap. 6. *Alius autem Paraliticus ex Aurelianenſi territorio carrucha devectus, venit ad ſanctam Baſilicam, qui diebus multis jacens ad oſtium illud, quod ſecùs Baptiſterium ad medium diem pandit egreſſum. Beati Antiſtitis implorabat auxilium.* Et ita baptiſterium ab Eccleſia, & parte fœminarum ſeparat Auguſtin. de civit. Dei lib. 22. cap. 8. *Admonetur in ſomnis appropinquante Paſcha, ut in parte fœminarum obſeruanti ad Baptiſterium, quæcumque illi Baptizata primitus occurriſſet ſignaret ei locum ſigno Crucis Chriſti.* Baptiſterium ab Epiſcopo conſecrabatur eadem ſolemnitate qua Eccleſia Sidon. lib. 4. epiſt. 15. *Nam baptiſterium quod olim fabricabimini, ſcribitis poſſe jam conſecrari*, in baptiſterio fiebant preces & vigiliæ ante baptiſmum Auctor vit. B. Genovëfæ apud Surium 3. Januar. *His auditis matronæ S. Genovefæ ſeſe conſilijs accommodantes, & dies aliquot vigilijs inſiſtentes incumbunt precibus*, unde lucem accipit locus Auguſtini de tempor. ſermon. 71. *Timeo enim nè aliquæ mulieres, ideo tardiùs infantulos ſuos offerant, quia cùm ipſis ad vigilias venire diſsimulant*, notat matres quę tardiùs infantes offerebant ad baptiſmum, nè venirent ad vigilias, quæ in baptiſterio fiebant ante baptiſmum. In regio baptiſmo balſama funduntur id eſt thura & odores adolentur, idem refert

Cap. 31.

Hincmar. in vit. Remigij 13. Jun. apud Surium *Interea eundi via ad baptiſteriam à domo regia præparatur, velis ac cortinis depictis ex utraque parte protenditur, & deſuper adumbratur, plateæ ſternuntur, eccleſiæ componitur baptiſterium, balſamo & cæteris odoramentis conſpergitur.* idem Flodoard. Hiſt. Rhem. libr. 1. cap. 13. Iiſdem ferè verbis. Cerei adhibentur in baptiſmo quod fuit antiquiſſimi moris Eccleſię Fortunat. libr. 5. carm. 4. de baptiſmo Judæorum per Avitum Arvernenſ. Epiſcopum.

Vndique rapta manu lux cerea provocat aſtra
Credas ut ſtellas ire trahendo comas.
Lacteus hinc veſti color eſt, hinc lampade fulgor
Ducitur, & vario lumine picta dies.

Idem Gregor. infr. libr. 5. cap. 11. *At ille præ gaudio lachrymans, cunctos aquâ abluens, chriſmate liniens, in ſinu matris Eccleſiæ congregavit, flagrabant cerei, lampades refulgebant, albicabat tota civitas de grege candido cui ingreſſo ad baptiſmum ſanctus Dei ſic infit ore facundo, Mitis depone colla Sicamber, adora quod incendiſti, incende quod adoraſti.* Clodoveus baptizatus à Remigio Rhemenſi Epiſcopo, cui accedenti ad ſacrum lavacrum, Epiſcopus eleganter infit. *Mitis depone colla Sicamber.* Franci enim è Sicambris Germaniæ populis orti, unde Charibertum Regem Francorum, de gente Sicambrorum prognatum agnoſcit Fortunat. libr. 6. carm. 4.

Cum ſis progenitus clara de gente Sicamber.
Floret in eloquio lingua latina tuo.

De Clodoveo idem Hincmar. in vit Remigij apud Surium 13. Jun. Francia Regio Germaniæ. Hieronym. in vit. Hilarionis. *Inter Saxones quippè & Alemanos, gens eius non tam lata, quàm valida, apud Hiſtoricos Germania, nunc verò Francia vocatur.*

Cap. 32. *Erat enim ſanctus Remigius Epiſcopus egregiæ ſcientiæ & Rhetoricis adprimè imbutus ſtudijs.* Eadem laude Remigium commendat Hincmarus loco modo laudato, & Flodoardus hiſt. Rhemenſ. libr. 1. cap. 12. Declamationes Remigij multis commendat Sidon. libr. 6. epiſt. 7. ad eum ſcripta. *Quidam ab Arvernis Belgicam petens, poſtquam Remos advenerat, ſcri-*

bam tuum ſeu Bibliopolam, pretio fors fuat officioVe demeritum, copioſiſsimo velis nobis declamationum tuarum ſchedio emuniit, &c.

Delibutuſque ſacro chriſmate cum ſignaculo Crucis Chriſti. In baptiſmo adhibetur unctio chriſmatis, cum ſigno Crucis, de quo Vice-comes de babtiſm. iibr. 2. cap. 37.

Erat enim jocundus in fabulis, ſtrenuus in conſilijs, juſtus in judicijs, & in commiſſo fidelis. commendat Aredium qui erat à conſilijs Gundobaldi Regis Burgundionum, maximè de fide in commiſſis, id eſt in mandatis exequendis. Commiſſum eſt mandatum inde vulgare *commiſsion*, eadem voce uſus eſt Gregorius de mirac. B. Martini lib. 1. cap. 33. *Eo tempore vnus ex Clericis meis Armentarius nomine, in ſerVitio Valde ſtrenuus, & in commiſſo fidelis.* Eadem laude commendatur Decadius Major domus Theodorici Regis Fredegar. cap. 38. *Anno* XI. *Theodorici Regis ſubrogatur Major domas Decadius genere Romanus, homo prudens, jucundus in fabulis, ſtrenuus in cunctis*, &c.

Quo conſilio Rex accepto hoſtem patriæ redire jubet ad propriæ, hoſtem hic accipe pro exercitu, qui pace facta patriæ redit ad propria, Galli *Oſt* quod in hoſtem paratur. Eodem ſenſu hac voce uſus eſt Gregor. infr. h. libr. cap. 37. *ſed quoniam pars hoſtium per territorium Turonicum tranſibat* Idem de mirac. B. Martini libr. 2. cap. 28. *Illo tempore alveus fluvij nutu Dei, Vel Virtute beati viri, abſque pluviarum inundationibus repletus, hoſtem nè civitatem læderet tranſire prohibuit.* Idem de vit. Patr. cap. 11. *In huius ergo lapides ſciſſuram, quod priſcis temporibus, quondam propter tranſitum hoſtium receptaculum fuit.* Idemque infr. libr. 10. cap. 3. *cum ad Metenſem vrbem quæ ei in itinere ſita erat accepiſſet, tantas prædas, tantaque homicidia ac cædes perpetravit, vt hoſtem propriæ regioni putaretur inferre.* Synod. Sueſſionenſ. *Abbates legitimi hoſtem non faciant, niſi tantùm homines eorum tranſmittant.* Aimoin. libr. 4. cap. 22. *ijdem Sarraceni de Baira egredientes, & hoſtem Ludovici poſt tergum ſequentes, pluſquàm duo millia Caballorum ipſius hoſtes prædati ſunt.* idem cap. 28. ejuſd. libr. *Vnde hoſtem quam maximam potuit, cum Carlomanno direxit.* Vvillelm. Tyrius de bell.

ſacr. libr. 9. cap. 3. *Comes verò Turrim David tamquam ſibi ab hoſtibus traditam, vſque in Paſcha quo tranſire, & domum redire propoſuerat, eam ſibi velle habere, vt interim cum ſuis honoribus, in regno moram facere poſſet allegabat*, ait ad patriæ propria, id eſt in regni ſui fines, patria pro regione vel Provincia Arnob. in pſalm. 104. *Diverſæ ſunt patriæ Brutiorum, Lucanorum*, &c.

Illo quoque Duce exercitu per aquæductum directo, multis cum ferreis vectibus præcedentibus, erat autem ſpiculum illius lapide magno concluſum, Vienna urbs capta immiſſo hoſte per aquæductum, ferreis vectibus amoto ſpiculo aquæductus. Spiculum aquæductus, vel ſpiraculum ut legit Quercetanus eſt meatus quo aquarumductus purgantur ſordibus l. 1. C. de Aquæduct. libr. 11.

Cap. 33. *Dato autem de medio civitatis ſono Buccinæ, obſidentes portas capiunt*. In expeditione buccina ſignum datur. Quint. Curtius libr. 3. *Die jam illuſtri, ſignum è tabernaculo Regis buccina dabatur*. Idem libr. 5. *Tuba cum caſtra movere vellet ſignum dabat*. idem infr. eod. libr. *Silenti agmine ac nè tubâ quidem ſigno dato*. Idem libr. 7. *Sed has cogitationes, has inter ſe colloquentium voces, ſignum tuba datum finit*. Ammian. libr. 24. *Iulianus extra quiete nocturnâ itinerarium ſonare lituos jubet.*

Adprehenſos eos Toloſæ in exilium ad Alaricum Regem tranſmiſit. Toloſa erat regia Gothorum Idac. in Chronic. *Gothi per Conſtantium ad Gallias revocati ſedes in Aquitania à Toloſa vſque ad Oceanum acceperunt* unde Alaricus Rex Toloſæ dictus eſt in commonitorio Aniani Breviatoris codicis Theodoſiani *anno* XXII. *Alarici Regis Toloſæ*. & Thoriſmundus mortuo patre Toloſam velut regni Gothici ſedem ſolemni pompa ingreſſus memoratur Jornand. de reb. Gothic. cap. 45. *Thoriſmund ergo patre mortuo, in campis ſtatim Catalaunicis ubi & pugnaverat, regia majeſtate ſubvectus, Toloſam ingreditur* Et Theodoricus ejus ſucceſſor Toloſæ ſedem habuit de quo Sidon. libr. 4. epiſt. 8. *Cum Tabellarius mihi literas tuas reddidit, qui te Toloſam Rege mandante mox profecturum, certis amicis confitebatur*. Ibidem ſedit Theodorici ſucceſſor Eoricus.

ricus Ennod. in vit. Epiphanij *Ad Regnum nepos acceſſit, tunc inter eum & Toloſæ alumnos Getas, quos ferrea Eoricus Rex dominatione gubernabat orta diſſenſio eſt* & ,in fin. *Alaricus Eorici filius apud Toloſatem vrbem Gothorum Rex efficitur.*

Ipſe vero regionem omnem quæ nunc Burgundia dicitur in ſuo dominio reſtauravit. Burgundiones olim accolæ Rheni in cujus ripa habitabant, caſtris per limitem diſpoſitis quos Burgos vocabant, unde nomen Burgundionum tranſito Rheno partem Lugdunenſis Galliæ occuparunt; quæ ab his Burgundia dicta eſt Oroſ.lib.7. cap.32. *Burgundionum quoque novorum hoſtium novum nomen, qui pluſquam octoginta millia vt ferunt armatorum, ripæ Rheni fluminis inſederunt, hos quendam ſubacta interiore Germania à Druſo & Tiberio adoptivis filijs Cæſaris per caſtra diſpoſitos aiunt in magnam coaluiſſe gentem, atque ita & jam nomen ex opere præſumpſiſſe, quia crebra per limitem habitacula conſtituta Burgos vulgò vocant, eorumque eſſe prævalidam & pernicioſam manum, Galliæ hodieque teſtes ſunt, in quibus præſumpta poßeſsione conſiſtunt,* Burgundiones orti è Romanis per caſtra ſeu Burgos diſpoſitis in ripa Rheni fluminis limitis tuendi gratia Ammian. libr. 28. *Gratanter ratione gemina Principis acceptæ ſunt literæ, prima quod jam inde temporibus priſcis, ſobolem ſe eſſe Romanam Burgundij ſciunt.* Idem Gregor. ſupr. h. lib. cap. 9. Ado Viennenſ. Hincmar. in vit. Remigij, & Aimoin. lib. 1. cap. 8. *Pars tamen Lugdunenſis Galliæ, quàm Burgundiones occupaverunt Burgundiæ nomen retinuit.* Burgundiæ ſitum indicat Sidon. lib. 3. epiſt. 4. Cum ait Arvernos in medio poſitos inter Burgundiones & Gothos. *Sic æmulorum ſibi in medio poſiti populorum, lachrymabilis præda, ſuſpecti Burgundionibus, proximi Gothis.*

Burgundionibus leges mitiores inſtituit, nè Romanos opprimerent. Gondebaldus Rex Burgundionum leges condidit de ſuo nomine dictas. *C'eſt la loy Gombette* unde Gunebodigni dicti Capitul. lib. 1. cap. 63. quod refertur in Can. parvuli 22. qu. 5. Gondebaldi lege utentes, Gundebaldum mitiores leges Burgundionibus inſtituiſſe ait Gregorius nè Romanos opprimerent, id eſt veteres Gallos qui Romani dicebantur, quia

Romana lege vivebant, quia Romanis legis ſuæ uſum ſervavit, & lites inter Burgundiones & Romanos ſua lege quidem diſceptari voluit, verùm lites inter Romanos lege Romana judicari tulit ut legitur in præfat. legum Gundobaldi. *Inter Romanos verò ſicut à parentibus noſtris inſtitutum eſt Romanis legibus præcipimus judicari.*

Cùm autem cognoviſſet aſſertiones Hæreticorum nihil eſſe, à ſanctoAuito Ediſcopo Viennenſi Chriſtum Filium Dei,& Spiritũ ſanctum æqualem Patri confeſſus,clam vt chriſmaretur expetijt. Gundobaldus Rex Burgundionum Aviti Epiſcopi Viennenſis ſermone adductus ut crederet Filij & Spiritus ſancti æqualitatem cum Patre, clam ut chriſmaretur expetijt, metu populi deterritus, nè fidem publicè profiteretur, nihil profuit monitio Antiſtitis fidem quantumcumque rectam, publicam deſiderare confeſſionem, & profeſſionem, ille enim in inſania uſque ad vitæ exitum perduravit, extat Aviti Epiſtola 1. ad Gundobadum Regem, in cujus calce hæc verba notanda ſunt, *Nè ſuſpendamini à profeſſione, cùm jamdudum in confeſſione teneamini*, nihil prodeſt fides ad ſalutem niſi publicetur ubi quis de fide interrogatur apud judicem. Tertull. adverſus Valentin. cap. 38. *Sed nobis quidem væ, ſi exceſſerimus in aliquo diſciplinæ jugum, ſi confitendum alibi neſcio vbi, & non ſub poteſtatibus iſtius ſeculi apud Tribunalia præſidum optaverimus.* Auguſtin. de fid. & ſymbol. cap. 1. *Quoniam fides officium à nobis exigit & cordis & linguæ ait enim Apoſtolus. Corde creditur ad juſtitiam ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Salvi fieri non poſſumus, niſi & nos ad ſalutem proximorum nitentes, etiam ore profiteamur fidem, quam corde geſtamus.* Burgundiones tamen ſub id tempus ad Catholicam fidem converſos teſtatur Oroſius libr. 7. cap. 32. *Arriani revertentes ad fidem Catholicam reconciliabantur vnctione Chriſmatis:* Gregor. infr. libr 4. cap 27. de Brunichilde uxore Sigiberti Regis. *Et quia Arrianæ legi ſubjecta erat, per prædicationem Sacerdotum, atque ipſius Regis commonitionem converſa beatam in vnitate confeſſa Trinitatem credidit, atque chriſmata eſt* idem infr. eod. libr. cap. 28. de Galſvintha uxore Chilperici Regis, *Iam enim in lege Catholica converſa fuerat, & chriſmata.*

Magnæ enim facundiæ erat, tunc temporis beatus Avitus, facundiæ laude eum commendant etiam Ennod. in vit. Epiphanij, Agobard. in epiſt. adverſ. legem Gundobadi, & Ado Viennenſ. in Chronic. Varias ejus ingenij dotes teſtantur ejus epiſtolæ, Homiliæ & carmina quæ omnia edidit & notis illuſtravit vir clariſſimus Jacob. Sirmundus Presbiter Societatis Jeſu.

Has ipſas Rogationes quas ante aſcenſionis Dominicæ triumphum celebramus, à Mamerco ipſius Viennenſis vrbis Epiſcopo, cui & hic eo tempore præerat inſtitutas fuiſſe. Rogationes inſtitutæ à Mamerco Viennenſi Epiſcopo, felici exemplo, quia cæteræ Eccleſiæ Galliæ hoc inſtitutum ſtatim ſecutæ ſunt ut refert Gregorius ex Homilia Aviti de Rogationibus. Idem Sidon. libr. 5. epiſt. 14. *In vrbem tamen niſi fallimur, Rogationum contemplatione revocabere, quarum vobis ſolemnitatem primus Mamercus Pater & Pontifex, reverendiſſimo exemplo, vtiliſſimo experimento invenit, inſtituit, invexit.* Idem libr. 7. epiſt. 1. ad Mamercum. *Solo tamen invectarum te auctore Rogationum palpamur auxilio,* &c. Gregor. infr. libr. 9. cap. 6. *His enim diebus Rogationes publicæ celebrabantur, quæ ante ſanctam dominicæ aſcenſionis diem agi ſolent, factum eſt autem vt procedente Ragnemodo Pontifice cum populo ſuo, & loca ſancta circumeunte,* &c. de eiſdem Cæſarius Arelatenſ. Homil. 33. & Ado Viennenſ. in Chronic.

Sanctus Sacerdos proſtratus ante altare Domini miſericordiam imprecatur. Chriſtiani orabant vel flexis genibus unde preces geniculationes dictæ, id eſt genuum flexiones Tertullian. ad Scapul. *Quando non geniculationibus, & jejunationibus noſtris etiam ſiccitates ſunt depulſæ.* Hieronym. libr. 2. in epiſt. ad Epheſ. *Legimus enim & Paulum in littore ſic oraſſe, & geniculationes in oratione præceptas.* vel proſtrato corpore, Gregor. infr. lib. 10. cap. 15. *introeuntes in oratorium, repererunt jacentem ſuper humum ante archam ſanctæ Crucis* idem de vit. B. Martin. lib. 2 cap. 28. *Tunc enim fletu magno ſolo proſtrata nomen beati invocat Confeſſoris.* Idem libr. 2. de mirac. ejuſd. cap. 54. *Puella verò ex Leſuenſi jam adulta lumen amiſit oculorum, quæ ſancti limina adiens, per omne tempus feſtivita-*

tis orabat humo proſtrata. Maximè Monachi proſtrati orabant Rufin. de vit. Patr. libr. 1. cap. 29. *Vbi verò poſt pſalmum ad orandum ſe prejeciſſent fratres, percurrebant nihilominùs ſingulos, & ante alium iacentem in oratione quaſi mulierum ſpecie hi ferebantur.* Stantes orabant die Dominica, & à Paſcha ad Pentecoſten in memoriam Dominicæ Reſurrectionis. Tertul. de coron. milit. *Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare, eadem immunitate à die Paſchæ in Pentecoſtem vſque gaudemus.* Auguſtin. epiſt. 119. *à Paſcha ad Pentecoſten jejunia relaxantur, in ſignum lætitiæ & quietis, & ſtantes oramus in ſignum Dominicæ Reſurrectionis*, & plerumque in rectibus genuum flexio, & proſtratio conjungebantur. Auguſtin. Homil. 40. *Scito quotidie venire hominem, genua figere, fronte terram concutere, aliquando vultum ſuum lachrymis rigare.*

Cap. 35. *Legatos ad eum dirigit dicens ſi frater meus vellet, inſideret animo, vt nos Deo propitio pariter videremus.* Alaricus Rex Gothorum Clodoveum Regem de amicitia per legatos ſollicitat fratrem nuncupans, Reges inter ſe ſolent ſe fratres vocitare. Ammian lib. 17. *Rex Regum Sapor, particeps ſyderum, frater ſolis & lunæ Conſtantio Cæſari fratri meo ſalutem plurimam dico*, & apud Caſſiodorum 3. Var. 12. & 13. Theodoricus Rex Gondebadum Regem Burgundionum fratrem appellitat.

Conjunctique in inſula Ligeris, quæ erat juxta vicum Ambacienſem territorij vrbis Turonicæ. Ambacienſis vicus eſt in pago Turonenſi de quo Sever. Sulpit. Dialog. 3. *In vico autem Ambatienſi, id eſt caſtello illo veteri, quod nunc frequens habitatur à fratribus.* Et Gregor. ipſe de mirac. B. Martini libr. 2. cap. 17. *Quodam die dum Guntranus Boſo contra vicum Ambiacenſem Ligerim fluvium tranſmearet* Recentioribus Ambaſia caſtrum Robert. Montenſ. in ſupplem. Sigebert. ad ann. 1161. *Caput autem ſui honoris ſcilicet Ambaſiam tenebat de Rege Henrico.* vulgò *Amboiſe.*

Cap. 36. *Ibique à ſancto Eufraſio Epiſcopo benignè ſuſceptus eſt*, Quintianus Ruthenenſis Epiſcopus à Gothis ſua ſede pulſus, Arvernos ſe recepit, ubi ab Eufraſio Arvernenſi Epiſcopo benignè ſuſceptus eſt, conceſſis prædijs è quibus viveret. Epiſ-

copis ſede ſua pulſis vi barbarica, præſtabantur alimenta ab alijs Epiſcopis, imo & eis aſſignabantur præbendę ſeu portiones quæ Græcis ὀψώνια in locupletioribus monaſterijs ex Nov. Alexij Comneni quam intexuit Balſamo in Can 37. Synod. 6. in Trull. & libr. 7. Reſponſ. de privileg. Patriarcharum.

Sed quoniam pars hoſtium per territorium Turonicum tranſibat, pro reverentia Beati Martini dedit edictum, vt nullus de regione illa, aliud quam herbarum alimenta aquamque præſumeret. Ubi Clodoveus movit in Alaricum Regem Gothorum, quia pars hoſtium id eſt exercitus iter habebat per Turonicum agrum, pro reverentia B. Martini edixit nè milites quid à pagenſibus exactitarent præter herbarum & aquæ copiam. Poſſeſſores præſtabant annonam & pabulum, ob tranſitum exercitus l. ſi pendentes §. ſi quid Cloacarij ff. de uſufruct. Sicul. Flaccus de condit. agror. in fin. *Nam & quoties militi prætereunti aliive cui Comitatui annona publica præſtanda eſt, ſi ligna, atque ſtramenta deportanda, quærendum quæ civitates quibus pagis, hujuſmodi munera præbere ſolitæ ſunt.* Edicto Clodovei Turonibus in gratiam B. Martini remiſſum onus præſtandi alimoniam militi. Exemplo Clodovei Clotarius & eum ſecuti Reges omne tributum Turonibus remiſere in gratiam B. Martini de quo Gregor. infr. libr. 9. cap. 30. unde Leo Pictavienſis unus è ſatellitibus Chramni dicebat Beatum Martinum nihil prodeſſe viribus fiſci teſte ipſo Gregorio infr. libr. 4. cap. 16. Cap. 37.

Satiſque fuit exercitui, nihil alterius ab hac regione præſumere. Præſumere eſt per vim ſumere. Gregor. infr. libr. 5. cap. 18. *cum non haberem de præſenti quod darem, hinc præſumpſi.*

Illiſque de muro ſagittantibus, ſagittare pro ſagitta petere. Juſtinus libr. 41. *Hos pari curâ ac liberos ſuos habent, & equitare ac ſagittare, magna induſtria docent.*

Ipſe vero Rex direxit nuncios ad beatam baſilicam, dicens, ite & forſitan aliquod victoriæ auſpicium ab æde ſancta ſuſcipietis, Clodoveus cum per Turones iter faceret ad expeditionem Gothicam, per nuncios auſpicia cœpit è Baſilica Beati

Martini, quæ proſpera viſa ſunt ex verſiculo. Pſalm. 17. *Præcinxiſti me Domine virtute ad bellum*, quem Primicerius ſeu Præcentor Eccleſiæ occinebat, dum hi Eccleſiam ingrederentur. Veteres etiam religione, an ſuperſtitione ſortibus biblicis uſi ſunt apertione ſacrorum Codicũ Gregor. lib. 4. cap. 16. *Poſitis Clerici tribus libris ſuper altarium id eſt Prophetiæ Apoſtoli, atque Evangeliorum, oraverunt ad Dominum, vt Chramno quid eveniret oſtenderet.* Idem lib. 5. cap. 14. *Meroveus vero non credens Pytoniſſæ tres libros ſuper ſancti ſepulchrum poſuit, id eſt Pſalterij Regum Evangeliorum, & vigilans tota nocte petijt, vt ſibi beatus Confeſſor quid eveniret oſtenderet, & vtrum poſſit Regnum capere an non, vt Domino indicante cognoſceret.* Idem libr. 8. cap. 4. *Nam in die ſancto Paſchæ ſtante fratre meo Sigiberto in Eccleſia, procedente Diacono cum ſancto Evangeliorum libro Nuncius Regi advenit, vnaque vox fuit pronuntiantis lectionem Evangelicam ac Nuncij dicentis filius natus eſt tibi,* &c. & harum ſortium uſus quo ad res ſeculares diſplicuit Auguſtino, teſtatur ille epiſt. 119. *Hi verò qui de paginis Evangelicis ſortes legunt, & ſi optandum eſt vt hoc potius faciant, quam vt ad Demonia conſulenda concurrant, tamen etiam iſta mihi diſplicet conſuetudo ad negotia ſecularia & ad vitæ hujus vanitatem, propter aliam vitam loquentia oracula divina velle convertere.* Has quas Sanctorum ſortes vocabant damnavit Conc. Agathenſe can. 42. can. aliquanti 29. qu. 5 Antiſſiodor. can. 4. Et ante gentiles inſano futuri præſciendi ſtudio Virgilianas ſortes quaſi fatidicas conſuluére Spartian. in Adriano *Quum ſollicitus de Imperatoris erga ſe judicio Virgilianas ſortes conſuleret.* Aliud ſortis genus fuit per breves ſcriptos, poſitos ſuper altare Gregor. de vit. Patr. c. 9. *Tunc pro hoſpitio quodam brevibus conſcriptis poſuit ſuper altare vigilans & orans tribus noctibus, vt quid Dominus juberet dignaretur manifeſtiſsimè declarare.*

Dum ſanctam ingrederentur Baſilicam hanc Antiphonam ex improviſo Primicerius qui erat impoſuit; Primicerius eſt Præcentor ſeu primus Cantorum chori, ejus munus eſt Antiphonam imponere, id eſt cantandam intonare ſeu modulari Gregor. de mirac. B. Martini libr. 1. cap. 6. *Tunc jactans pallium.*

quo vtebatur, poſuit manum ad Sarcophagum cum reliquis Sacerdotibus, Crucibus paratis & cereis impoſitaque Antiphona dederunt cuncti voces pſallentes in excelſo. Idem de vit· Patr. cap.6. in Quintiano Ruthenenſi Epiſcopo *Die tertia cum jam portæ civitatis appropinquarent ſuggerunt ei, vt ipſe Antiphonam dignaretur imponere, dicentes, ſi tu Beate Pontifex devotè Antiphonam impoſueris, confidimus de ſanctitate tua, quod protinus vobis Dominus pluviam dignabitur benigna pietate largiri.* Ad officium Primicerij pertinet ordo & modus pſallendi in choro, pro ſolemnitate temporum ex Iſidoro in epiſt. ad Ludifredum Cordubenſem Epiſcopum can. perlectis 25. diſt. Antiphona eſt ritus canendi alternis choris à Græco ἀντιφωνὴ quem ritum à Græcis in Eccleſiam latinam invexit Ambroſius Sigebert. ann. 387. *Ambroſius Epiſcopus ritum canendi Antiphonas in Eccleſia, primus apud Latinos tranſtulit à Græcis.* Primicerius imponit Antiphonam, & chorus pſallentium dicitur ſuſcipere Antiphonam Gregor. de glor. martyr. libr. 1. cap. 76. *Verum vbi cantato reſponſo, Antiphonam caterva ſuſcepit Monachorum.*

Dum eminus in tentorijs commoraretur, pharus ignea de baſilica ſancti Hilarij egreſſa, viſa eſt ei, tamquam ſuper ſe advenire. Farus hic accipitur pro luce quæ de cœlo apparuit, Gregorius de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 5. *Circa horam tertiam noctis, apparuit ante altare, lumen parvulum in modum ſcintillæ, deinde ampliatum, effectaque pharus magna.* idem libr. 2. cap. 34. *Referebat autem mihi vir fidelis vidiſſe ſe pharum immenſi luminis è cœlo delapſam ſuper beatam Baſilicam deſcendiſſe.* Idem lib. 6. cap. 11. *factaque Pharo magnâ evanuerunt.* Aliàs farus vel pharus eſt lychnus pluribus lucernis ardentibus inſignitus Anaſtaſ. in Sylveſtro *Farum ex auro puriſſimo, quod pendet ſub faſtigio cum Delphinis quinquaginta* & infra *farum Cantharum ex auro puriſſimo, ante altare in quo ardet oleum nardicum piſticum.* Vvalafridus Strabo vitæ ſancti Galli libr. 2. cap. 34. apud Surium tom. 5. *farum quæ ante altare ſancti Galli pendebat, pro incendendis luminaribus.*

Erat in his diebus vir laudabilis ſanctitatis Maxentius Abbas reclauſus in Monaſterio ſuo ob Dei timorem, intra termi-

num Pictavenſem. Temporibus Clodovei in Pago pictavenſi vitæ ſanctitate claruit Maxentius Abbas, hinc nomen à conditore Cella ſancti Maxentij, ejuſdem meminit Sigebert. ad ann. Chr. 506. Martyrol. R. 26. Jun.

Cujus Monaſterij nomen lectioni non indidimus, quia locus ille vſque hodie cellula ſancti Maxentij vocatur. Cellula vel cella S. Maxentij accipitur pro Monaſterio ut cella S. Judoci apud Lupum Ferra. epiſt. 11. *Cellam S. Iudoci quam magnus Carolus quondam Alcvino ad eleemoſinam exhibendam peregrinis commiſerat.*

Hujus verò brachium Beatus Confeſſor, cum oleo benedicto contrectans. impoſito ſigno Crucis reſtituit ſanum. Patres Eremi oleo ſigno Crucis benedicto ægros curabant, quod varijs exemplis probant. Hieronym. in vit. Hilarion. Pallad. Hiſt. Lauſiac. cap. 14. & 20. Caſſian. collat. 15. cap. 7. de quo diximus Aſcetic. l br. 7. cap. 8. nec omittendus hoc loco Gregorius de vit. Patr. cap. 9. de Patroclo. *ſed & puellæ duæ de Lemovicino venientes, oleo quod ipſe ſanctus benedixit peruncta à nequitiâ quâ obſidebantur mundatæ ſunt.* idem de vit. Patr. cap. 14. in Martio Abbate, *quartanis tertianiſve febribus infuſo benedicti olei liquore medebatur.* Idem eod. libr. cap. 15. de Severo Abbate *Tunc ille oleo benedictione ſanctificato, manum manu perungens, abſtracto ramo ſanitati reſtituit.* de quo plura infr. libr. 6. cap. 6.

Interea Clodoveus Rex cum Alarico Rege Rothorum in campo Vogladenſe decimo ab vrbe Pictava miliario convenit Clodoveus cum Alarico pugnavit in campis Vogladenſibus decimo à Pictavo miliari, *c'eſt Voglay ou vouldé en Poictou,* Alaricus in prælio cecidit propria manu Clodovei. *Percuſſus in geniculo.* Geniculum pro genu, inde geniculatio pro genuum flexione. Tertul. ad Scapul. *quando non geniculationibus, & jejunationibus noſtris, etiam ſiccitates ſunt depulſæ.*

Cum contis vtraque ei latera feriunt. Contum eſt haſta Aimoin. libr. 4. cap. 32. *Tunc vnus è Longobardis vocabulo Amalongus, qui regium contum ſolitus erat ferre quemdam Græculum eodem conto percuſſum è ſella equitatoria ſuper caput ſuum elevans, reliquos perterrefactos fugere compulit.* Idem infr. libr. 3.

cap.

cap. 6. *Cuius amputatum caput & conto defixum elevant in ſublime.* idem infr. lib. 5. cap. 48. *Præcinctus pharetra & contum manu gerens.* Idem libr. 10. cap. 10. *à littore illo vnus Longobardorum ſtans, lorica protectus, & galeâ contum manu geſtans.* Alias contum pro unco navis. Cregor. de vit. B. Martin. lib 2. cap. 16. *Dum autem hæc orarem vocem in altera ripa audio, me vocantem vt navim homini qui iter agebat abducerem, verum vbi acceptis contis, eo verſus impetum fluminis ſulcare cæpi.* Curt. lib. 9. cap. 9. *Hi contis navigia appellebant, hi dum remos aptari prohibebant conſederant.*

Maximus ibi tunc Arvernorum populus, qui cum Apollinari venerat, & primi qui erant ex Senatoribus corruerunt. Apollinaris Dux, is erat Sidonij filius, cum Arvernis multis cecidit in prælio Vogladenſi, è partibus Alarici.

Clodoveus verò apud Burdegalenſem vrbem hyemem agens cunctos theſauros Alarici à Toloſa auferens Ecoliſinam venit locus eſt corruptus lege Ecoliſmam, quæ eſt recentioribus Engoliſma. Gregor. ſupr. h. libr cap. 3. *Dynamium Ecoliſmæ vel Venerandum Arvernis.*

Patrata poſt hæc victoria Turones regreſſus eſt, multa ſanctæ Baſilicæ Beati Martini munera offerens. Clodoveus pùgnaturus cum Alarico, Deo, & B. Martino vovit equum, quo utebatur in prælio, partâ victoriâ voti reus Turones petijt, oblatum equum pretio nummorum centum redimere voluit, ſed cum equus hæreret, duplum obtulit, quo facto equus ultrò receſſit. Tunc Clodoveus *Martinus* infit, *bonus in auxilio, carus in negotio* Sigebert. ad ann. 509. idem Ottho Friſing. 4. chronic. cap. 32 & Abbas Uſperg. pag. 159. Sic pater Odonis qui fuit Abbas Cluniacenſis cum filium adhuc in cunis vagientem voviſſet B. Martino, & puer jam adultus votum implere differens, morbo correptus fuiſſet, qui nullo remedio vinci poterat, pater agnoſcens pœnam moræ. *Ecce inquit Beate Martine quod gratè obtuli exactè requiris verè vt decet, exaudibilis es in voto, ſed carus in negotio*, ut refert Joannes Monach. ejus vit. lib. 1.

Igitur àb Anaſtaſio Imperatore codicillos de Conſulatu accepit, & in Baſilica Beati Martini tunica blatea indutus eſt. Et

Chlamide, imponens vertici Diadema. Conſulatus & Patriciatus per imperiales codicillos illuſtribus viris conferebantur l. ult. C. de Conſulib. Ornamenta conſularia erant trabea ſive palmata, quæ erat veſtis purpurea, Scipio, calcei aurati, ſella curulis. Caſſiodor. 6. Var. 1. *Pinge vaſtos humeros vario colore palmatæ, validam manum victoriali Scipione nobilita, lares proprios etiam calceis auratis egredere, ſellam curulem pro ſua magnitudine multis gradibus eniſus aſcende.* Vopiſc. in Aureliano. *Nam te conſulem hodie deſigno ſcripturus ad Senatum ut tibi deputet Scipionem, deputet etiam faſces.* Chlodoveus ab Anaſtaſio Imperatore Conſul & Patricius togam purpuream, & coronam ſuſcepit, quod cautè intelligendum, nec enim coronam ut Regiam ſuſcepit, ſed coronam quæ Patricijs honoris cauſa dari ſolebat, de qua diximus lib. 3. de Ducib. & Comitib. c. 2. Non reſpuit coronam Clodoveus, quia erat tantum inſigne Patriciatus, nudum inſigne honoris, non obſequij. Nè verò videretur regium nomen accipere ab Imperatore, coronam hanc Romam tranſmiſit, & dicavit B. Petro, & quod ait Sigebertus qui hæc refert ad annum Chr. 510. eam Regnum appellari ſolere, ſic accipiendum eſt, eam ita appellari à Romanis, non à Francis. Reverà enim Rex Francorum neminem umquam agnovit ſuperiorem. Albertus Argentinenſis in chronic. *Cùm Francia à nullo haberi dicatur in feudum.* Conſulatus & Patriciatus dignitatem ab Imperatore ſimul accepit Clodoveus, quia Patriciatus non ſolebat conferri cuiquam, qui prius conſulatum vel Præfecturam non geſſiſſet l. 3. C. de Conſulibus & Patric. Tunica blatea eſt purpurea Vopiſcus in Aureliano. *Quum ab eo uxor ſua peteret, vt vnico pallio blateo ſerico vteretur.*

Tunc aſcenſo equo aurum argentumque in itinere illo, quod inter portam atrij, & Eccleſiam civitatis eſt præſentibus populis manu propria ſpargens voluntate benigniſsimâ. Clodoveus acceptis ab Imperatore codicillis conſularibus largitione uſus eſt in plebem ex more ſolemni, Conſules enim initio Magiſtratus largitionem facere ſolebant, quod vetitum fuit conſtitutione Valentiniani & Martiani l. 2. C. de conſulib. cujus meminit Juſtinian. Nov. 105. Atrium Eccleſiæ eſt ſpatium

extra Eccleſiam in majoribus Eccleſijs 40. paſſuum, in minoribus 30. quod gaudet emunitate Eccleſiæ Can. ſi quis 17. qu. 4.

Et ab hac die tamquam Conſul & Auguſtus eſt vocitatus. Idem Fredegarius in ſupplem. cap. 17.

Egreſſus autem à Turonis, Pariſius venit, ibique Cathedram regni conſtituit. idem Fredegar. in ſuppl. cap. 17. Pariſius ſedes regni Francorum electa à Clodoveo. Gregor. infr. lib. 4. cap. 22. *Et mox Pariſius ingreditur, ſedemque Childeberti Regis occupat* & infra. *deditque ſors Chariberto regnum Childeberti, ſedemque habere Pariſius.* Idem eod. lib. cap. 42. *Gumchramnus Rex apud Pariſius omnes Epiſcopos regni ſui congregat, vt inter vtroſque quid veritas haberet edicerent.* Idem infr. lib. 10. cap. 28. *Proficiſcatur Dominus meus Rex vſque. Pariſius* Pariſius indeclinabile pro Pariſij, ſeu Lutetia Pariſiorum, Santonus pro Mediolanum Santonum Auſon. ad Paulin. epiſt. 24. *Santonus vt ſibi Burdigalam, mox jungit Aginnum.* Lutetia Pariſiorum in inſula Sequanæ fluminis Jul. Cæſar de bell. Gallic. lib. 7. cap. 11. *Lutetiam proficiſcitur, id eſt oppidum Pariſiorum, poſitum in inſula fluminis Sequanæ* Ammian. libr. 15. *poſt circumclauſum ambitu inſulari Pariſiorum caſtellum Lutetiam nomine.*

Meridie in tentorio ſuo obdormiens. Veteres ſolebant meridiari, id eſt ſomnum meridianum capere l. medicus ff. de oper. libert. Varro de re ruſtic. lib. 1. cap. 2. *Ego hic vbi nox & dies modice redit & abit, tamen æſtivam diem ſi non diffinderem meo inſititio ſomno meridie, vivere non poſſem.* Gregor. ipſe infr. lib. 3. cap. 5. *Nam ſopitum vino, dormire poſt meridiem filium jubet.* Paul. Vvarnefrid. de geſt. Longobard. libr. 2. cap. 28. *Tunc Roſemunda dum ſe Alboin meridie ſopori dediſſet.* Cap. 40.

Immitte inquiunt illi manum tuam vſque ad fundum, vt cuncta reperias, fundus arcæ pro profundo, ut fundus fluminis pro profundo aquæ Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 70. *Sed Domini pietas providit ſtilum ſub aquis, qui ſuſcipiens funem ſuſtinuit mulierem, nè ad fundum fluminis perveniret.*

Quod cum feciſſet & eſſet valdè declinus, id eſt inclinato corpore, Latinis acclinis Juſtin. libr. 28. cap. 4. *Sed acclinis parieti.* Beda lib. 3. cap. 17. *vnde factum eſt vt adclinis deſtinæ, quæ extrinſecus Eccleſiæ pro munimine erat appoſita, ſpiritum vitæ exhalaret vltimum.*

At illi iſta audientes, plaudentes tam palmis, quàm vocibus, eum clypeo evectum ſuper ſe Regem conſtituunt ex more antiquo Imperatores, & Reges, clypeo impoſiti, & circum caſtra ſubvecti, coronationis vice. Tacit. 4. hiſt. de Brivione Duce Caninefatum *Impoſitoque ſcuto more gentis, & ſuſtinentium humeris vibratus Dux deligitur.* Sic Juſtinus ſenior ſuper clypeum elevatus, Imperator ſalutatus Coripp. de laudibus ejus libr. 1.

Quatuor ingentem clypeis ſublimius orbem
Adtollunt lecti juvenes, manibuſque levatus
Ipſe miniſtrorum ſupra ſtetit, vt ſua rectus
Littera, quæ ſigno ſtabili non flectitur vmquam,
Nominibus ſacrata tribus —— idem Zonar. in ejus

vit. Sic Hypatius per ſeditionem clypeo impoſitus Imperator ſalutatus Zonar. in Juſtiniano ϗ ἐπὶ ἀσπίδος ἀυτὸν μετάρσιον ἄραντες, ἀναγορέυουσι βασιλέα *& clypeo in ſublime elatum Imperatorem conſalutant*, Julianus eodem ritu Imperator creatus ab exercitu. Ammian. libr. 20. *Impoſituſque ſcuto pedeſtri, & ſublatius eminens, populo ſilente Auguſtus renunciatus*, idem Liban. orat. 4. tom. 2. Eodem ſolemni ritu Reges Francorum elevati in clypeum Gregorius infr. de Sigeberto Rege libr. 4. cap. 46. *Veniente autem illo ad villam, cui nomen eſt Victoriacum, collectus eſt ad eum omnis exercitus, impoſitumque ſuper clypeo ſibi Regem ſtatuunt.* De Gondobaldo qui ſe præſumebat natum Clotharij. Idem Gregorius infr. libr. 7. cap. 10. *Qui conjunctus cum ſupradictis Ducibus Lemovicinum accedens Brivam Curretiam vicum advenit. Ibique parmæ ſuperpoſitus, Rex eſt elevatus, ſed cum tertio cum eodem girarent, cecidiſſe fertur, ita vt vix manibus circumſtantium ſuſtentari potuiſſet.* Et hoc de more Francorum factitatum refert Aimoin. libr. 3. cap. 60 *evocatum Gundobaldum more antiquorum Francorum, Regem proclamantes eſſe ſuum elevaverunt cum clypeo*, &c. Sic Theodoricus Rex Gothorum ſe ſcuto impoſitum electum gloriatur apud Caſſiodor 10. Var. 31. *Indicamus parentes noſtros Gothos inter procinctuales gladios, more majorum ſcuto ſuppoſito, regalem nobis contuliſſe præſtante Deo dignitatem, tubis concrepantibus.* Inde Pipinus à Francis Rex creatus, elevatus dictus eſt. Regi-

no 2. Chronic. *Pipinus ſecundum morem Francorum electus in Regem, & vnctus per manum ſanctæ memoriæ Bonifacij Moguntiacenſis vrbis Archiepiſcopi, & elevatus eſt à Francis in regno.* De Childeberto Rege Gregor. infr. libr. 8. cap. 4. *Et Rex nihilominus in die ſancto nativitatis eſt elevatus.*

Vinctoſque totondit, & Chararicum quidem Presbyterum, filium vero ejus Diaconum ordinari jubet, Chararicus & filius ejus capti à Clodoveo inviti tonſi, & ordinati. Pater in Preſbyterum, filius in Diaconum. Hac ætate memorantur quam plures inviti tonſi & ordinati, vel in Monaſterium quaſi in inſulam deportati, de Salonio & Sagittario Gregor. infr. libr. 5. cap. 21. *Ipſoſque in Monaſterijs à ſe longiori acceſſu dimotis in quibus pœnitentiam agerent, includi præcepit.*

Cumque Chararicus de humilitate ſua conquereretur, Clodoveus audivit Chararicum, conqueri de humilitate ſua, id eſt de humiliatione quam paſſus erat ſuccifis capillis, quo ſpes regni recuperandi ſublata videbatur, inde Clerici dicuntur ordinari humiliatis, id eſt ſuccifis capillis. Gregor. de mirac. B. Martin. libr. 2. cap. 33. *Deinde ad Monaſterium ſibi proximum humiliatis capillis, vt Presbyter ordinatus, cœpit Deo ſtrenuè ſervire.* Idem libr. 3. de mirac. ejuſd. cap. 15. *Tandem inſpectis propriæ conſcientiæ noxis, converti decrevit, ſcilicet vt humiliatis capillis ipſi ſancto deſerviret Antiſti.* Idem de glor. confeſſ. cap. 22. *Ad nos vero cum horum notitia deveniſſet puerum humiliatis capillis, huic Monaſterio ceſſimus.*

Quod verbum ſonuit in aures Clodovei, quod ſcilicet minarentur ſibi cæſariem ad creſcendum laxare, Clodoveus Chararicum cum filio capite plecti juſſit, quod filius patri de ſucciſo capillo conquerenti dixiſſet, in viridi ligno frondes ſucciſas reſurgere, intelligens eos cogitare de comâ laxanda, id eſt demittenda, ſpe regni non amiſſa. Comam laxare, eſt capillum ſubmittere, ut in cap. 4. extr. de vit. & honeſt. cleric. can. ſi quis ex clericis 23. diſt. laxare eſt dimittere. Gregor. infr. libr. 4. cap. 16. *Omne quod circumivi, laxare non potero, ſed ſub mea hoc poteſtate, cum gratia patris mei cupio retinere.*

Hæc dedit Leudibus ejus vt ſuper eum inimicarentur. Leu-

Cap. 42. des vel Leodes ſunt Vaſſi vel fideles regij. Gregor. infr. libr. 3. cap. 23. *Sed ille (is erat Theodebertus Rex) muneribus placatis à Leodibus ſuis defenſatus eſt, & in regno ſtabilitus.* Idem lib. 8 cap. 9. *Sed vt credo alicujus ex Leudibus veſtris ſit filius.* Idem libr. 9. cap. 20. *Similiter convenit, vt ſecundum pactiones inter domnum Gunthranum, & bonæ memoriæ Domnum Sigebertum initas, leudes illi qui Domno Gunthranno poſt tranſitum Domni Chlotarij Sacramenta primitus præbuiſſent, & ſi poſtea convincuntur ſe in parte alia tradidiſſe, de locis vbi commanere videntur, convenit vt debeant removeri*, & infra, *Similiter convenit, vt nullus alterius leudes, nec ſollicitet nec venientes excipiat.* Fredegar. cap. 1. *Et cum leudis erat aptiſſimus.* Idem cap. 27. *Hortabatur à Leudis ſuis, vt cum Theodoberto pacem iniret, & Theodoricum Leudes tenebant, nè illuc graderetur.* Idem cap. 56. *Dagobertus vniverſis Leudibus, quos regebat in Auſtria, jubet cum exercitu promovère.* Idem cap. 87. *Iuſſu Sigiberti omnes Leudes Auſtraſiorum in exercitum gradiendum banniti ſunt.* Aimoin. libr. 3. cap. 81. *Fuit autem Guntrannus, Leudis ſuis benevolus, gentibus externis pacatus.* Sic à Latinâ voce laus laudare quia Vaſſi laudant dominum, Ditmarus lib. 5. *Ibi tunc Rex à Præfato Comite, & à primis illius regionis collaudatur in dominum.* Unde laus pro laudatione domini ſeu profeſſione fidei. Idem libr. 6. *Henrico (is erat Dux Bavariæ) 12. Kal. Aprilis, cum omnium laude præſentium, cumque haſtâ ſigniferâ Ducatum dedit.*

Cap. 43. *Sepultuſque in Baſilica ſanctorum Apoſtolorum, quam cum Chrotilde Regina ipſe conſtruxerat*, Clodoveus cum Clotilde Regina conſtruxit Baſilicam ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli apud Pariſios, in quâ conditus eſt. Hæc poſt mortem fundatoris dicta eſt Baſilica S. Genovefæ à reliquijs B. Genovefæ, quæ ibi quieſcunt. Gregor. infr. libr. 4. cap. 1.

AD LIBR. III.

VEL qualiter eam (Trinitatem) *Aaron portat in Logio,* Logium eſt rationale Pontificis, ſic dictum quod in eo λόγος, id eſt nomen Dei legatur. Gregor. libr. 5. cap. 44. *Quam Aaron portavit in Logio.* Rationale eſt faſcia quæ tegit pectus Pontificis. Hieronym. in Eſaïæ cap. 3. *Faſcia pectus tegit, & eum poſsidet locum in fœminis, quem rationale in Pontificibus.* Eadem notatione Analogium eſt pluteum ſive pulpitum in quo Evangelium ſeu verbum Dei legitur. Ekkeard. Junior de caſib. monaſt. S. Galli cap. 1. *Infantulis deinde per ordinem lectitantibus, & analogio deſcendentibus aureos in ora ad ſe elevatis miſit.* Greg. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 94. de Cypriano E. Carthag. & martyre. *In cujus Baſilica Analogius, in quo libro ſuprapoſito cantatur, aut legitur, mirabiliter compoſitus eſſe refertur.* Idem de glor. confeſſ. cap. 37. *Eſt ibi & ſepulchrum ipſius ſancti Venerandi Epiſcopi à quo hæc ædes nomen accepit, ſub analogio compoſitum.* In proem. Cap. 1.

Defuncto igitur Chlodoveo Rege quatuor filij ejus, id eſt Theodoricus Chlodomeris, Childebertus atque Chlotarius Regnum ejus accipiunt, & inter ſe æqua lance dividunt. Chlodoveo in regno ſucceſſere ex æquis partibus quatuor ejus liberi. Reges Francorum ſuccedunt ex ſtemmate ſeu genere. Gregorius P. Homil. 10. in Evang. *In Perſarum quoque, Francorumque terra, Reges ex genere prodeunt.* Idem teſtatur Agath. libr. 1. de Regibus Francorum παῖδες ἐκ πατρῴων τὴν βασιλείαν διαδεχόμενοι & infra ἀλλ' ἐκάλει τε αὐτὸν, εἰς τὴν ἡγεμονίαν ὁ πάτριος νόμος. *Filij*

patribus in regnum ſuccedunt, patria tamen lex ad regnum eum vocabat.

Cap.2. *Illæ autem hæc audientes Apollinarem ad Regem dirigunt.* Poſt exceſſum Eufraſij Quintiano Epiſcopo Rutenenſi & jam à tempore Gothorum apud Arvernos refuga , à populo electo , Apollinaris à Theodorico Rege cui parebant Arverni, Epiſcopatum obtinuit, ſed eo morte ſublato intra quatuor menſes, Quintianus præcepto Regis Epiſcopus ordinatus , ut liquet ex his verbis quæ ſequuntur. *Cum autem hæc Theodorico nuntiata fuiſſent juſſit inibi ſanctum Quintianum Epiſcopum conſtitui, & omnem ei poteſtatem tradi Eccleſiæ.* Ab initio Regni Francici ordinatio Epiſcoporum fuit juris Regij quod probatur varijs exemplis. Gregor. lib. 4. cap. 18. *Denique cum Pientius Epiſcopus ab hac luce migraſſet apud Pariſios civitatem, Paſcentius qui tunc Abbas erat Baſilicæ ſancti Hilarij : ei ſuccedit ex juſſu Regis Chariberti clamante Auſtrapio ſibi hunc redhiberi locum.* Idem lib.6.cap. 8. *Iovinus iterum qui quondam Provinciæ rector fuerat, regium de Epiſcopatu præceptum accepit.* Idem libr. 7. cap.31. *Nuper enim in Aquenſi vrbe Epiſcopus obierat, & Nicetius Comes loci illius, germanus Ruſtici vici Iulienſis Epiſcopi præceptionem ab Chilperico elicuerat , vt tonſuratus civitati illi Sacerdos daretur.* Sic Sulpitius beneficio Guntrani Regis, Bituricenſis Epiſcopus ordinatus , rejectis muneribus aliorum qui Epiſcopatum ambiebant. Idem lib. 6. cap. 39. *Poſt hæc Sulpitius in ipſa vrbe ad Sacerdotium Guntranno Rege favente præeligitur , nam cum multi munera offerrent , hæc Rex Epiſcopatum quærentibus reſpondiſſe fertur , non eſt Principatus noſtri conſuetudo , Sacerdotium venundare ſub pretio , ſed nec veſtrum cum præmijs comparare, nè & nos turpis lucri infamia notemur , & vos mago Simoni comparemini.* Sic Ommatius Turonenſis Epiſcopus ordinatus juſſu ClodomerisRegis Gregor. infr. hoc libr. cap. 17. *Igitur Dinifio Epiſcopo apud Turones decedente, Ommatius tribus annis præfuit, hic enim ex juſſu Chlodomeris Regis ordinatus eſt* Euphronius Turonenſis Epiſcopus ordinatus præcepto Clotarij. Idem lib 4. cap. 15. *Et data præceptione* XVIII. *poſt Beatum Martinum ſanctus Eufronius ordinatur Epiſcopus.* Etiam Canones Gallicani in electione Epiſ-

Epiſcoporum conſenſum Regis deſiderarunt, nè electus Regno ſuſpectus eſſet Synod. Aurelianenſ. 5. can. 10. *vt nullum Epiſcopatum præmijs aut comparatione liceat adipiſci, ſed cum voluntate Regis, juxta electionem Cleri, ac Plebis*, &c. Et Synod. Valentin. can. 10. *Si quando alicujus civitatis Epiſcopus, vocatione Domini deceſſerit, à glorioſiſſimo Principe ſupplicando poſtuletur, vt canonicam electionem clero & populo ipſius civitatis permittere dignetur*, &c. Electionem quidem reſtitui voluére Patres, ſed non ſine voluntate & beneplacito Principis, & ſub Regibus tertiæ ſtirpis, reſtitutâ electione, huic modus adhibitus nè electio fieret, priuſquam à Rege petita eſſet libera electio, ex teſtamento Philippi Auguſti apud Rigordum *ſi fortè contigerit ſedem Epiſcopalem, vel aliquam Abbatiam Regalem vacare, volumus ut Canonici Eccleſiæ, vel Monachi Monaſterij vacantis, veniant ad Reginam & Archiepiſcopum, ſicut ante nos venirent & liberam electionem ab eis petant, & nos volumus quod ſine contradictione eis concedant.*

Et ſtatim directi nuntij convocatis Pontificibus, & populo in cathedram Arvernæ Eccleſiæ locaverunt. Quintianus inſtallatus ſolemniter in ſede Epiſcopali, ordinatio & inſtallatio Epiſcoporum fiebat ſolemniter, ſolemnia inſtallationis Geraldi Lemovicenſis Epiſcopi refert Ademarus. *Poſt benedictionem comitati ſunt eum vſque Lemovicum Arnaldus, & Grimoardus Epiſcopi primum ad ſanctum Martialem venerunt, ſimul & recepti ſunt à Monachis, inde Monachi eos duxerunt, cum Antiphonis vſque ad Eccleſiam Cairocenſem, ibi in cathedra ſedit, & humeris populi vectus, Canonicis Antiphonas concinentibus, textum Evangeliorum à Grimoaldo Epiſcopo legendum ſumpſit, & ita benedicens dextera aſſiduè, ad oſtium Baſilicæ S. Stephani, cum gloria deductus eſt, Grimoardus tradidit ei portas Eccleſiæ, Arnaldus cordas ſignorum, & ambo in ſedem ſancti Martialis inthronizaverunt eum, & clara voce Te Deum laudamus Arnaldus Epiſcopus intonuit Epiſcopum ſedentem oſculati ſunt omnes, deinde miſſam celebraverunt*, &c. De inſtallatione VvibodiCameracenſis Epiſcopi Baldricus Noviomenſis chronic. Camerac. lib. 2. cap. 90. *Nam cum dignitatis tanto*

munere ſuſcepto rediret, adeo quippe æſtu torrente fatigatus, ut cum ad Eccleſiam uſque pervenerit, vix campanam, cujus tintinnabulo Epiſcopi dignitatem vindicandam, ſibi indicare deberet, vix inquam præ moleſtia ægritudinis movere potuerit. Abbatum quoque inſtallatio fiebat ſolemniter, ſed hoc vetitum in Abbatibus Ciſtercienſibus Honorius III. Ad Abbates hujus ordinis in cap. nè Dei Eccleſiam extr. de Simon. *Inſtallationis ſolemnitates in electis Abbatibus ordinis veſtri, fieri prohibentes.*

Cap. 5. *Igitur mortuo Gundebado, Regnum ejus Sigimundus filius ejus obtinuit, Monaſteriumque Agaunenſe ſolerti curâ cum domibus, baſilicisque ædificavit.* Circa ann. Chr. 600. Sigiſmundus Rex Burgundionum Agaunenſe monaſterium apud Allobroges ad radicem Montis S. Bernardi ædificavit in honorem S. Mauritij Tribuni legionis Thebeæ & ſociorum martyrum. Aimoin. libr. 2. cap. 4. *Tunc temporis Sigiſmundus baſilicam ſanctorum Mauricij ſociorumque ejus, magnis extruebat impenſis in loco nuncupato Agauno* &c. *c'eſt S. Maurice en Chablais ſur le Rhoſne.* Et hi ſunt quos Gregorius vocat ſanctos Agaunenſes infr. hoc cap. *Nihilominus ille ad ſanctos Agaunenſes abiens, per multos dies in fletu & jejunijs durans, veniam precabatur*, & idem de glor. martyr. cap. 76. *Accidit vt miſſo preſbytero munera fratribus, qui ſanctis Agaunenſibus deſerviunt ex voto tranſmitteret.* Horum martyrum reliquias in Eccleſia Turonenſi inventas tradit Idem infr. libr. 10. cap. 31. *In Eccleſia Turonica Beatorum reliquiæ Agaunenſium, ab antiquis fuerunt collocatæ.* Mauricius & ſocij Martyrium paſſi apud Agaunum, quod oppidum eſt ſuper Rhodanum, Ottho Friſing. 3. chronic. cap. 45. *Mauricius ergo cum ſocijs qui ſex M. DCLXVI. fuiſſe dicuntur, apud Agaunum ſuper Rhodanum ſitum oppidum martyrio coronantur.*

Cui dormienti orarium ſub collo poſitum, ac ſub mento ligatum, trahentibus ad ſe invicem duobus pueris ſuffocatus eſt. Sigiſmundi Regis filius dormiens interceptus, & à duobus pueris id eſt ſervulis, orario collo circumjecto ſtrangulatus. Orarium variè accipitur apud veteres, hoc loco pro faſcia quæ ori ſeu collo apponitur. Eodem ſenſu hac voce uſus eſt Grego-

rius infr. libr. 4. cap. 26. *Chramnus ſuper ſcamnum extenſus orario ſugillatus eſt.* Et Ambroſ. de exceſ. Satyr *Satyrus in naufragio ab his quos initiatos eſſe cognoverat divinum illud fidelium ſacramentum popoſcit, non ut curioſos oculos insereret arcanis, ſed ut fidei ſuæ conſequeretur auxilium, etenim ligari fecit in orario, & orarium involuit in collo, atque ita ſe dejecit in mare.* Et Auguſtin. de Civit. Dei libr. 2. cap. 8. *Tunc ſicut potuit oculum lapſum atque pendentem, loco ſuo revocavit, ligavit orario* Et Gregor. Pap. libr 6. epiſt. 27. *Duas autem Camiſias & quatuor oraria vobis tranſmiſi, quæ prædictis viris ex benedictione ſancti Petri peto humiliter offerri.* Alias orarium accipitur pro veſte ſeu tunica, quæ circum os habet capitium ſeu περιςόμιον hoc ſenſu id videtur accipere. Gregorius infr libr. 6. cap 7 *Cumque die Sabathi Priſcus præcinctus orario, nullum in manu ferens ferramentum Moſaïcas leges quaſi impleturus ſecretiora competeret.* Priſcus Judæus notatur die ſabathi præcinctus orario locum ſecretum acceſſiſſe quaſi legis Moſaïcæ implendæ cauſa, quia Judæi die ſabathi orario præcincti, nè corpus nudum videretur, locum ſecretum petebant, ventris expurgandi caſa, priuſquam accederent ad orationem ut docet Jo.Buxtorfius Synagog. Judaïc. cap.4. Judæi captabant ſecretum ad neceſſaria, ſpeluncam intravit Saul ventris levandi cauſa, idem de Perſis Ammian. lib 23. *Superbis, nec ſtando mingens, nec ad requiſita naturæ ſecedens, facilè viſitur Perſa, ita obſervantius hæc aliaque pudenda declinat.* De Ægiptiis Mela lib. 1. de ſit. orb. cap 9. *Cibos palam, & extra ſua tecta capiunt, obſcæna intimis ædium reddunt.* Secretiora ſunt quæ ſecreta loca vocavit. Gregor. de mirac. B. Martini lib. 3. cap 59. *Nec mora ſecreta digeſtionum loca puer expetit, deducitur in angulo ventris purgandi cauſa.*

Nihilominus ille ad ſanctos Agaunenſes abiens, per multos dies in fletu & jejunijs durans, veniam precabatur, pſallentium ibi aſsiduum inſtituens. Sigiſmundus Rex dolens de morte filij, quem conſilio novercæ occidi juſſit, pro ejus ſalute anniverſarium inſtituit in monaſterio Agaunenſi à ſe fundato. Mos antiquiſſimus Eccleſiæ eſt ut anniverſarium officium celebretur pro mortuis. Tertull. de Monogam. *Enim vero &*

pro anima ejus orat, & refrigerium interim adpoſtulat ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus, nam hæc niſi fecerit verè repudiavit quantum in ipſa eſt. Ideò dies depoſitionis ſeu ſepulturæ defunctorum referebatur in Necrologium ſeu librum defunctorum, ut eorum memoria conſervaretur, & pro his anniverſarium officium celebraretur, unde anniverſarium cœpit celebrari pro Oſualdo Rege Nordhumbrorum, ex quo dies ejus depoſitionis inventus eſt in codice defunctorum quem annale vocat Beda lib. 4. Hiſtor. cap. 14. *Quærant in ſuis codicibus in quibus defunctorum eſt adnotata depoſitio, & invenient illum hac die raptum eſſe de ſeculo, celebrent ergo miſſas per cuncta Monaſterij oratoria hujus, ſive pro gratiarum actione exauditæ ſuæ deprecationis, ſive etiam in memoriam præfati Regis Oſualdi, qui quondam ipſorum genti præerat*, & infra. *Credidit ergo verbis pueri Presbyter ac ſtatim egreſſus requiſivit in annali ſuo, & invenit eadem ipſa die Oſualdum Regem fuiſſe peremptum, & ex eo tempore non ſolùm in eodem Monaſterio, ſed & in pleriſque locis alijs cœpit annuatim ejuſdem Regis ac militis Chriſti natalitius dies Miſſarum celebratione venerari.*

Cap. 6. *Cui à Beato Avito Abbate Nutiacenſi magno tunc temporis Sacerdote dictum eſt.* Avitus Abbas Nutiacenſis conſilium dedit Clodomiri Regi Aurelianenſi, ut abſtineret à nece Sigiſmundi Regis Burgundionum quem in vinculis captum tenebat, ubi nam ſitum eſſet monaſterium Nutiacenſe vix eſt dicere, Nutiæ civitatis meminit idem auctor infr. libr. 4. cap. 16. *Saxones exeuntes de regione ſua in Franciam venerunt, & vſque in Nutiam civitatem prædas egerunt.* Nocetum Aimoin. lib. 3. cap. 42. *Trans Matronam in villam, Nocetum nomine.* Noyſy.

Cap. 7. *Alijs vero ſuper Orbitas viarum extenſis.* Orbita eſt ſulcus viæ quem orbis rotæ currus efficit Gallis *Ornicre des chemins.* Iſidor. Orig. lib. 15. cap. 6. *Orbita veſtigium carri ab orbe rotæ dicta* Continuat. Bedæ libr. 2. cap. 26. *Securi peregrini inſuetas viarum terebant orbitas.* Seren. Sammonic. de Medicin.

Quæ ſola ſignavit volvendis orbita plauſtris:

Ecce verbum directum habemus. Verbum directum eſt verbum imperativum, quaſi verbum rectum Regis, imperantis procedi contra hoſtem. Eadem locutione utitur Gregorius infr. libr. 4. cap. 14. *Deſiſtite quæſo, deſiſtite ab hac intentione, verbum enim directum non habemus.*

Illa quoque ad Deum converſa mutata veſte monaſterium ſibi intra Pictavenſem vrbem conſtruxit. Radegundis Regina uxor Chlotarij Regis veſte mutatâ, fundavit monaſterium Virginum in honorem ſanctæ Crucis, Hocce monaſterium inſtitutum eſt ſub Regula Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi, de qua extat ejus epiſtola ad Epiſcopos ſcripta apud Gregorium infr. libr. 9. cap. 43. *Et quoniam inſtituente, atque remunerante præcellentiſſimo Domno Rege Chlothario Monaſterium puellarum Pictava vrbe conſtitui, conditumque quantum mihi munificentia regalis eſt largita, facta donatione dotavi, inſuper congregationi, per me Chriſto præſtante collectæ Regulam ſub qua ſancta Cæſaria degit, quam ſolicitudo Beati Cæſarij Antiſtitis Arelatenſis ex inſtitutione Sanctorum Patrum convenienter collegit adſcivi.* Eodem pertinet epiſtola Epiſcoporum ad Radegundem quæ præmiſſa eſt cap. 39. ejuſd. libr. *Tamen ſpecialiter definimus, ſi qua de locis Sacerdotaliter, noſtræ gubernationi Domino providente commiſſis, in Pictavina civitate veſtro Monaſterio meruerit ſociari, ſecundum beatæ memoriæ domini Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi conſtituta, nulla ſit ulterius diſcedendi licentia.* Et Fortunatus Pictavienſis Epiſcopus, & Radegundis cultor devotiſſimus libr. 8. carm.

Regula Cæſarij linea nata ſibi eſt.

Idemque carm. 4. ejuſd. libr.

Conſpiciente fide Chriſti Radegundis amore
Cæſarij lambit regula quicquid habet.

Ejus vitam diverſis libris ſcripſere idem Fortunatus, & Bandomina una è virginibus ejuſdem monaſterij, utraque extat apud Surium tom. 4. ejus meminit & Gregorius libr. de glor. Confeſſ. cap. 106.

Expanſoque in parte domus illius tentorio, tentorium σκηνὴ *vne Tapiſſerie.*

Theodoricus vero intelligens hunc hæc cognoviſſe, fabulam

fingit, & alia ex alijs loquitur, fabula pro ſermone nugatorio, vel jocundo. Senec. epiſt. 70. *In fabulam exceſſi non ingratam tibi.* Hieronym. ad Caſtrutium. *Et ne veteres replicando hiſtorias longum faciam, & excedam menſuram epiſtolæ, brevem tibi fabulam referam, quæ infantiæ meæ temporibus accidit.* Et Sidon. libr. 7. epiſt. 2. *Habetis hiſtoriam iuvenis eximij, fabulam Mileſiæ vel Atticæ parem.* Greg. infr. lib. 4. cap. 9. *Hunc Theodovaldum ferunt mali fuiſſe ingenij, ita vt iratus cuidam quem ſuſpectum de rebus ſuis habebat, fabulam fingeret dicens.* idem lib. 5. cap. 49. *Ad civitatem vero Turonicam Berulfus Dux cum Eunomio Comite fabulam fingit, quod Guntchramnus Rex capere vellet Turonicam civitatem.* Plerumque etiam fabula accipitur pro ſermone maledico, & famoſo. Horatius ſermon. libr. 1.

Cap. 1.

—— Mutato nomine de te
Fabula narratur ——

Propert. libr. 2. epiſt. 21.

Semper formoſis fabula pœna fuit.

Chlotarius verò valedicens & pro munere gratias agens, ad metatum regreſſus eſt. Metatum eſt hoſpitium quod militibus vel hoſpitibus præbetur l. 1. & tot. tit. C. de metat. Inde metatores qui hoſpitium præſignant Optat. libr. 3. *Nam cum ante venturos milites, metatores vt fieri ſolet mitterentur*, & metatoria epiſtola, eſt epiſtola adventoria, qua amicus amico adventum ſignificat hoſpitij cauſa. Sidon libr. 8. epiſt. 1. *Huic quodam tempore Burdegalam inviſens metatoriam paginam, quaſi cum Muſâ prævia miſi.* Recentioribus metatum pro hoſpitio quolibet. Gregor. infr. libr. 5. cap. 19. *Ipſe verò ad metatum diſceſsit.* Idem lib. 10. cap. 2. *Vnus puerorum Evantij, qui cum eodem abierat direptiam ſpeciem de manu cujuſdam negotiatoris ad metatum detulit.* Idem infr. h. libr. cap. 15. *In metatu ejus ait ad eum homo.* Idem infr. libr. 5. cap. 19. *Recedente verò Rege ad metatum ſuum.*

Dicere enim erat ſolitus Rex, velim vmquam Arvernum Lemanem quæ tantæ jocunditatis gratia refulgere dicitur oculis cernere. Perlato falſo nuntio de morte Theodorici Regis, cujus ſorti obvenerant Arverni, ab Arcadio uno ex Senatoribus

Arvernis Childebertus properavit ut regionem occuparet, cujus pars inferior vocatur Lemane. Gregor. infr. libr. 5. cap. 34. *Tantaque inundatione Limane eſt infuſum*, &c. Sic dicta à Limo propter ſoli fœcunditatem, quàm laudat idem libr. de glor. Martyr. cap. 84. *Sicut Limanne veſtitum ſegetibus, nudum habetur à ſylvis.* Et hic eſt angulus invidioſus, cui tantopere Gothos inhiaſſe ſcribit Sidon. libr. 3. epiſt. 1. *Quod cujus meriti eſſe poſsit, vel Gothis credite, qui ſæpe numero etiam Septimaniam ſuum faſtidiunt vel refundunt, modo invidioſi hujus anguli etiam deſolata proprietate potiantur.* Inde regionis incolæ Limanici dicti Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 31. *Illud apud Arvernos geſtum in adoleſcentia meâ, in veritate cognovi, quidam presbyter ſolitarius iter carpens ad hoſpitiolum cuiuſdam pauperis Limanici manſionem expetiјt*, vulgò *la Limagne d'Auvergne.*

Et unde ingrederetur pervium patulum non haberet, Patulum portæ urbis eſt oſtium patens, impropriè dictum, patulum enim dicitur quod patet naturaliter ut arbor. Patens verò eſt quod aperitur & clauditur ut oſtium Serv. in eclog. 1. in illa verba. *Tityre tu patulæ.* Patulas manus dixit. Sidon. libr. 1. epiſt. 2. *Patula ſpectacula.* Idem Gregor. libr. 5. cap. 14. *Cum canibus exerceamur venatione ſpectaculiſque patulis jocundemur.* Pervium eſt quâ via patet. Gregor. infr. h. libr. cap. 37. *Gravis eo anno, & ſolito aſperior hyems fuit, itaut torrentes concatenati, pervium populis iter præberent.* Cap. 5.

Sexaginta calices, quindecim paternas, viginti evangeliorum capſas, pro paternas lege patenas uti legit Aimoin. libr. 2. cap. 8. Patena eſt Patella quę ſuperponitur Calici, in quo deponitur Sacroſanctus Sanguis Chriſti. Alias Patena pro loculo in quo ſanctum Chriſma cuſtoditur. Anaſtaſ. in Sylveſtro. *Patenam argenteam chriſmalem auro cluſam penſantem libras quinque.* Chriſmarium vocat Gregorius de mirac. B. Martin. libr. 4. cap. 32. *Elevato Chriſmario contra ignem exortus ſubito ventus vento illi contrarius, flammas à tecto Eccleſiaſtico avertens alium pepulit in parietem.* Patenæ aliæ erant aureæ vel argenteæ, aliæ Cryſtallinæ. Gregor. de mirac. B. Martin. libr 4. cap. 10. *Eſt apud nos Patena colore Saphyrino quam dicitur ſan-*

ctus de Maximi Imperatoris theſauro detuliſſe, de qua ſuper frigoriticos virtus ſæpe procedit. Eſt & apud Condatenſem vicum alia quoque Patena à ſancto exhibita holocriſtallina ſimile infirmis beneficium præbens. Capſa Evangeliorum eſt ciſta in qua codex Evangeliorum cuſtodiæ cauſa deponitur. Gregorius de glor. confeſſ. cap. 63. *Tunc capſam ad ſancta Evangelia recludenda, Patenamque & Calicem ex auro puro, pretioſiſque lapidibus præcepit fabricari.*

Cap. 12. *Theodoricus verò cum exercitu Arverno veniens, totam regionem devaſtat ac proterit,* Theodoricus iratus quod Arverni auctore Arcadio Childebertum admiſiſſent, accepto falſo nuntio de ejus nece, Arvernum id eſt Arverniam totam armis vaſtavit. Arvernam cladem refert idem. Gregor. de vit. Patr. cap. 4.

Interea Archadius ſceleris illius auctor, cujus ignaviâ regio devaſtata eſt, Bituriges vrbem petijt, erat autem tunc temporis, vrbs illa in regno Childeberti Regis. Arcadius ut vitæ ſuæ conſuleret, cum tutus non eſſet apud Arvernos, Theodoricum offenſum habens, ob ſtudium in Childebertum, Biturigas ſeceſſit, quæ urbs erat in ditione Childeberti.

Cap. 31. *Tunc ante ora parentum, vinctis poſt tergum manibus oblati.* Captivi vincti ligatis poſt tergum manibus, idem de reis in gravioribus criminibus. Gregor. infr. h. libr. cap. 36. *Tunc cædentes eum pugnis ſputiſque perurgentes, vinctis poſt tergum manibus ad columnam lapidibus obruunt.* Q. Curtius libr. 6. cap. 9. *Tum Philotam religatis poſt tergum manibus, obſoleto amiculo velatum juſſit induci,* & Gregor. ipſe de mirac. B. Martin. libr. 4. cap. 16. *Ducebatur ergo non ſolùm cathenis colla revinctus, verum etiam poſt tergum manibus colligatis.* apud Aſſyrios ſupplicis ſignum, manus poſt tergum nexæ. Ammian. libr. 18. *Salutavit patronum appellans & Dominum, manus poſt tergum connectens, quod apud Aſſyrios ſupplicis indicat formam.*

Erat autem ibi tunc temporis quidam Litigius ex minoribus, qui magnas ſancto Quintiano parabat inſidias. Minores ſunt qui ſunt de plebe. Tacit. 16. Annal. *qui appellato Principe inſtantem damnationem fruſtrati, mox Neronem circa ſumma ſcelera diſten-*

diſtentum, quaſi minores evaſére, Ijdem juniores, hoc enim nomen non ætatis eſt, ſed conditionis. Capitul. lib. 3. cap. 73. *De vulgari populo, & vnusquiſque ſuos juniores diſtringat*, alijs locis juniores ſunt miniſtri vel officiales. Beda libr. 5. cap. 7. *Abeunte autem Romam Cendualla ſucceſsit in regnum Hun. de ſtirpe regia, qui cum triginta ſeptem annis imperium tenuiſſet gentis illius, & ipſe relicto regno ac junioribus commendato, ad limina Beatorum Apoſtolorum, Gregorio Pontificatum tenente profectus eſt.* Minores etiam pro junioribus, ſeu recentioribus accipi invenies Virgil. 1. Æneid.

Nunc fama minores. Italiam dixiſſe.

Vel etiam pro poſteris, & opponuntur majoribus ut illo loco 8. Æneid.

Lectique minores.

Itaut & quadam vice vxori, quæ ſanctus fecerat pro ridiculo indicaret. Ridiculum pro deriſione, confuſione, contemptu. Auguſtin. de fide Manich. cap. 34. *Magna ridicula, magna cecitas.* VVillelm. Malmesbur. de geſt. Pontific. Anglor. libr. 2. *Et ne daretur ab imperitis ridiculo, vel ſuperbis jactantiæ notaretur elogio, viſibus hominum abditus, nocturnus viator totum iter conficiebat*, de quo plura infrà libr. 10. cap. 16.

Victoriaci caſtri muros expetens, cum rebus omnibus in eo ſe ſtuduit communire. Victoriacum caſtrum antiquum & munitum (Gallis, *Vitry*) ejuſdem meminit. Gregor. infra lib. 4. cap. 46. *Veniente autem illo ad villam, cui nomen eſt Victoriacum, collectus eſt ad eum omnis exercitus.* Idem Aymoin. lib. 3. cap. 12. & Gregor. infr. lib. 6. cap. 41. *His diebus ei filius natus eſt quem in villâ Victoriacenſe nutriri præcepit.* Frodoard. in chronic. ad ann. 952. *Nec non Pontigonem fiſcum, quem Heribertus invaſerat, aliamque munitionem Rex contra Victoriacum inſtruit.*

Tum Aregiſilus poſitis ſuper altare ſanctum manibus juravit ei, ut ſecurus egrederetur. Jusjurandum ſolemne fiebat vel poſitâ manu ſuper altare, ut hic, vel tactâ pallâ altaris. Gregor. infr. lib. 5. c. 14. *Qui ambienter jurans pallam altaris fidejuſſorem dedit, numquam ſe exinde ſine juſsione Regis egreſſurum.* vel tactâ pallâ ſepulchri ſancti Martini. Idem lib. 5. cap. 49. *Sed*

poſt illata damna, iterat iterum Sacramenta, pallamque ſepulchri beati Martini fidejuſſorem donat, ſe nobis numquam adverſaturum, vel etiam manu levatâ contra ædem ſacram. Idem Gregor. lib. 8. cap. 16. *Ecce Templum ſanctum è contra jura ut libet nam calcare limen ſacrum non permitteris*. Adrevaldus de mirac. ſancti Benedict. lib. 1. cap. 35. *Cumque litem dirimere vellet, atque ille qui pretium habuerat compari ſe reddidiſſe modis omnibus adfirmaret, nec dictis ejus fides adhiberetur, neceſſitate compulſus dexteram contra baſilicam extendens cum furore juramentum protulit.*

Quo interfecto res ejus fiſco conlatæ ſunt. Munderico reo affectati regni adverſus Theodoricum Regem dedito, occiſo præter fidem datam, res ejus in fiſcum redactæ. Legibus reggni, bona damnatorum perduellionis fiſco addicuntur. Gregorius infr. libr. 5. cap. 26. *ſed & duo filij eius Burgolenus & Dodo, ob crimen majeſtatis læſæ, iudicio mortis ſuſcepto, vnus ab exercitu vi oppreſſus eſt, alius in fugâ adprehenſus, truncatis manibus & pedibus interijt, reſque omnes tam eorum, quàm patris fiſco conlatæ ſunt.*

Cap. 15. *Multi tunc filij Senatorum in hac obſidione dati ſunt, ſed orto iterùm inter Reges ſcandalo, ad ſervitium publicum ſunt addicti.* Apud Romanos obſides ſi fides falleretur, capite damnati. T. Liv. libr. 9. *Propter neceſſariam fœderis dilationem, obſides etiam ſexcenti equites imperati, qui capite luerent, ſi pacto non ſtaretur.* Ijdem ob fugam de ſaxo Tarpeïo dejecti. Idem libr. 29. *Tarentini obſides fugitivi deducti in Comitio, virgiſque approbante populo cæſi, de ſaxo dejiciuntur.* Jure civili obſides interim pro captivis habentur, ideò teſtari non poſſunt de bonis, quæ apud nos reliquerunt, niſi beneficio Principis l. obſides ff. qui teſt. fac. putà ſi beneficio Principis acceperint uſum togæ Romanæ l. ſed ſi accepto de jur. fiſc. & obſidum bona quæ apud nos ſunt, ſicut captivorum omnimodò in fiſcum rediguntur l. Divus Commodus eod. tit Nobiles pueri in obſidione dati id eſt obſides ex pacto inter Theodoricum & Childebertum Reges, fide fracta, hinc inde in ſervitutem redacti.

Erat enim intra Treuirici termini territorium, cuidam Bar-

baro ſerviens Attalus nepos Gregorij Lingonenſis Epiſcopi unus ex obſidibus datis pacto inito inter Theodoricum & Childebertum Reges, in ſervum venijt cuidam barbaro id eſt pagano. Hac ætate pagani erant viles & contempti, & ob contemptum pro barbaris habebantur, & barbari vocabantur, Catholici verò orthodoxi, honoris cauſa, quod fidem Romanam ſequerentur vocabantur Romani. Hoc ſenſu Barbari à Romanis diſtincti.

Fortunat. libr. 2. carm. 9. de Launebode.

Quod nullus veniens Romana gente fabrivit,
Hoc vir barbarica prole peregit opus.

Idem libr. 4. carm. 26.

Sanguine nobilium generata Pariſius vrbe,
Romana ſtudio, Barbara prole fuit.

Idem libr. 7. cap. 8.

Romanuſque lyra, plaudat tibi barbarus harpa.

Idem libr. 9.

Gentibus obſtrictus, Romanis charus haberis.

Non ſemel barbarum pro pagano accepit Gregorius ut libr. de vit. patr. cap. 5. de Portiano Abbate, *ſic enim ſervus fertur fuiſſe cujuſdam barbari.* Idem libr. 2. de Mirac. B. Martin. cap. 59. *Simile eſt & illud, quod mulier poſt emeritam libertatem, rurſus à patroni filijs, Barbaris venundatur*, inde barbaries pro Pagania, vel Paganiſmo, ut infr. hoc ipſo cap. *Ecce enim dies ſolis adeſt, ſic enim barbaries diem dominicum vocitare conſueta eſt.* Romanum pro orthodoxo paſſim invenies. Gregorius de Mirac. Martyr. cap. 25. *Cogitavit intra ſe dicens, quia ingenium eſt Romanorum, Romanos enim vocitant homines noſtræ religionis.*

Tunc locato ſecum homine quodam ait, veni mecum & venunda me in domo barbari illius. Hac ætate non deſierant eſſe ſervi, in Gallia ſervitus extincta regnante Ludovico Hutino circa annum Chriſti 1315. Teſte Joanne Tillio, & paulò ante in Flandria ſub Margareta Comitiſſa circa annum 1252. auctore Mejero. Annal. libr. 9.

Fercula regia componere poſſum. Coquorum eſt ferculum

componere, id eſt condire, ordinare, ſtruere. Servius in illum verſ. 1. Æneid. *quibus ordine longo cura penum ſtruere, ſtruere* inquit, *ordinare componere, vnde & ſtructores dicuntur ferculorum compoſitores*, veſtem componere pro ſarcire dixit idem de Mirac. B. Martin. libr. 2. cap. 58. *Puer Pariſiacus, cujus artis erat veſtimenta componere*, ſepem componere idem de Mirac. ejuſd. libr. 3. cap. 29. *Ex Turonico vero territorio, ſervus cujuſdam dum die dominico ſepem componeret*, inde compoſitio pro ſtructura, vel cura ut compoſitio lychnorum. Gregor. de Mirac. Martyr. libr. 1. cap. 104. de lychno ardente ante corpus B. Felicis Nolani Epiſcopi. *Ille autem cui hoc erat officium contueri, ad ejus compoſitionem, accedens, laxato fune diſceſſit, quaſi oleum petiturus.* Sæpiùs componere eſt quod debetur ſolvere, ut bannum componere idem quod multam ſolvere Anaſtaſ. in can. ſtatuimus 16. qu. 1. *Bannum noſtrum componat, & communione privetur.* Domos vel muros componere pro ſtruere ædificare Greg. infr. lib. 5. cap. 46. *Multa in civitate illa ædificia fecit, domos compoſuit, Eccleſiam fabricavit.* Idem libr. 6. cap. 41. *miſitque ad Duces & Comites civitatum nuncios vt muros componerent vrbium.*

Ecce enim dies ſolis adeſt, ſic enim barbaries diem dominicum vocitare conſueta eſt, dies ſolis dies dominicus nobis dicitur, Tertull. apologetic. cap. 6. *æquè ſi diem ſolis lætitiæ indulgemus.* Impp. in l. 13. C. Th. de exact. *Solis die quem Dominicum ritè dixére majores.*

Et omnibus qui cum eo erant, ipſe diſpenſabat cibaria, & pulmenta. Leo ſervus cujuſdam barbari diſpenſabat cibaria & pulmenta, *Cibarium eſt panis qui in cibo datur*, quia panis eſt diurnus & vulgaris cibus. Columella de re ruſtica lib. 2. cap. 9. *inter frumenta etiam panicum & milium ponenda ſunt, nam multis regionibus, cibarijs eorum coloni ſuſtinentur.* Pulmentum eſt edulium vel obſonium, quod pani additur, inde pultem, & pulmentarium à pane diſtinguit Plin. libr. 18. cap. 8. *Pulte enim non pane vixiſſe longo tempore Romanos manifeſtum eſt, quoniam inde pulmentaria hodieque dicuntur*, & Gregorius ipſe infra hoc cap. eadem diſtinctione uſus, *quarta enim inluceſcit dies, quod nihil panis, pulmentique guſtavimus.* Idemque

libr. 5. cap. 10. de Caluppa recluſo. *Sed nec pulmento aliquo vtebatur, cujus victus erat panis in aquam infuſus, atque ſale reſperſus.* Pultes pro pulmentis Gregor. de vit. patr. cap. 1. *Poſuit in eo cunctos ſimul, quos paraverant cibos tam piſces quàm olera, ſive legumina, vel quicquid ad comedendum Monachis deſtinatum fuerat, dixitque de his pultibus nunc reficiantur fratres.*

Dic tu ô creditor ſoceri mei. Servum diſpenſatorem creditorem vocat, quia ei credita eſt diſpenſatio edulium, vulgò *credencier*, eadem analogia fideles ſeu conſiliorum participes creditos vocat idem infr. libr. 9. cap. 10. *Tranſmitte Abbates & creditos tuos, vt hæc quæ loquor exponant.* Idem de Miracul. Martyr. libr. 1. cap. 72. *Cumque puer ejus quem tunc creditum habebat, ſuſpenſis ad collum ducentis aureis, navem cum eodem aſcendiſſet.* Idem de mirac. Confeſſ. cap. 93. *quod miro perfectum opere, per hominem creditum dirigit Eccleſiæ.* Creditarios auctor vit. Ludovic. P. & Aymoin. libr. 5. cap. 10. *Fideles ac creditarios à latere ſuo miſit.*

At ille ingreſſus manſionem domini ſui, apprehendit ſcutum ejus ac frameam, ſcutum & framea, quod eſt haſtæ genus, erant arma equitum Germanorum. Tacit. de morib. German. *Et eques quidem ſcuto, frameaque contentus eſt.* Ulpian. in l. 3. §. armis ff. de vi & vi armat. *arma ſunt omnia tela, hoc eſt & fuſtes & lapides non ſolùm gladij, haſtæ, frameæ, id eſt romphææ.* Iſidor. 18. Orig. 6. interpretatur ſpatam & gladium ex utraque parte acutum.

Diſceſſerunt vnum etiam volucrum, cum veſtimentis tollentes. Volucrum eſt involucrum ſeu capſula in qua viatores veſtes reponunt itineris cauſa Gregorius infr. libr. 2. 4. cap. 26. *Cumque hæc collectis rebus, factiſque volucris à Cœnobio pararet egredi.* inde voluculum idem de mirac. Martyr. libr. cap. 20. *Collectiſque velulis, ac palliolis de circuitu parietum pendentibus, vnum voluculum facit, impoſuitque humeris.* Volucri voce & utitur idem infr. lib. 5. c. 19. *Oſtenderat enim nobis ante diem tertium Rex duo volucra ſpeciebus & diverſis ornamentis refecta.* Lateralia viatoria vocantur in l. ult. ff. de legat. 3. Chariſ. libr. 1. *Laterale laterarium.*

Et parumper ſuſtentati ingreſſi ſunt iter Campaniæ. Campania eſt Provincia Galliæ in Belgica 2. ſic dicta à latis campis, ſeu latifundijs. Campania pro lata planitie Gregorius de vit. patr. cap. 7. *Deferentes ad caſtrum Divionenſe vbi ſe juſſerat tumulari, in Campania illa quæ à parte Aquilonis habetur, haud procul à caſtro.*

Quibus pergentibus audiunt pedibulum equitum currentium. Pedipulum eſt ſtrepitus calcium equorum per iter pergentium *le trac des chevaux.* Eadem analogia pedules ſunt calcei id eſt indumenta pedum Reg. Benedict. cap. 55. *indumenta pedum pedules & caligas.* Pedules eſſe genus calcei lanei indicat Gregor. de vit. patr. cap. 8. *Vere inquit dico tibi, quia & hac caſula tergo vtor, & de capſa ejus prolixiore parte deciſa, tegumen pedum aptabo* & infra *verum vbi deciſo cucullo aptatis pedulis pedes operuit* vulgò *chauſſons.*

Leonem autem à jugo ſervitutis abſolvens, cum omni generatione ſuæ, dedit ei terram propriam, in qua cum vxore, ac liberis liber vixit omnibus diebus vitæ ſuæ. Gregorius Lingonenſis manumiſſo Leone ſervo, ob meritum, dedit ei prædium proprium, id eſt jure dominij ſeu in alode & liberum poſſidendum. Propria dicuntur quæ in alode ſeu libera poſſidentur Gregor. infr. libr. 9. cap. 38 *Quibus nihil aliud eſt relictum, niſi quod habere proprium videbantur.* Res mancipi vocabant veteres, è recentioribus etiam Sigebertus ad ann. Chr. 961. *Quicquid in re mancipi habuit per teſtamentum Eccleſijs Sanctorum delegato mortuus eſt.*

Cap. 16. *Tunc mulier admonita per Sacerdotem, elevatum in baſternam, vt in aliam villam transferret ſanum recepit.* Mulier id eſt uxor Sigivaldi, maritum amentia percuſſum monitu Tetradij Epiſcopi Arvernenſis, baſterna tranſlatum in aliam villam ſanum recepit. Baſterna eſt genus vehiculi ſeu lecticæ muliebris Ammian. libr. 14. *quo Comitatu matronæ complures opertis capitibus, & baſternis per latera civitatis cuncta diſcurrunt*, Lamprid. in Heliogabal. *Eunuchos pro apophoretis dedit, dedit quadrigas, equos ſtratos, mulos baſternas, & rhedas dedit*, & Gregor. ipſe infr. h. lib. cap. 26. *Dexteria verò cernens filiam ſuam adultam valde eſſe, timens nè eam concupiſcens Rex*

ſibi adſumeret, in baſterna poſitam indomitis bobus conjunctis eam de ponte præcipitavit, inter apophoreta data ab Heliogobalo quod notandum eunuchis conjunguntur Baſternæ, quia Baſternas quod erat genus vehiculi, proprium matronarum præibat turba eunuchorum, Hieronym ad Euſtochium *præcedit caveas Baſternarum, ordo Semivirorum.* Baſternas tectas intellige ex hoc uno quod umbracula Baſternas interpretatur. Hieronym. in Eſaïam cap. 66. *Cum vmbraculis quæ nos dormimitoria interpretari poſſumus, vel baſternas.* Inde Baſternarij ſunt vehicularij ſeu ductores Baſternarum Symmach. libr. 6. epiſt. 15. *Fratrem veſtrum continuò ad vos opto dimittere, cui Baſternarios mox præbere dignemini?* Unde nomen à Græco βαςάζω portito. Mulier hic pro uxore, ut vir pro marito. Gregor. de Mirac. B. Martin. lib. 2. cap. 2. *Iuſtinus vir ſocrus meæ in valetudinem irruit.*

Quod ille audiens, vota beato Martyri vovens, ea quæ vi abſtulerat duplicata reſtituit. Sigivaldus ſanæ menti redditus, vota vovens, Juliano Martyri ablata in duplum reſtituit. Ait vota vovens, vota ſunt res ſeu dona quæ Deo Sanctiſve ex voto offeruntur. Synod. Antiſiodor. can. 3. *Non licet compenſas in domibus proprijs, nec vigilias in feſtivitatibus Sanctorum facere, nec inter ſentes, aut arbores ſacrivos, vel ad fontes vota exolvere, ſed quicumque votum habuerit, in Eccleſia vigilet, & matriculæ ipſum votum, aut pauperibus reddat,* Et Greg. de Mirac. B. Martin. lib. 2. cap. XI. *Quæ ad Beati Martini pedes depoſita, nocte tota cereum manu pro voto detinuit.*

Vtrum inciſa cæſarie vt reliqua plebs habeatur. Chlodomeres tres filios reliquit Theodovaldum, Guntarium & Clodoaldum quià Clotilde avia in ſpem regni cùm educarentur, Childebertus & Clotarius invidiâ commoti, communi conſilio duos ex ipſis ferro necarunt; Clodoaldus qui erat tertius ope ſuorum ſalvus evaſit, priuſquam in eos ſæviretur ad necem Clotildi propoſitum eſt, utrum ei graviùs eſſet, eos tonderi, & tonſos ſpem regni amittere, an necari. Reges Francorum comam alebant & capillos demittebant ad humeros uſque quod erat argumentum regiæ dignitatis, crines ſic compoſitos id eſt ſubmiſſos ad humeros uſque flagella crinium vo-

cabant. Inde Gundovaldus qui ſe Clotarij Regis filium jactitabat, natalis ſui aſſerendi cauſa crinium flagellis in humeros demiſſis, à matre oblatus eſt Childeberto Regi, quo viſo Clotarius eum rejecit, & comam ei tonderi juſſit Gregorius infr. libr. 6. cap. 24. *Gundovaldus qui ſe filium Chlotarij Regis dicebat, de Conſtantinopoli veniens, Maſſiliam eſt advectus Hic cum eſſet natus in Gallijs, & diligenti cura nutritus, ut Regum iſtorum mos eſt, crinium flagellis per terga demiſſis, literis eruditus, Childeberto Regi à matre repræſentatur* & infra *quo viſo Chlotarius juſſit tonderi comam capitis ejus, dicens hunc ego non generavi* Et Clodoveus unus è liberis Chilperici dolo Fredegundis interfectus, & in alveum Matronę fluminis projectus, à piſcatore agnitus eſt ex crinium flagellis. Gregor. infr. libr. 8. cap. 18. *Sed cum ignorarem quiſnam eſſet, à cæſarie prolixa cognovi Chlodoveum eſſe, vna tantum pars capillorum, quæ ſubterfuerat defluxerat, alia verò cum ipſis crinium flagellis intacta durabat.* Et idem de vit. Patr. cap. 20 de Leobardo. *verum etiam nec ille vt quidam dimiſſis capillorum flagellis, aut barbarum dimiſſione plaudebat, ſed certo tempore capillum tondebat & barbam.* Capillorum flagella dixére, quod capilli demiſſi humeros flagellarent ſeu quaterent. Flagellare eſt quatere, verberare. Tertullian. in Scorpiaco. *Itaque primo trahentes adhuc caudam, de affectibus applicant, aut quaſi in vacuum flagellant* Auguſtin. de bono viduit. *Et cum tibi hoc non potuiſſem negare, ſæpe promiſſum meum literis flagellaſti.* Vel flagella crinium dicta, quod crines diviſi & diſtincti eſſent in cincinnos flagellis vitium adſimiles, unde flagella dicuntur ſummitates vitium, quod ventorum flatu agitentur. Virgil. 2. Georgic.

—— *Neve flagella.*

Summa pete.

Figuratè pariter *vmbones capillorum* dicti, eminentes ſuper caput compoſitiones capillorum muliebrium de quibus Auguſtinus de ſancta virginitate cap. 34. *ſive pro tumidis vmbonibus capillorum*, à Latino umbo quæ eſt media pars ſcuti, quæ prominet in modum nodi, ſeu tuberculi ad propulſandum hoſtem. Nec hoc proprium fuit Francorum Regum flagellis

crinium

crinium diſtingui, hoc enim fuit commune Regibus Gothorum, de Theodorico teſtatur Sidon. libr. 1. epiſt. 2. *Aurium legulæ ſicut mos gentis eſt crinium ſuper jacentium flagellis operiuntur*, Eodem genere capillamenti uſi Imperatores Orientis, Μάλλυς vocitârunt Græci Heſychius Μάλλος τὸ ἔριον καὶ ἡ καθειμένη κόμη unde deductum eſt latinum Mallones Anaſtaſ. in Benedict. 2. *Hic vna cum Clero & exercitu ſuſcepit Mallones capillonum Domni Iuſtiniani & Heraclei filiorum clementiſſimi Principis, ſimul & juſſionem per quam ſignificat eoſdem capillos direxiſſe*, Latini veteres cincinnos M. Tullius in Piſon. *Erant illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ*. Dixit cincinnorum fimbrias, quia cincinni in capillis aſſimilantur fimbrijs veſtium Hieronym. in Ezech. lib. 3. c. 8. *Pro cincinno* 70. *tranſtulerunt* κράσπεδον *id eſt fimbriam, quorum alterum in capillis, alterum in veſtibus accipi ſolet*. Eâdem comparatione cirros veſtium pro fimbrijs dixit Auguſtin. libr. 2. qu. in Exod. cap. 114. *Tunicam verò cum cornibus honeſtius putaverunt Latini interpretes dici, quàm ſi dicerent cum cirris, qui benè diſpoſiti ornamento eſſe veſtibus ſolent.*

Tu inquit es inceſtator hujus cauſæ, id eſt auctor nefarij conſilij. Inceſtator propriè eſt inceſti reus. Auguſtin. contra Secundin. cap. 26 *Pauciores ſunt homicidæ quàm plures, pauciores ſunt inceſtatores quàm adulteri. Inceſtare pro ſtuprare*. Plaut. in pœnul.

Is poſtpoſito regno terreno, ad Dominum tranſijt, & ſibi propria manu capillos incidens Clericus factus eſt Clodoaldus unus è liberis Clodomiris Regis, neceſſitate in conſilium verſa, ultro inciſis capillis clericus factus eſt, id eſt ordinatus ab Epiſcopo, clerici cum ordinarentur ab Epiſcopo tondebantur, ex Decreto Aniceti, & Conc. Agath. can. 20. can. prohibete, can. clerici 23. diſtinct. Gregorius de vit. Patr. cap. 9 in Patroclo Abbate. *Abijt ad Arcadium Biturigiæ urbis Epiſcopum, petijtque comam capitis tonderi, adſcirique ſe in ordinem Clericorum*. Hinc quod Ammian. ſcribit libr. 22. Diodorum ſupplicio affectum, quod dum ædificandæ præeſſet Eccleſiæ cirros puerorum licentiùs detondebat, vix aliter poteſt intelligi, quàm quod complures pueros per tonſuram in clericos ordinaret, & hoc confirmant verba quæ proximè ſe-

quuntur, *id quoque ad Deorum cultum exiſtimans pertinere.* Et Sidonius lib. 4. epiſt. 24. cum quæreret, quodnam vitæ genus ſuſcepiſſet Maximus, viſa coma brevi, & barba prolixa, Monachum ageret, clericum an pœnitentem, ſibi dictum refert, *Nuper impacto ſacerdotio fungi*, inde habitus clericalis eſt tonſura, & lata corona. Matth. Pariſ. ad ann. 1234. *inter quos Petrus de Rivallis, primus in cauſam vocatus, apparuit coram Rege, in habitu clericali, cum tonſurâ & latâ coronâ.* Gregor. de vit. Patr. cap. 9. in Patroclo Abbate. *Abijt ad Arcadium Biturigiæ vrbis Epiſcoporum, petiitque comam capitis tonderi, adſcirique ſe in ordinem clericorum.*

[Cap. 19.]

Ante portam autem molina mira velocitate decurrit. Molina pro aquæ mola leg. Salic. cap. 35. *Aquæ molina*, mola alia eſt quæ vertitur manu, alia aquæ impulſu. idem Gregor. de mirac B. Martin. lib. 3. cap. 3. *accepta annona, ad molam vadit, impoſitoque tritico, molam manu vertere cœpit.* Idem de vit. Patr. cap. 18. *Dum autem hæc ageret vt fratres molam manu vertentes triticum ad victus neceſſaria comminuerent, pro labore fratrum viſum eſt ei molendinum in ipſo, Ligeris fluvij alveo ſtabilire.*

[Aſcaló vulgò Scalona, vel Eſcalona Jo. Bromton in Richardo 1. ad ann. 1189. *Hoc anno Sibilla Regina Hieruſ. dedit Saladino Eſcalonam, pro redēptione Guidonis de Lezinō Regis Hieruſalem*]

A parte autem occidentis montes ſunt vberrimi, vineiſque repleti, qui tam nobile incolis falernum porrigunt, vt reſpuant Scalonum. Divionenſe vinum ea laude commendat, ut dicat præferri vino Scalono. Interpres Gallicus temerè vertit *vin de chaloſſe*, ſcire enim debuit vinum Scalonum non eſſe vinum Gallicanum, immò vinum tranſmarinum. Eâ ætate Principes & alij viri nobiles delectabantur vinis tranſmarinis, inter quæ laudatiſſima fuére, Aſcalonitanum, & Gazenſe. Aſcalon vulgò Scalona, & Gaza Paleſtinæ urbes vini feraces quod regijs epulis ea ætate adhiberi ſolebat Corippus de laudibus Juſtini minoris.

Interea lætus ſacra cum conjuge Princeps
Cœperat Auguſtæ felicia carpere menſæ
Gaudia, regales epulas, & dulcia Bacchi
Munera, quæ Sarepta ferax, quæ Gaza crearat
Aſcalon, & lætis dederat quæ Græca colonis.

Gazenſis meminit Iſidor. 20. origin. c. 3. ubi de vario vinorum

genere, *Gazetũ verò à regione unde defertur, Gaza enim oppidum eſt Paleſtinæ.* Et Caſſiod. Var. 12. epiſt. 12. de vino Brutio, *ibi enim reperitur & Gazeto par, & Sabino ſimile.* Gazenſis vini meminit Et Sidon. carmin. 17. *Vina mihi non ſunt gazetica, chia, falerna.* Inter vina exotica etiam Tyrio vino Romanos delectatos indicat Ambroſ. libr. de Tobiâ cap. 14. *Si quis inſtaurandum convivium putat ad negotiatorem mittit, vt abſynthiaci cupellam ſibi gratis deferat, cauponem dirigit, vt Picenum vinum, aut Tyriacum requirat, ad lanium vt hilam ſibi procuret, ad alium vt poma ſibi adornet.* Inde duo præcipua vina commendat idem Gregorius Laticinum, & Gazitinum infr. libr. 7. cap. 29. *Miſitque pueros vnum poſt alium, ad requirenda potentiora vina Laticina, videlicet atque Gazitina,* & idem de glor. Confeſſ. cap. 65. *Semper ſextarium Gazeti vini præbuit in ſacrificium baſilicæ ſanctæ, ſed Subdiaconus nequam reſervans gulæ Gazetum, acetum vehementiſſimum offerebat in calice.* Quale eſſet Gazetum vinum ſatis feliciter obſervatum, reſtat ſcire quale eſſet laticinum, id non aliud eſſe credo quàm vinum album generoſum, latex eſt propriè aqua fontis. Virgil. 4. Æneïd.

Sparſerat & latices ſimulatos fontis Averni.

Unde latices à vino rectè diſtinxit idem Gregorius de mirac. Martin. lib. 2. cap. 16. *Ac de alvei fundo, vinum elicuit pauperi, qui quondam latices in vina mutavit.* Idem cap. 26. ejuſd. libr. *in ea nocte, in qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus fluenta laticum hauriens, falerna porrexit.* Non incongruè igitur laticinum dictum eſt vinum album à latice, quia eſt aquæ ſimile, & ſimili ſchemate laticem liæum pro vino dixit Virgil. 1. Æneid.

Regales inter menſas, laticemque liæum.

Nec eſt quod miremur vinum Aſcalonitanum & Gazenſe in delicijs uſu notum fuiſſe in Gallia, eâ enim ætate Syri negotiatores commercium omne ferè penes ſe habebant in Gallia & univerſo Occidente, immò & negotiatores Galli maximè Provinciales Syriam negotiationis causâ frequentabant. Notabile eſt in hanc rem quod narrat Vuillelmus Malmesbur. de reb. geſt. Reg. Anglorum libr. 4. Aſcalonenſes à noſtris ob-

mariti ſui. Idem ad ann. 1190. *At Rex Angliæ noluit interficere Meſtok qui erat Admiraldus ac Regis Conſtabularius de Scalona.*

ſeſſos ſe dedidiſſe Raymundo Comiti S. Ægidij, cumque in Patronum elegiſſe. *Quod multi eo antea à Monte Peſſulano navigio venientes negotiatum, fidem ejus & virtutem in cœlum tulerant.*

Chramnus ſuper ſcamnum extenſus orario ſuggillatus eſt. Sugillatus id eſt ſuffocatus. Eodem ſenſu Gregor. infr. libr. 10. cap. 8. *In cilicio quo orabat ſugillata reperitur* idem libr. 3. cap. 3. *cui dormienti orarium ſub collo poſitum, ac ſub mento ligatum trahentibus ad ſe invicem duobus pueris ſuggillatus*, alij legunt ſuffocatus, alias ſuggillare pro onerare ut in l. apud Celſum §. adverſus ff. de dol. & met except. *Doli exceptio parentis patronive opinionem ſugillat*, & in l. 11. §. prętor de in jus vocand. *famoſa actio pudorem ſuggillat.*

Theodobertus vero vſque ad Biterrenſem civitatem abiens, Deas caſtrum obtinuit, Deas Vocontiorum oppidum Itiner. Antonin. *Montem Seleucum, Lucum Deam Vocontiorum.* Colonia Dea Auguſta Vocontiorum in veteri inſcriptione Arelatenſi. *Die en Dauphiné.* Marcelli Deenſis Epiſcopi meminit Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 70.

Sed quia eum de ſacro fonte exceperat, perdere noluit. Theodobertus accepto juſſu Theodorici patris ut filium Sigivaldi de medio tolleret, ab ejus nece abſtinuit, quia eum de ſacro baptiſmi fonte ſuſceperat, ob reverentiam ſcilicet affinitatis quæ contracta erat inter ſuſceptorem & ſuſceptum ex ſuſceptione de fonte baptiſmatis, quæ affectum & jus paternitatis iuducit, & prohibitionem nuptiarum ob affinitatem l. ſi quis alumnam C. de nupt. Vicecomes de baptiſmo libr. 1. cap. 34.

Cap. 25. *Omne tributum quod in fiſco ſuo, ab Eccleſijs in Arverno ſitis reddebatur, clementer indulſit.* Theodobertus Rex omne tributum Arvernis Eccleſijs remiſit, eadem indulgentia uſum Childebertum Regem refert Gregorius infr. libr. 10. cap. 7. *In ſupradicta vero vrbe,* (Arvernâ) *Childebertus omne tributum tam Eccleſijs, quàm Monaſterijs, vel reliquis Clericis qui ad Eccleſiam pertinere videbantur, aut quicumque Eccleſiæ officium excolebant, larga pietate conceſsit.* Eccleſiæ Galliarum tributum fiſco pręſtitabant pro rebus ſoli quas poſſidebant. Ter-

tiam partem fructuum tributi vice, omnibus Eccleſijs regni indixit Clotharius de quo Gregorius infr. libr. 4. cap. 1. *Denique Clotharius Rex indixerat, ut omnes Eccleſiæ regni ſui tertiam partem fructuum fiſco diſſolverent.* Idem Aimoin. libr. 2. cap. 27. de quo apud Theodoricum & Theodobertum Francorum Reges conqueſtus eſt Gregorius 1. libr. 7. epiſt. 114. *Audivimus autem quia Eccleſiarum prædia tributa nunc præbeant, & magna ſuper hoc admiratione ſuſpendimur, ſi ab eis illicita quærantur accipi, quibus etiam licita relaxantur.* Apud Romanos prędia Eccleſiarum non ſuére libera à vectigalibus & tributis l. placet C. de SS. Eccleſ. de quo Ambroſ. epiſt. 32. ad Valentinian. Junior. *Si tributum petit, non negamus, agri Eccleſiæ ſolvunt tributum.*

Cum tunica B. Vincentij Martyris muros civitatis pſallendo circuirent Cęſarauguſtani obſeſſi à Childeberto Rege, Dei exorandi cauſa, cilicijs tecti, & ſolemni jejunio attriti, tunicam ſeu ſtolam beati Vincentij Diaconi & martyris circa muros proceſſionis gratia circumtulére, nec fefellit ſpes, Childebertus enim motus pietate obſeſſorum, accepta tunica martyris obſidionem ſolvit, & Pariſijs baſilicam B. Vincentij quæ nunc S. Germani de Pratis dicitur, magno ſumptu ædificavit & dotavit de qua Aimoin libr. 2. cap. 19. Ado Viennenſ. ad ann. 527. Sigibert ad ann. 542. Ex antiquiſſimo more reliquiæ Sanctorum portari ſolitæ in ſolemnibus litis & proceſſionibus, & vindicijs rerum vi occupatarum Adrevald. de mirac. S Benedict. libr. 1. cap. 20. *Quod Monachi cœnobij ſancti Benedicti cernentes conſilio inito, miſericordiæ domini ſolius ſe committentes, maximam partem ſuorum fratrum ad prædictum dirigunt Comitem nimiâ inſanientem tyrannide, cum pignoribus Sanctorum omnigena ſuplicantes prece, nè tantum incurrat piaculum* &c. Et Aimoin. Floriac. de mirac. ejuſd. libr. 2. cap. 19. de vineis S. Benedicti pervaſis per Arnulfum Aurelianenſem Epiſcopum. *Propter quarum recuperationem, cùm prædictus Abbas ad eum legatos miſiſſet, nec impetraviſſet, cum ſenioribus habito conſilio deliberavit, vt ſumptis Sanctorum pignoribus, imminente vindemiâ, ad locum cum aliquibus è fratribus fructus earum collecturus properaret.* Et Conc. Brachar. 3. can. 5. reſtituta eſt an- Cap. 19.

tiqua conſuetudo ut diebus ſolemnibus cum Epiſcopus procederet ad Eccleſiam, Diaconi ſuper humeros geſtarent reliquias Sanctorum, exploſa pravâ conſuetudine quæ inoleverat ut Epiſcopi in ſolemnibus Martyrum procedentes ad Eccleſiam, appenſis collo reliquijs ab albatis Diaconis geſtarentur Non omittendum quod Capuani à Lothario Imper. obſeſſi, ad extrema redacti, cum Epiſcopo reliquias B. Germani portante ad pedes Imperatoris provoluti ſunt. Ottho. Friſing. 6. chronic. cap.4 *Capuani deſperatis omnibus, apertis vrbis portis cum Epiſcopo corpus Beati Germani portante lachrimabiliter ad pedes Imperatoris veniunt.* idem Regino 2. Chronic.

Mulieres quoque amictæ nigris pallijs, diſſoluta cæſarie ſuperpoſito cinere ; vt eas putares virorum funeribus deſervire plangendo ſequebantur. Mulieres Cęſaraugustanæ in ſolemni lita ſeu proceſſione, quæ facta eſt circa muros obſeſſæ urbis adfuiſſe dicuntur amictæ nigra veſte, ſoluto capillo & cinere ſordido qualis in Hiſpania eſt habitus lugentium maritos. In hoc fallitur Gregorius quod ſolutam cæſariem ait in Hiſpania eſſe ſignum fœminarum lugentium maritum, ex antiquo enim more Hiſpanię ſigna lugentium maritos ſunt nigra veſtis, & decurtatus id eſt ſuccisus capillus, teſtis oculatus Petrus Cluniacenſ. libr. 4. epiſt. 19. *Vidi nuper ipſe in Hiſpanijs conſtitutus, & admiratus ſum antiquum hunc morem, ab Hiſpanis adhuc omnibus obſervari, mortuâ quippe uxore maritus, mortuo marito conjux, mortuis filijs patres, mortuis patribus filij, defunctis quibuſlibet cognatis cognati, extinctis quolibet caſu amicis amici, ſtatim arma deponunt. ſericas veſtes peregrinarum pellium tegmina abjiciunt, totumque penitus multicolorem, ac pretioſum habitum abdicantes, nigris tantùm vilibuſque indumentis ſe contegunt, ſic crinibus proprijs. ſic jumentorum ſuorum caudis decurtatis, ſeque & ipſæ atro prorſus colore denigrant, talibus luctus doloriſque inſignibus, ſubtractos chariſſimos deflent, & integri ad minus ſpatium anni, in tali mœrore publica lege conſummant.*

Cap. 30. *Sumpſerant enim Gothi hanc deteſtabilem conſuetudinum ut ſi quis eis de Regibus non placuiſſet, gladio eum appeterent, & qui libuiſſet animo, hunc ſibi ſtatuerent Regem.* Gothi Regici-

dæ. Idem Aimoin libr. 2. cap. 20. *Gothi vero jam olim vitium hoc in conſuetudinem vertére, vt dum eis Rex proprius diſplicuerit, à ſuis interimatur.* Ideo ut vitæ Regum conſuleretur, varijs canonibus conciliorum Hiſpanicorum cautum, nè mortuo Rege quis Regnum aſſumeret, niſi qui eligeretur, *conſenſu majorum & Antiſtitum*, & ut ſucceſſor defuncti necem vindicaret. Conc. Tolet. 4. can. 75. Tolet. 5. can. 3. Tolet. 6. can. 17. 18. Tolet. 8. can. 10. Neve Regis vidua tranſiret ad ſecundas nuptias, ſed in cœnobio virginum collocaretur. Tolet. 13. can. 5. Cæſarauguſt. 3. can. 5. nè interfector Regis in ſceleris pręmium uxorem defuncti & Regnum ſibi deſponderet, ſed cum vita Regum non ſatis in tuto eſſet per Canones Leuviheldus Rex Gothorum ſuſtulit omnes illos, qui Reges interimere conſueverunt teſte ipſo Gregorio infr. lib. 4. cap. 32. eodem conſilio uſus Chintaſindus, de quo Fredegar. cap. 82. *Cognito morbo Gothorum, quem de Regibus degradandis habebant.*

Et quia conſuetudo eorum eſt, vt ad altarium venientes de alio calice Reges communicent, & de alio populus minor, venenum in calice illo poſuit, de quo mater communicatura erat. Veteres communicabant ſub utraque ſpecie panis & vini. Cyprian. epiſt. 63. *Quoniam quidam vel ignoranter, vel ſimpliciter in calice dominico ſanctificando & plebi miniſtrando, non hoc faciunt quod Ieſus Chriſtus &c.* Et idem de lapſis. *Vbi verò ſolemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit.* Et paulo poſt *Perſtitit tamen Diaconus & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit.* Hyeronim. in Sophoniam cap. 3. *Sacerdotes quoque, qui Euchariſtiæ ſerviunt, & ſanguinem Domini populis ejus dividunt, impiè agunt in legem Chriſti putantes ἐυχαριςίαν imprecantis facere verba non vitam, & neceſſariam eſſe tantummodo ſolemnem orationem, & non Sacerdotum merita.* Sępius tamen Euchariſtia plebi miniſtrabatur ſub ſola ſpecie panis. Gregor. de vit. Patr. cap. 6. in Gallo Arvernenſi Epiſcopo. *Sciens autem ſe revelante domino poſt triduum migraturum, convocat populum & omnibus confracto pane communionem ſancta ac pia voluntate largitur.* Morientibus quoque Euchariſtia dabatur ſub una ſpecie pura vini, ſi ſacrum panem prę infirmitate non poſſent aſſumere, quod inſinuat

Cap. 31.

Conc. Carth. 4. can. 76. his verbis, *moriturus reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia* can. is qui 26. qu. 6. Uergente decimo ſeculo non deſierat conſuetudo communionis ſub utraque ſpecie apud laïcos Conc. Claromontenſe can. 28. *Ne quis communicet de altari, niſi corpus ſeparatim, & ſanguinem ſimiliter ſumat, niſi per neceſſitatem & cautelam.* Ivo Carnocenſ. epiſt. 28. *à cujus commixtione ſi à modo non ceſſatis ſeparat vos eadem auctoritas, à participatione corporis & ſanguinis Dominici.* In hunc uſum in ſingulis Eccleſijs erant calices cum fiſtulis aureis vel argenteis ſacræ communionis ſuſcipiendæ cauſa Conrad in Chronic. Moguntin. *Erant fiſtulæ quinque ad communicandum argenteæ deauratæ* Ditmar lib. 6. *Cruces duas & capulas ex argento factas, & magnum calicem ex eodem metallo, cum patina ſimul & fiſtulâ dedit.* Reges Gothorum ex more ſub utraque ſpecie communicabant, ſed quod erat vitium Arrianę labis, quâ fœdati erant, hoc proprium eis erat, quod de alio à plebe calice communicabant, quaſi aliam à plebe religionem colerent, alium Deum.

Cap. 32. *Dicitur tamen tunc temporis, uſque Ticinum acceſſiſſe civitatem, in qua Buccelinum rurſum direxit, qui minore illa Italia capta, atque in ditionem Regis antedicti redacta, majorem petijt.* Refertur expeditio Theodoberti Regis in Italia Duce Buccellino cujus meminit Gregorius P. Dialog. 1. cap. 2. *Eodem vero tempore in Campaniæ partibus Buccellinus cum Francis venit* &c. Minor Italia eſt Liguria quę olim Gallia Ciſalpina, poſtea Longobardia, ſeu Lombardia dicta eſt à Longobardis qui eam armis occuparunt Otth. Friſingenſ. de geſt. Frideric. libr. 2. cap. 13.

Cap. 33. *Belliſarium vero Comitem ſtabuli quaſi pro humilitate, quod prius fuerat, poſuit.* Comes ſtabuli fuit Præfectus equorum Principis de quo Bulenger de Imperat. lib. 4. cap. 28.

Magna enim ei felicitas in his conditionibus fuit Buccellino omnia proſpera fuére in bello gerendo adverſus Græcos, quod conditionis appellatione intelligitur, quia ei impoſitum erat munus belli adverſus Græcos.

Cap. 34. *Rogo ſi pietas tua habet aliquid de pecunia nobis commodes.* Deſideratus Viridunenſis Epiſcopus à Theodeberto Rege mutuam

tuam pecuniam accepit, & promiſit eam ſolvere cum uſuris. Impropriè commodare, pro mutuum dare, eadem voce abuſus eſt Plautus in Aſinar.

Viginti argenti commodas minas.

Et Gregorius ipſe de mirac. Martyr. lib. 1. cap. 103. *Quæſo vt nobis manum porrigas, atque aliquid pecuniæ commodes, vt cum tributorum publicorum fuerit ſumma delata, illico tibi quæ commodaveris reformentur.* Pari ſimplicitate ſermonis præſtitum pro mutuo ſumptum. Optat Milevit. lib. 3. *Creditores periculis vallabantur; & qui pro præſtitis ſuis rogari meruerant metu mortis humiles impellerentur in preces.* Conc. Hiſpal. 1. can. 1. *Si præſtitum de rebus ſuis non fecit Eccleſiæ.* Libr. 3. c. 34.

At illi negocia exercentes divites per hoc effecti ſunt, & vſque hodie magni habentur. Negotiatores Viridunenſes profecere de pecunia gratuita, quę eis data eſt à Theodeberto Rege, intercedente Deſiderato Viridunenſi Epiſcopo. Negotiatores Virdunenſes peculiari commercio Eunuchorum id eſt caſtratorum puerorum ditati. Luitprandus lib. 6 cap. 4. *Carſamatium autem Græci vocant, amputatis virilibus, & virga puerum Eunuchum, quos Virdunenſes mercatores, ob immenſum lucrum facere ſolent, & in Hiſpaniam ducere.* Cap. 36.

Quo celerius ad manducandum commoveretur, ſumpto aloë velociter digerebat. Notat Parthenium de voracitate, qui poſt cibum ſumebat Aloës, quo celerius eo concocto rediret ad crapulam. Aloë juvat cibi concoctionem, & alvum ſolvit. Plin. lib. 2. cap. 4.

AD LIBR. IV.

Cap.3. PRECOR *vt ſorori meæ, ſervæ veſtræ vtilem atque habentem virum ordinare dignemini.* Utilis & habens, id eſt ſtrenuus & locuples, inde ſuum habere vulgò *havoir.* Habentia, Claud. apud Nonium Marcell. *animas eorum habentia inflarat*, habere dicitur qui rem habet jure dominij l. habere de V. S.

Cap.4. *Chanao quoque Britannorum Comes tres fratres ſuos interfecit.* Britannis patria pulſis à Saxonibus, pars Galliarum quæ Armorica dicebatur eis tradita à Maximo Tyranno ſub ann. Chr. 386. quæ inde dicta eſt minor Britannia ex Sigeberto, & ijdem dicti ſunt Britones, ab initio ij Reges habuére, tum Comites qui à temporibus Clodovei paruere Regibus Francorum ut ſubinnuit Gregorius. *Nam ſemper Britanni ſub Francorum poteſtate, poſt obitum Regis Clodovei fuerunt, & Comites non Reges appellati ſunt* idem Aimoin. libr. 4. cap. 78. Conobri Britanniæ Comitis meminit. Idem infr. h. libr. cap. 20. Rurſus ijdem Reges habuére. Judicaël Rex Britonum ſe & regnum ditioni Dagoberti & Regum Francorum ſubjecit teſte Fredegario in chronic. cap.78. Salòmon fuit tertius & ultimus Rex Britonum cujus meminit Regino 2. chronic. & Joannes VIII. in epiſt. ad eum ſcripta quæ refertur in can. hæc quippe 3. qu. 6. Aimoin. lib. 5. cap. 23. & 31. Poſtea ijdem Comites habuére de quibus Gregor. 7. lib. 5. epiſt. 23. Hildebert. Cenomanenſ. epiſt. 65. & Innocent. III. in cap. ex tenore extr. de foro competent. & in cap. accedens 2. extr. ut lit. non conteſtat. Poſteà ijdem habuére Duces primus Dux appellatus

fertur Joannes II. extat tamen epiſt. Leonis IV. inſcripta Vernoni Duci Britanniæ in can. non furem 7. qu. 1. Anno Chriſti 1234. Petrus cognomine Mauclerc ſoluta ſocietate cum Anglis inita ſe, & Britanniam tradidit Ludovico IX. Regi Francorum de quo Math. Pariſ. in Henrico III. & Jo. Tillius.

Quod illi audientes atque gaudentes & ſuper tumulum illum bibentes renunciaverunt fratri eum mortuum. Veterum mos fuit ſuper tumulos mortuorum religionis cauſa epulari, quod damnat Auguſtin. de moribus Eccleſ. Catholic. cap. 34. *Novi multos eſſe qui luxurioſsimè ſuper mortuos bibant, & epulas cadaveribus exhibentes, ſuper ſepultos ſeipſos ſepeliant, & voracitates ebrietateſque ſuas deputent religioni.* Idem in pſalm. 48. *invocabunt nomina eorum in terris ipſorum, tollunt panem & ad ſepulchra, & invocant ibi nomina mortuorum.* Et Capitul. Karoli magni lib. 6. cap. 194. *Et ſuper eorum tumulos nec manducare, nec bibere præſumant.* Pejus exemplum legitur hic de quibuſdam qui inimicitiæ cauſa ſupra tumulum Macliani biberunt.

Rogationes illas inſtituit, vt media quadrageſima pſallendo ad baſilicam B. Iuliani Martyris itinere pedeſtri venirent. Inguinariæ luis, quæ per varias Provincias Galliæ deſæviebat avertendæ cauſâ, Gallus Arvernenſis Epiſcopus pro ſalute ſuæ plebis ſollicitus, exemplo Mamerci Viennenſis Epiſcopi ſolemnes rogationes inſtituit ad baſilicam B. Juliani martyris apud Brivatenſem vicum, ejuſdem meminit idem Gregor. de vit. Patr. cap. 6. idem infr. hoc lib. cap. 13. *Erant autem Quadrageſimæ dies, & Cautinus Epiſcopus Brivatenſem Diœceſim pſallendo adire diſpoſuerat, juxta inſtitutionem ſancti Galli.* Cap. 5.

Parietes vel domorum vel Eccleſiarum ſignari videbantur, vnde à ruſticis hæc ſcriptio Thau vocabatur. Exauditis Galli Epiſcopi precibus fuſis pro peſte avertenda, in parietibus ædium & Eccleſiarum viſa eſt inſcripta littera Tau, quaſi amuletum & munimentum adverſus peſtem, Tau littera eſt ſignum Crucis, quia exprimit typum & figuram crucis Tertull. adverſ. Marcion. lib. 3. in illud Ezechiel 9. *& da ſignum Tau in frontibus virorum, ipſa eſt enim littera Græcorum Tau, noſtra autem T.*

ſpecies crucis. Hieronym. in Ezechiel. libr. 3. cap. 8. *Antiquis Hebræorum litteris, quibus vſque hodiè vtuntur Samaritæ, extrema Tau littera crucis habet ſimilitudinem, quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inſcriptione ſignatur.* Auguſtin. de tempor. ſerm. 108. *Trecenti enim in græca T. ſimilitudinem crucis oſtendunt.* Tempore Alexandri Pſeudomantis graſſante peſte, carmen quoddam pro foribus ædium ſingularum ſcriptum ὡς τῦ λοιμῦ ἀλεξιφάρμακον tradit Lucianus in Alexandro.

Cato Presbyter continuò à clericis de Epiſcopatu laudes accepit. Mortuo Gallo Arvernenſi Epiſcopo, Cato presbyter à clero electus in Epiſcopum per adclamationem, laudes ſunt adclamationes quæ fiebant Imperatoribus & Epiſcopis cum creabantur, quia fiebant cum laude, Gregorius infr. libr. 5. cap. 30. de Tiberio. *Dehinc indutus purpura, diademate coronatus throno Imperiali impoſitus, cum immenſis laudibus Imperium confirmavit.* Idem lib. 6. cap. 30. *Igitur celebrato juſtitio, Mauricius indutus diademate, & purpura ad Circum proceſſit, adclamatiſque ſibi laudibus, largitus populo munera imperio confirmatur.* Ditmarus libr. 6. ad ann. 1005. *Henricus (* is erat Dux Bavariæ *) 12. Kal. Aprilis, cum omnium laude præſentium, cumque haſta ſignifera Ducatum dedit.*

Cap. 6. *Nam & ipſos clericatus gradus, canonica ſum ſemper inſtitutione ſortitus, lector decem annis fui, Subdiaconatus officium quinque annis miniſtravi, Diaconatui vero quindecim annis mancipatus fui, Presbyterij autem jam honore, viginti, annis potior. Quid enim mihi nunc reſtat, niſi vt Epiſcopatum quem fidelis ſervitus promeretur accipiam.* Cato Presbyter ſibi jam ſecurus de Epiſcopatu gloriatur, ſe omnes ordines Eccleſiaſticos emenſum, & in ſingulis diù immoratum, meritoque proximum ſibi gradum eſſe, culmen Epiſcopatus. Olim ordines Eccleſiaſtici, longo interſtitio, & mora in ſingulis conferebantur can. in ſingulis can. quicumque can. Monachus 71. diſt. can. Monachos 16. qu. 1. His gradibus Joannes pervenit ad Cabillonenſem Epiſcopatum de quo Sidon. libr. 4. epiſt. 25. *Lector hic primum fit miniſter altaris, idque ab infantia, poſt laborum temporumque proceſſu Archidiaconus, in quo ſeu gradu*

ſeu miniſterio multum retentus propter induſtriam, diù dignitate non potuit augeri, nè poteſtate poſſet abſolvi, attamen hunc jam ſecundi ordinis Sacerdotem collegam ſibi conſecravére.

Ordinatiſque qui cum eo pergerent Epiſcopis, & Camerarijs, Arvernos eum direxerunt, Cautino à Theodovaldo Rege deſignato Epiſcopo Arvernenſi dati ſunt Epiſcopi & Camerarij, nimirum Epiſcopi ut per eos ſolemniter inſtallaretur, quia inſtallatio Epiſcoporum fiebat ſolemniter, vocatis Epiſcopis comprovincialibus. Gregòrius de vit. Patr. cap. 6. in Gallo Epiſcopo. *Poſt hæc Rex datis ad ſubſidium ejus duobus Epiſcopis, Arvernos eum direxit.* Camerarij ut eſſent in obſequio Epiſcopi. Epiſcopus debet habere idoneos & probos moribus clericos in obſequio, ut ſint teſtes converſationis Synodus Romę habita in cauſa Symmachi ſpecialiter cavit Epiſcopos ſecum ſemper contubernales habere, quos concellaneos ſeu cellulanos appellat. Idem ſtatuit Synodus Romana apud Gregorium libr. 4. epiſt. 44: *Vt quidam ex clericis vel etiam ex Monachis electi, miniſterio cubiculi Pontificalis obſequantur, vt is qui in loco eſt regiminis, habeat teſtes tales qui vitam ejus in ſecreta converſatione videant, & ex viſione ſedula exemplum profectus ſumant.* can. cum paſtoris 2. qu. 7. Cap. 7.

Ipſe vero valde infirmatus, à cinctura deorſum ſe volutare non poterat, cinctura eſt cingulum veteres enim cincti Aimoin. Floriacenſ. de mirac. B. Benedicti libr. 3. cap. 6. *Tunc vnus è turbâ alligari ſe poſcit, cingulis ex corijs cervorum diſſectis, quibus Aquitani vtuntur latiſſimis, atque fortiſſimis.* Inde cinctura pro umbilico, ſeu media parte corporis, cui cingulum apponitur. Cap. 9.

Per emiſſionem vt ferunt Cautini Epiſcopi, Cato Presbyter ad gubernandam Turonicæ vrbis Eccleſiam petebatur. Vacante Eccleſia Turonenſi Cato Presbyter proponebatur in Epiſcopum per emiſſionem, id eſt ſuggeſtionem Cautini Epiſcopi Arvernenſis qui eum ut à ſe removeret, quia valde gravem & moleſtum habebat, Epiſcopatum ei curare ſatagebat, emiſſio eſt ſuggeſtionis impreſſio. Gregor. infr. libr. 8. cap. 18. *Nicetius per emiſſionem Eulalij à Comitatu Arverno ſubmotus.* Idem libr. 4. cap. 28. *Poſt quod factum reputantes ejus fratres, quod ſua emiſ-*

ſione antedicta Regina fuerit interfecta eum à regno dejiciunt. Idem de Mirac. B.Martini libr. 2. cap. 18. *Poſt autem vacuas & inanes emiſſiones, cum videret inimicus eum ſibi vindicare non poſſe, dolis eum tentavit illudere.* Eodem ſenſu immiſſionem dixit idem Gregor. de Mirac. ejuſd. libr. 3. cap. 16. *Commota per immiſſionem Diabolicam vi venti.* Idem cap. 27. ejuſd. libr. *Per immiſſionem artis Diabolicæ.* Idem de vit. Patr. cap. 11. *Non ambigitur diaboli hanc fuiſſe immiſſionis inſidiam.*

Vnde factum eſt ut conjuncti clerici, cum Leubaſte Marty-
Cap. 12. *rario & Abbate, cum magno apparatu Arvernorum properarent.* Martyrium eſt oratorium dicatum Martyri Conc. Chalcedonenſ. cas. 8. οἱ κληρικοὶ τῶν πτωχείων, καὶ μοναστηρίων, καὶ μαρτυρίων, *Clerici Ptochiorum, Monaſteriorum & Martyriorum.* can. quidam. 18. qu. 2. Pallad. hiſt. Lauſiac. cap. 103. in Innocentio Abbate εἰσήλθεν εἰς τὸ μαρτύριον ἑαυτοῦ ὃ ᾠκοδομήκει αὐτὸς ἐν ᾧ κατέκειτο λείψανα τοῦ θείου, Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ. *Ingreſſus eſt Martyrium ejus, quod ille ædificavit, & in quo collocavit reliquias S. Ioannis Baptiſtæ.* Valafridus Strabo de reb. eccleſiaſtic. cap. 6. *Martyria vocabantur Eccleſiæ, quæ in honorem aliquorum martyrum fiebant.* inde Martyrarius eſt ædituus ſeu miniſter ædis ſacræ ſeu oratorij Martyris ut hoc loco & Gregorius de Mirac. Martyr. libr. 2. cap. 46. *Eo tempore cum poſt obitum proprij Martyrarij Vrbanus Diaconus hujus baſilicæ ordinatur æditus*, & Con. Aurelianenſ. 2. can. 13. *Abbates Martyrarij, recluſi, vel presbyteri; apoſtolia, dare non præſumant*, id eſt dimiſſorias literas.

Quibus & à quibus ut noſter Sollius ait; nec dabat precia contemnens, nec accipiebat inſtrumenta deſperans, notat Cautinum Epiſcopum Arvernenſem, qui falſo nomine emptionis rapiebat res minorum ſine pretio, & ſine inſtrumento, id eſt ſine contractu venditionis deſperans, id eſt haud ſperans ſe poſſe tueri & retinere, res ita quæſitas. Hęc ſunt verba Sidonij lib. 2. epiſt. 1. de Seronato, *quaſi comparat, nec dat pretia contemnens, nec accipit inſtrumenta deſperans.*

Erat enim tunc temporis Anaſtaſius Presbyter, ingenuus qui per chartas glorioſæ memoriæ Chrotildis Reginæ proprietatem aliquam poſſidebat. Anaſtaſius Presbyter ingenuus genere pro-

prietatem id eſt allodium quod ab ingenuis id eſt liberis natis tantùm poſſideri poteſt, ex donatione per chartas vel chartulas factâ poſſidebat. Ingenuus eſt liber natus, & de liberis honeſtiſque parentibus natus Gregor. de B. Martin. libr. 2 cap. 58. *Erat enim ingenuus genere.* idem de vit. Patr. cap. 9 *Erant enim non quidem nobilitate ſublimes, ingenui tamen.* Idem infr. libr. 6. cap. 36. *Erat enim mulier ingenua genere, & de bonis orta parentibus*, ingenui tertium genus hominum inter nobiles & ſervos. Nithard. libr. 4. de Saxonibus. *Sunt enim inter illos qui Edhilingi ſunt, qui Frilingi, ſunt qui Lazzi illorum lingua dicuntur, latina vero lingua, hoc ſunt nobiles, ingenuiles, atque ſerviles.* Quandoque etiam ingenuus pro nobili, idem Greg. infr. libr. 7. cap. 15. *Ipſe enim cum Mummulo Præfecto multos de Francis, qui tempore Childeberti Regis ſenioris ingenui fuerant, publico tributo ſubegit.* Donationes Principum fiebant per chartam, memoriæ cauſa, quàm noſtri *Chartre*, ſeu per chartulam id eſt brevem libellum ut indicat Gregorius infr. h. loco. *Tunc ex juſſu Epiſcopi traditur cuſtodibus, & niſi has chartulas proderet fame necaretur.*

Iudæis valde charus ac ſubditus erat, non pro ſalute vt paſtoris cura debet eſſe ſollicita, ſed pro comparandis ſpeciebus. Notat Cautinum Epiſcopum, quod gratus eſſet Judæis propter negligentiam, & adulationem, negligentes Epiſcopi gratiores Judæis & Hæreticis Conc. Milevit. 2. can. 24. *Magis illius electa negligentia ab Hæreticis vt impunè ibi ſint.* can. placuit 16. qu. 3. adulationis Epiſcopalis in Judæos cauſa exponitur, quod Judæis ſpecies cariùs venundaret, ſpecies ſunt res quæ in pondere numero & conſiſtunt l. 2. ff. de reb. cred. puta triticum vinum oleum veſtes l. ult. C. de militar. veſt. Ammian. libr. 14. *An Tyrij textrini præpoſitum colari ſpeciem perurgebat.* Sidon. libr. 7. epiſt. 16. *Quamquam non opportunè ſpecies villoſa mittatur hieme finita.* Gregor. infr. libr. 6. cap. 5. *Iudæus quidam Priſcus nomine qui ei ad ſpecies coëmendas familiaris erat* Idem de glor. Martyr. libr. 1. cap. 57. *Puella vero ſtationem adit, quaſi aliquid coëmptura, ſpeciemque ſibi aptam aſpiciens, à negotiatore ſuſcepit.*

Firminum à Comitatu vrbis graviter injuriatum abegit, & Sal-

luſtium Evodij filium ſubrogavit. Firminus fuit Comes civitatis Arvernæ. Comites ſingulis civitatibus pręerant. Hoc jure civitas Arverna habuit ſuum Comitem. Gregor. de vit. Patr. cap. 4. *Poſt peractam igitur ſtragem cladis Arvernæ, Hortenſius vnus ex Senatoribus, Comitatum vrbis illius agens, quendam de parentibus ſancti, id eſt Honoratum nomine, in vrbis platea nequiter retineri juſſit.* Idem infr. libr. 8. cap. 18. *Nicetius per emiſſionem Eulalij à Comitatu Arverno ſubmotus.* Firminus Comes fuit cognatus Palladij Comitis Gabalitani Gregorio infr. h. libr. cap. 34.

Intendebat enim & ipſe Rex Chramnus minas, qui dum iter ageret, miſit Rex Imnacharium & Scaptarium primos de latere ſuo, Chramnum filium Clotharij patre ſuperſtite vocitat Regem. Ea ætate filij Regum etiam vivo patre Reges vocabantur propter ſpem Regni, quæ erat æqualis inter liberos cum ex æquis partibus ſuccederent. Etiam filiæ Regum velatæ Reginas ſe dictitare præſumebant ut legitur de Chrodieldi & Baſina quæ erant profeſſæ Monaſterij S. Radegundis Pictavienſis, una Sigiberti, altera Clotharij Regis filia, & conquerebantur ſecum duriùs agi ab Abbatiſſa, quia Reginæ eſſent. Gregor. libr. 9. cap. 40. *Dicentes quia Reginæ ſumus, nec priùs in monaſterium noſtrùm ingredimur, niſi Abbatiſſa ejiciatur foras* & idem infr. libr. 10. cap. 15. *Quod cum Chrodieldis cerneret acceptâ cruce Dominica, cujus prius virtutem deſpexerat, in obviam egreditur dicens, nolite ſuper me quæſo vim inferre, quæ ſum Regina, filia Regis, Regiſque alterius conſobrina.* Neque hoc novum & ſingulare fuit in liberis Regum Francorum, eodem jure uſę ſunt filię priſcorum Regum, de Andromachę filia Priami teſtatur Virgil. 1. Æneïd.

Præterea ſceptrum Ilione, quod geſſerat olim
Maxima natarum Priami.

De Ilia filia Numitoris Regis Latinorum ſacrorum Antiſtita, Idem eod. libr.

—— *Donec Regina Sacerdos*
Marte gravis, gemino partu dabit Ilia prolem.

Legati Chramni dicuntur miſſi à latere, id eſt à Comitatu Principis, de miſſis Chilperici Regis idem Gregor. infr. lib. 5.

cap. 29.

cap. 29. *vnde multum moleſtus Rex dirigens de latere ſuo perſonas.* De miſſis dominicis idem Adrevaldus de Mirac. B. Benedict. libr. 1. cap. 25. *Præterea aderant in eodem placito, miſſi à latere Regis, Ionas Epiſcopus Aurelianenſis, & Donatus Comes Milidunenſium.* Sic & legati Pontificij electi, è cœtu Cardinalium dicuntur legati à latere ſeu ἐκ προσώπου, à facie Balſamo in Syn. 6. in Trull. in proem. laterales vocat Ivo Carnotenſ. epiſt. 109. *Inde eſt quod multi præpoſitorum facta gladio linguæ ferire cupientes, dicunt ſedem apoſtolicam, non ſubditorum quærere ſanitatem, ſed ſuam aut lateralium ſuorum quærere commoditatem.* Laterenſes ſunt Comites, ſtipatores Tertull. adverſ. Marcion. libr. 4. cap. 43. *Tot ferè laterenſibus vti ſolebat.*

Ad regias ædis ſacræ, quæ tunc reſeratæ fuerant adpropinquant, Regias Baſilicę S. Juliani Martyris Brivatenſis vocat primarias fores baſilicę, Regię ſunt primarię & majores portę Eccleſię Paulin. epiſt. 33. ad Alethium. *Videre enim mihi videor tota illa religioſa miſerandæ plebis examina, tantis influére penitùs agminibus, in ampliſſimam glorioſi Petri baſilicam per illam venerabilem Regiam cæruleâ eminus fronte ridentem.* Anaſtaſ. in Leone 3. *In ingreſſu baſilicæ ſupra regias majores fecit imagines ex argento.* Joannes monachus vit. S. Odonis Abbat. Cluniac. libr. 2. *Ille autem* (loquitur de ſue fero quem vocat Singularem) *omiſſa feritate, vt ingredienti aditus à quovis concederetur prædictas regias diutiùs pulſavit, atque oris ſui ſpumâ quo adhærere potuit linivit.* Portam baſilicarem Rhemenſis Eccleſiæ memorat Frodoard. Hiſt. Rhemenſ. libr. 2. cap. 12. *Super portam ſi quidem quæ dicitur Baſilicaris, vel quod baſilicis in gyro ſui diſpoſitis abundavit, vel quod euntibus ad Baſilicas in vico S. Remigij ſitas pervia fuerit.* Idem libr. 4. cap. 46. *ad portam quæ olim collaticia ſcilicet à conferendis mercibus nunc baſilicaris vocatur* &c. Frodoard. in chronic. ad ann. 810. *Rhemis in monaſterio ſancti Petri ad portam baſilicarem cereus quem ibi poſuerant hi cives, qui Romam ad viſitanda Apoſtolorum limina profecti fuerant, accenſus eſt, etiam ter igne cæleſti.*

Audivit à ſuis in iteratæ inſaniâ effervescere Saxones ſibique eſſe rebelles, & quod tributa quæ annis ſingulis conſueverant mi-

niſtrare , contemnerent reddere. Saxones domiti à Clotario ſeniore , & annuum vectigal eis impoſitum, quingentæ vaccę , inferendę menſę regię , unde dictæ inferendales , quod tributi nomine inferrentur. Fredegarius cap. 74. *Saxones quingentas vaccas inferendas annis ſingulis à Clothario ſeniore cenſiti reddebant , quod à Dagoberto caſſatum eſt.* Aimoin. libr. 4. cap. 26. *Quingentas namque vaccas inferendales à Clothario ſeniore Clodovei filio Chilperici patre , regiæ menſæ Saxones inferre juſsi fuerant , quæ ideo inferendales dicebantur , quod ſingulis inferrentur annis.* Idem geſta Dagoberti cap. 31. Saxones ſæpius rebellarunt & tributum detrectarunt , quod tandem à Dagoberto remiſſum eſt.

Cap. 17. *Tunc Chramnus jam accepta VVilicharij filia.* Chramnus inſcio patre uxorem duxit Calte filiam Vvilicarij Ducis Aquitanię unde gravis offenſa patris in filium , quæ filio infelicis exitus cauſa fuit, quod apertius Aimoin. libr. 2. cap. 30. *Cui nobilitas conjugis odiorum ſuppeditabat materiam , quod præemineret proſapiæ claritudine , ei nomen Calte Vvillecario genita Aquitaniæ Duce.*

In Campaniam Remenſem accedit , & vſque Remos civitatem properant. Campania Rhemenſis eſt pars Campanię quę Rhemos ſpectat Gregor. infr. libr. 5. cap. 19. *Meroveus vero dum in Rhemenſi Campania latitaret* Frodoard. in chronic. ad ann. 840. *Ludovicus Rex poſt ſex vel ſeptem hebdomadas , à Burgundia rediens in Remenſem venit Campaniam.* Et Gregorius de mirac. Martyr. libr. 2. cap. 32. *Dum viatim pſallendo regreditur , Remenſem eſt ingreſſus Campaniam.*

Cap. 18. *Tunc & Auſtrapius Dux Chramnum metuens in Baſilicam S. Martini confugit.* Idem Fredegar. cap. 52. Auſtrapium fuiſſe Ducem Turonum & Pictonum colligo ex eo quod is metu Chramni confugit in baſilicam S. Martini , & Turones ac Pictones plerumque erant ſub eodem Duce , Gregorius infr. lib. 8. cap. 26. *Turonicis vero atque Pictavis Ennodius Dux datus eſt* , & idem libr. 9. cap. 7. *Ennodius cum Ducatum vrbium Turonicæ atque Pictavæ miniſtraret , adhuc & vici Julienſis , atque Benarnæ vrbium Principatum accepit.*

Tempore verò ejus ad clericatum accedens apud Sellenſe ca-

ſtrum, quod in Pictava habetur Diœceſi Epiſcopus ordinatur, futurum vt decedente Pientio Antiſtite, qui tunc Pictavam regebat Eccleſiam, ipſe ſuccederet. Auſtrapius è Duce clericus ordinatur Epiſcopus apud Sellenſe caſtrum Pictavienſis Diœceſis, cum futura ſucceſſione, decedente Pientio Pictavienſi Epiſcopo. Eodem ferè modo Tetrico Lingonenſi Epiſcopo morbo ſontico laboranti, Mundericus Coadjutor datus, ita ut interim dum ille viveret, Ternodorenſe caſtrum Archipresbyteri nomine teneret. Gregorius infr. libr. 5. cap. 5. *Interea Tetricus à ſanguine ſauciatur, cui cum nulla medicorum fomenta valerent, conturbati clerici, & à paſtore vt pote deſtituti, Mundericum expetunt, qui à Rege indultus ac tonſoratus Epiſcopus ordinatur, ſub ea ſpecie vt dum Beatus Tetricus viveret, hic Ternodorenſe caſtrum, vt Archipresbyter regeret, atque in eo commoraretur, migrante vero deceſſore iſte ſuccederet.*

Ipſe quoque regreſſus ad caſtrum ſuum, mota ſupr. ſe Theifalorum ſeditione, quos ſæpe gravaverat, lancea ſanciatus crudeliter vitam finivit, Euſtrapius è Duce ordinatus Epiſcopus apud caſtrum Sellenſe quod eſt Pictavienſis Diœceſis, commota in ſe Teifalorum ſeditione, lancea transfixus vitam finivit, Teifali cenſentur inter Pictones, unde S. Senoch Abbas qui erat Pictavienſis dicitur genere Theifalus idem libr. 5. cap. 7. *Fuit autem genere Theifalus, & in Turonico clericus factus*, inde Theifalia regio ſeu pars Pictavienſis Pagi idem de vit. Patr. cap. 15. *Senoch Abbas genere Theifalus, Pictavi Pagi quem Theifaliam vocant*: unde nomen à Theifalis militibus Tranſiſtrianis, qui præſidij cauſa locati ſunt Pictavis in Gallia, notitia Imp. Occid. *Sub diſpoſitione magiſtri militum præfectus Sarmatarum & Thaifalorum Gentilium Pictavis in Gallia*, ex quo probabilis conjectura eſt eos conſediſſe ibi., & regioni vel parti ejus nomen dediſſe ut pridem obſervavi Rer. Aquitanic. lib. 1. c. 14.

Diœceſes verò ſuas Eccleſia Pictava recepit, Mortuo Pientio Pictavienſi Epiſcopo, Paſcentius Abbas S. Hilarij ei ſucceſſit juſſu Chariberti Regis, fruſtra reclamante Auſtrapio, nec injuria, quia Auſtrapius contra Canones viventi Epiſcopo ſucceſſor datus erat, & Epiſcopatus ſine cauſa ſcindi non poteſt imo nec ſedes Epiſcopalis conſtitui poteſt in vico vel caſtro ſed

in majori civitate Conc. Sardic. can. 6. Laodic.. can. 56. Anacleti epiſt. 3 Leonis epiſt. 87. can. Epiſcopi & dd. ſeqq. 80. diſt. cap. 1. extr. de privileg. Pictavienſis Eccleſia pulſo Auſtrapio Diœceſes ſuas recepit, id eſt Parochias quæ à Pictavienſi Epiſcopatu avulſæ fuerant Sellenſis Epiſcopatus ad tempus ſtabiliendi cauſa. Sæpè Diœceſis ſumitur pro Parochia ſeu Eccleſia privata, Gregor. infr. libr. 5. cap. 5. de Munderico, *apud Ariſitenſem vicum Epiſcopus inſtituitur habens ſub ſe plus minus Diœceſes quindecim, quas primum Gothi quidam tenuerant.* Et idem eodem loco de Pappolo Lingonenſi Epiſcopo. *Anno octavo Epiſcopatus ſui dum Diœceſes, ac villas Eccleſiæ circumiret, quadam nocte dormienti apparuit ille B. Tetricus.* Idem libr. 6. cap. 38. de Innocentio Rutenenſi Epiſcopo. *Sed adſumpto Epiſcopatu confeſtim Vrſicinum Cadurcinæ vrbis Epiſcopum laceſſere cœpit, dicens quia Diœceſes Rutenæ Eccleſiæ debitas retineret:* & ita accipiendus eſt can. 5. Conc. Carth. 2. & can. 20. Conc. Africani Diœceſes quæ numquam Epiſcopos habuerunt, non habeant can. Felix. can. multis. 16. qu. 1.

Ad cujus beatum ſepulchrum vidimus vinctorum compedes, atque catenas diſruptas confractaſque jacere, quæ vſque hodie in teſtimonium virtutis ejus ad ipſum Beati ſepulchrum reſervantur. vincti ſoluti gratia B. Medardi Noviomenſis Epiſcopi. Idem Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 95. *Medardus vero glorioſus Confeſſor, juxta vrbem Sueſsionem quieſcit ad cujus ſepulchrum ſæpè compedes miſerorum confractas aſpeximus.* Pari miraculo vincti ſoluti in funere Gregorij Lingonenſis Epiſcopi teſte eod. Gregor. de vit. Patr. cap. 7. B. Leonardi Lemovicenſis meritis ſolvuntur etiam captivi & carcerati, ejus ope è manu Barbarorum liberatus Boamundus Siculus voti luendi cauſa venit in Galliam, ut à nobis pridem obſervatum eſt Rer. Aquitanic. libr. 5. cap. 18.

Cap. xx. *Vultrogotam vero & filias ejus duas in exilium poſuit.* Ultrogotha uxor Childeberti Regis, cum viro Xenodochium Lugdunenſe fundavit & dotavit de quo Conc. Aurelianenſ. 5. can. 15. ejus pietatem commendat Gregor. de mirac. B. Martin. libr. 1. cap. 12.

Protinus B. Martini baſilica ordinante Clothario Rege ſtanno

cooperta eſt, & in illa qua priùs fuerat elegantia reſtituta. Baſilica S. Martini Turonenſis reſtituta à Clothario & ſtanno cooperta. Idem Gregor. infr. libr. 10. cap. 31.

Tunc duæ acies locuſtarum apparuerunt, quæ per Arvernum, atque Lemovicinum tranſeuntes vt ferunt Romaniacum campum venerunt, in quo prælio magno inter ſe acto maximè ſunt colliſæ. Simile ſuo tempore in Judæa contigiſſe narrat Hieronym. in Joëlem cap. 5. *Etiam noſtris temporibus vidimus agmina locuſtarum terram texiſſe Iudæam, quæ poſtea miſericordia Domini inter veſtibulum & altare, hoc eſt inter crucis & reſurrectionis locum Sacerdotibus & populis Dominum deprecantibus, atque dicentibus parce populo tuo, vento ſurgente in mare primum & noviſſimum præcipitatæ ſunt.*

Cùm graviter vexaretar à febre aiebat: VVa quid putatis qualis eſt ille Rex cæleſtis, qui ſic tam magnos Reges interficit. Vah apud Hæbreos eſt verbum exultationis. Gregor. P. Moral. libr. XXXI. cap. 25. in illud Job cap. 39. *Vbi audierit buccinam dicit vah. Vah quippe ſermo exultationis eſt.* vel potius vah. eſt verbum inſultantis Hyeronim. ad Damaſum. *Ad ſummum ſicuti nos in lingua latina habemus interjectiones quaſdam, ut inſultando dicamus vah, & in admirando Papæ & in dolendo heu,* &c. Matth. 27. *Prætereuntes autem blaſphemabant eum, moventes capita ſua & dicentes, vah qui deſtruis templum Dei.* Abbo de obſid. Pariſiac. libr. 1. Cap. 21.

Vah multoſque terunt Danos, plures quoque peltas.

Chilpericus vero poſt patris funera, theſauros qui in villa Brannaco erant congregati, accepit, lege Brennacum ita Fredegarius cap. 5. *Chilpericus occupatis theſauris Clotharij in villa Brennaco ſedem Childeberti Pariſius occupat,* & Gregorius ipſe infr. h. libr. cap. 41. *cumque veniſſet apud villam Brennacum,* Brennacum eſt villa fiſcalis in Campania, apud quam Clotharius theſaurum cuſtodiæ cauſa depoſitum habebat, ejuſdem meminit Aimoin. libr. 3. cap. 42. *Intelligente ipſa Regina apud Brenacum villam à patre manere juſſus eſt.* vulgò *Brenne*, & Gregorius infr. lib. 5. cap. 26. *quem vinctum ad Chilpericum Regem Brennacum deduxit,* & idem cap. 35. ejuſd. libr. *à villa Brennaco Pariſius.* Cap. 22.

Deditque ſors Chariberto regnum Childeberti, ſedemque habere Pariſius. Inter Reges Francorum prioris ſtemmatis Regnum ſorte diviſum ex æquis partibus. Sorte etiam uſi ſunt Romani in hæreditate dividenda inter coheredes l. 2. C. quand. & quib. quart. pars debet. libr. 10. l. 5. ff. famil. erciſc. l. ult. C. commun. de legat. & ibi Cujac. inde partes quæ cuique Regum obtingebant ſortes dicebantur de quo infr. h. libr. cap. 44.

Theodobertum vero filium illius, apud Ponticonem villam cuſtodiri juſſit per annum integrum, Pontigo villa regia, ejuſdem meminit Gregor. infr. libr. 6. cap. 37. de Lupentio Abbate, *Et ad Ponticonem villam deductus, multis ſupplicijs eſt adfectus.* Eadem videtur quę Pontigo ubi habita eſt Synodus Galliarum à Carolo Calvo de qua Aimoin. libr. 5. cap. 32. *medio futuro menſe Iulio generalem Synodum auctoritate Apoſtolica, & ſanctione ſuâ apud Pontigonem indixit, quo per Remos & Catalaunos civitates pervenit,* Pontigonem fuiſſe in Pago Catalaunenſi, quà Lingones ſpectat colligitur tum ex hoc loco, tum ex alio ejuſdem auctoris cap. 35. ejuſd. libr. *Dominus autem Imperator Carolus de Cariſiaco Compendium, indeque per Sueſsionas ad Remenſem civitatem, & ſic iter ſuum per Catalaunos & Pontigonem, atque Lingonas peragens, de Francia Italiam petijt,* Anaſtaſius in Stephano III. *Quem Pipinus in Gallias venientem eo loco excepit, Ponticonem Palatium appellat.* Malè Pauticona legitur in annalib. Pithęi ad ann. 858. vulgo *Pontione*, Pontigonem fiſcum, ſic vocant villas regias, vocat Frodoard. in chronic. ad ann. 952. *Nec non Pontigonem fiſcum, quem Heribertus invaſerat, aliamque munitionem Rex contra Victuriacum inſtruit.*

Cap. 24. *Amoto Agræcula patricio, Patriciatus honore donavit*, Patriciatus honor non ſine præfectura cujuſpiam Provinciæ conferebatur, maximè Arelatenſis ſeu Maſſylienſis. Provincia hac ætate pręfectos habere ſolebat, dignitate patricios. Ideo Gregorius ait hoc loco Guntranum Regem, Amoto Agrœcula, ſeu Agricola Patricio, Celſum Patriciatus honore donaſſe, idem Fredegarius cap. 55. *anno* XXVII *ejuſdem regni Leugiſiſtus à Guntchramno Patricius partibus Provinciæ ordinatur* Idem c. 24.

Defuncto Vandalmaro Duce in Pago Vltrajuranũ & Scotingorum Protadius Patricius ordinatur. Idem c. 55. *Guntramnus in Burgundiâ regnãs in locum Agricolanis Patricij Celſum inſtituit.* Celſum à Guntrano Rege jam Burgũdia potito, præfecturam Arelatenſis Provinciæ, quæ pertinebat ad regnum Burgundiæ, cum honore Patriciatus accepiſſe colligitur ex eo, quod poſtea Arelate urbe occupata à Sigeberto Rege Gregorius infr. h. lib. c. 30. tradit Celſum patricium cum exercitu in has partes miſſum à Guntrano Rege, Arelatem recepiſſe dolo Sabaudi Epiſcopi Arelatenſis. Celſo ſucceſſit Amatus Patricius, Amato à Longobardis irruentibus in Gallias victo & occiſo ſucceſſit Mummolus Patricius cum præfectura ejuſdem Provinciæ, ut opponeretur Longobardis Gregor. infr. hoc libr. cap. 36. *Ennius quoque cognomento Mummolus à Rege Guntchramno Patriciatum promeruit*, &c.

Iuris lectione peritum. Celſum patricium laudat de juris peritia. Eadem laude Andarchum commendat idem infr. h. libr. cap. 41. *Nam de operibus Virgilij, legis Theodoſianæ libris, artemque calculi adplenè eruditus eſt*, ait legis Theodoſianæ, quia ea ætate ſtudium Pandectarum juris civilis ferè obſoletum erat, & ſolus Codex Theodoſianus ſtudijs celebris erat, unde Seronatum juris Romani contemptorem, de legis Theodoſianæ conculcatione notat Sidon. lib. 2. epiſt. 1. *Leges Theodoſianas calcans, Theodoricianaſque proponens.* Senatores & alij nobiles qui cogitabant de Republica, juris Romani ſtudio operam dabant, ſatis intelligentes Rempublicam attingi non poſſe ab imperitis juris Romani, ex quo hauſta eſt maximè Reipublicæ gubernandæ ſcientia, de Palladio teſtis Rutilius Numat. Itiner. libr. 1.

Facundus iuvenis Gallorum nuper ab arvis
Miſſus Romani diſcere jura fori.

Ariſtonem Senatorem de peritiâ juris privati & publici laudat Plin. libr. 8. epiſt. 13. *cùm ſis peritiſſimus & privati juris & publici, cujus pars Senatorium eſt.* Quintus Mucius in l. 2. de orig. jur. *Turpe eſſe Patricio jus in quo verſatur ignorare.* Cap. 25.

Poſtquam Rex Auſtrigildem cognomento Bobilam accepit, Guntranus ſecundam uxorem duxit Auſtrigildem nomine cui Fredegar. c. 56.

cognomen erat Bobila. Hac ætate unicum cuique nomen erat, nec patris nomen tranſibat ad liberos, unde incerta eſt, hujus temporis familiarum origo & ſeries. Nonnulli tamen nobiliores proprio nomini, cognomen addebant, & hoc in utroque ſexu ſervabatur, ut hoc loco Auſtrigildi Reginæ cognomen fuit Bobila, quod nomen proprium fuit fœminæ Senatorij generis de qua in vita Deſiderij Cadurcenſis Epiſcopi *Bobila Senatrix fœmina.* Per hęc tempora, Ennio Patricio cognomen fuit Mummolus Gregor. infr. hoc libr. cap. 36. *Ennius quoque cognomento Mummolus à Rege Guntchramno Patriciatum promeruit.* Et Guntchramno Duci cognomen fuit Boſo idem infr. libr. 5. cap, 14. *Hæc audiens Guntchramnus Boſo qui tunc in baſilica S. Martini reſidebat.* Mummolo Abbati cognomen fuit Bonus Gregor. infr. libr. 5.cap. 5. *In cujus locum Mummolus Abbas, quem Bonum cognomento vocant Epiſcopus ſubſtituitur.* Dracoleno Duci cognomen Induſtrius Gregor. infr. libr. 5. cap. 26. *à Dracoleno Duce, qui dicebatur Induſtriùs.*

Cap. 26. *Ille autem ſperans aliquid novi videre, aſpicit hunc eminus laſcias regias componentem.* In obſequio Ingobergæ Reginæ erant duę puellę filię artificis Lanarij, quas Charibertus Rex deperibat, Ingoberga ut Regem ab inſano amore avocaret, cognita vilitate generis puellarum, Regem vocavit, qui vidit hominem laſcias regias componentem, lege lanas pro laſcias. Gregor.lib.7. cap.14. *Pater ejus pectinibus inſedit, lanaſque compoſuit.* Eadem analogiâ veſtem componere dixit Gregor.de vit.B. Martini lib. 2.cap. 58. *Puer Pariſiacus, cujus artis erat veſtimenta componere.* Eccleſias vel Eccleſię domus componere id eſt inſtaurare idem libr. 5. cap. 37. *vel Eccleſias vel Eccleſiæ domos erigens, & componens.* Penum componere Servius in illum locum 3. Æneïd. *Quibus ordine longo cura penum ſtruere, ordinare componere, unde & ſtructores dicuntur ferculorum compoſitores.* Alij legunt faſcias, faſcia eſt vitta quæ tegit pectus in fœminis Hieronym. in Eſaïam cap. 3. *Faſcia pectus tegit, & eum poſſidet locum in fœminis, quem rationale in Pontificibus.* Alias faſcię ſunt inſtitę quibus mortuorum corpora obligantur, idem in Ezechiël. cap. 37. *Inſtar Lazari peccatorum ſuorum faſcÿs colligati.* Non temerè legi poteſt & licia, licium eſt velum

lum laneum vel lineum. Ovid. 3. Faſtor. *Licia dependent longas velantia ſepes.* Inquiſitio furti fiebat per lancem & licium. Gell. libr. 11. cap. 18. id eſt oppoſita lance & licio, nè ingredientes ædes alienas furti inquirendi causâ, curioſius circumſpicerent.

Salve Rex glorioſe ſedes enim apoſtolica eminentiæ tuæ ſalutem mittit vberrimam, Heraclius ſalutavit Regem Charibertum nomine ſedis apoſtolicæ, id eſt nomine Leontij Epiſcopi Burdegalenſis & Eccleſiæ Metropolitanæ. Sedes apoſtolicæ dicebantur eccleſiæ fundatæ ab Apoſtolis vel à diſcipulis ſeu proximis ſucceſſoribus Apoſtolorum Tertullian. de præſcript. adverſ. Hæretic. *Hoc enim modo Eccleſiæ apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſicut Smyrnæorum eccleſia habens Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert, ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit.* Clodoveus in epiſt. ad Synod. Aurelianenſ. 1. *Orate pro me Domini ſancti, & Apoſtolica ſede Papæ digniſsimi,* apud Gregorium extant duæ Epiſtolæ infr. libr. 9. cap. 41. & 42. *Domnis ſanctis, & Apoſtolica ſede digniſsimis.* Leontium de nobilitate generis & virtutis dotibus valde commendat Fortunat. libr. 1. cap. 15.

Pater inquit presbyter tuus Leontius cum provincialibus ſuis ſalutem tibi mittit. Patres dicti Epiſcopi propter reverentiam ordinis Auguſtin. in pſalm. 44. in illa verba; *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. Patres miſsi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filij nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epiſcopi, qui ſunt per totum mundum, vnde nati ipſa Eccleſia patres illos appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus patrum.* Idem in pſalm. 109. *Admirabilius eſt quod poteſt contingere, vt non ſolum Rex factus principis filius, dominus ſit patris ſui, ſed & Epiſcopus factus laici filius ſit pater patris ſui.* Hieronym. epiſt. ad Auguſtin. quæ eſt 14. inter epiſtolas Auguſtini. *Vale mi amice chariſsime ætate fili, dignitate parens.* Sidon. libr. 4. epiſt. 17. *Inclyti Galliarum patres ac protomyſtæ.* Etiam à principibus patres dicti Epiſcopi extat apud Gregorium infr. libr. 9. cap. 42. Epiſt. Radegundis Reginæ ad Epiſcopos Galliarum. *Domnis ſanctis & Apoſtolica ſede digniſsimis in Chriſto Patribus omnibus Epiſcopis, Radegundis peccatrix.*

R

Et plauſtro ſpinis ſuppleto imponi deſuper, & in exilium pro-
Cap. 26. *trudi præcepit*, Heraclius plauſtro ſpinis oppleto impoſitus ignominiæ cauſa, & in exilium relegatus. Sic Gregorius E. Alexandrinus Arrianus ignominiæ cauſa à plebe Camelo traductus. Epiphan. hæreſ. 76. Eodem conſilio Gomacharius Comes Leoni Agathenſi Epiſcopo interminatus legitur, ut circa urbem ſuper aſinum traduceretur. Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 79. *qui ait ad Epiſcopum ſile decrepite, jam infrenatum te loris circuire Vrbem ſuper aſinum faciam, vt ſis in ridiculo omnibus qui te aſpexerint.*

Tunc ablatis multis, paucis relictis eam monaſterio deſtinavit, Apud Arelatem fuit monaſterium virginum fundatum à Cæſario Arelatenſi Epiſcopo, cui præfuit Cæſaria ejus ſoror, inde regulam petijt Radegundis pro inſtitutione monaſterij virginum à ſe fundati apud Pictavum urbem ex epiſt. ejus Radegundis quæ extat apud Gregorium infr. libr. 9. cap. 43. *Inſuper congregationi per me Chriſto præſtante collectæ regulam ſub qua ſancta Cæſaria degit, quam ſolicitudo Beati Cæſarij Antiſtitis Arelatenſis, ex inſtitutione Sanctorum Patrum convenienter collegit adſcivi.* Theodegildis vidua Chariberti Regis à Guntranno Rege, in hoc monaſterium deſtinata id eſt miſſa. Deſtinare eſt mittere Gregor. infr. h. libr. cap. 28. *Pater vero ejus has promiſsiones accipiens filiam, ſicut anteriorem ſimiliter ipſi cum magnis opibus deſtinavit.* Idem de vit. Patr. cap. 17. *verè inquit dico vobis, quia deſtinavit Rex vt me avulſam à monaſterio huic oneri conſecrari juberet.* Deſtinatus idem eſt quod miſſus. Sidon. libr. 1. epiſt. 7. De Arvando. *Captuſque deſtinatuſque pervenit Romam*, alijs deſtinatus pro vincto ſeu compedito Apuleius de Aſino Aureo lib. 1. *At bona Panthia, quin igitur ſoror hunc primum bacchatim diſcerpimus, vel membris ejus deſtinatis virilia deſecamus*, idem libr. 4. *Arreptum me loco quam valido ad anſulam quamdam deſtinatum, rurſum cædendo confeciſſent profecto.* Vitruvius libr. 5. cap. 12. *Arcæ ſtipitibus robuſtis, & catenis incluſæ; in aquam demittendæ, deſtinandæque firmiter*, ait deſtinandæ id eſt colligendæ, à verbo deſtina quod ſonat vinculum ſeptum. Deſtinæ ſunt ſepta & munimenta quæ adſtruuntur ædificijs. Apertè Beda Hiſt. Anglic. lib.

3. cap. 17. *Inde factum eſt vt adclivis Deſtinæ, quæ extrinſecus Eccleſiæ pro munimine erat appoſita ſpiritum vitæ exhalaret vltimum*, & infra, *ſed mirum in modum ſola illa deſtina, cui incumbens obijt, ab ignibus circumcincta vorantibus, abſumi non potuit.*

Per occultos nuntios Gothum quendam adivit, Theodegildis vidua Chariberti Regis cuſtodiæ cauſa detruſa in Arelatenſe monaſterium Puellarum, per nuntios clam quendam Gothum adijt, ſpe nuptiarum ei propoſitâ, ſi eam in Hiſpaniam deduceret. Hac ætate Gothia dicebatur Septimania, quia in Gothorum ditione remanſit Gregor. infr. h. libr. cap. 51. *Ibi & Sygila, qui quondam ex Gothia venerat, multum laceratus eſt*, & Joannes Italus vitæ Odonis Abbatis Cluniacenſ. libr. 1. *qua de cauſa omnibus charus erat; præcipuaſque apud VVillelmum Comitem robuſtiſſimum, qui eo tempore Aquitaniam Gothiamque ſuo jure tenebat.* Et Frodoard. in ann. 924. *Hungari per abrupta tranſeuntes Alpium juga veniunt in Galliam, & inopinato loco per deuia montis evadentes, Gothiam impetunt*, & Robert. Montenſ. in ſupplem. Sigebert. ad ann. 1118. *Et Gothiam quæ Provincia ſancti Ægidij dicitur*, inde Gothi Septimani Gregor. præter hunc locum infr. libr. 5. cap. 5. *Et apud Ariſitenſem vicum Epiſcopus inſtituitur, habens ſub ſe plus minus Diœceſes quindecim, quas primum Gothi quidam tenuerant, nunc verò Dalmatius Ruthenenſis Epiſcopus vendicabat.* Et Stephan. Tornac. epiſt. 91. ad Joannem Pictavienſem Epiſcopum ad Narbonenſem ſedem electum. *Abſit pater à manſuetudine veſtra, vt Gothorum barbariem ad levitatem Vaſconum, ad crudelos & efferos mores Septimaniæ declinetis.* Ea ætate Septimaniam adhuc fuiſſe in poteſtate Gothorum indicat, & Gregor. libr. 9. cap. 1. *vt ad civitates Septimaniæ nullum de regno ejus tranſire permitteret.*

Quod ille per ingenia diſſimulans, verbis eam lenibus demulſit, Ingenium, dolus, calliditas, artificium. Gregor. infr. libr. 6. cap. 22. *Proclamante vero Epiſcopo & dicente, quod ſæpius hic ingenia quæreret, qualiter eum ab Epiſcopatu dejiceret.* Idem cap. 46. ejuſd. libr. *nouaque ſemper ad lædendum populum ingenia quærebat.* Idem de mirac. B. Martin. libr. 2. cap. 1. *Omne inge-* Cap. 28.

nium artificij tui impendiſti, pigmentorum omnium vim probaſti, ſed nihil proficit. Idem de mirac. martyr. lib. 1. c. 25. *ſi fortè aliquem deprehendere poſſet fraudis alicujus conſcium, per cujus ingenium in fontibus aqua ſuccederet.* Anaſtaſ. in Benedict. 3. *videntes itaque quia in Anaſtaſium, Chriſti vnitas almaque concordia, nullo flectebatur ingenio.* Idem infr. libr. 7. cap. 20. *Veniens igitur clericus cum diverſis ingenijs ſe eidem commendavit.* Idem libr. 4. cap. 2. *Rex verò adveniens, cum multis ingenijs, eos exinde auferre niteretur.*

Ad extremum eam ſuggillari juſſit à puero, mortuamque reperit in ſtrato Suggillare eſt ſuffocare, ſtrangulare. Gregor. hoc libr. cap. 26. *Chramnus ſuper ſcamnum extenſus orario ſuggillatus eſt.* idem libr. 7. cap. 7. *Redde homicidam quæ amitam meam ſuggillavit.* Idem libr. 10. cap. 8. *in cilicio quo orabat ſuggillata reperitur.* Idem libr. 9. cap. 34. *Exclamavit vna puellarum quæ erat intrinſecus voce magna dicens, currite quæſo currite, ecce domina mea, à genitrice ſuâ graviter ſuggillatur.* Idem de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 78. *At illa converſa ad populum crimen fatetur dicens ſeptem jam à me editos parvulos interfeci, quos de inceſto concipiens metui publicare, octavum adhuc die præterita ſuggillavi.*

Lychnus enim ille qui fune ſuſpenſus, coram ſepulchro ejus ardebat, nullo tangente, fune diſtracto in pavimentum corruit idem Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 2. Lychni & cerei ad ſepulchra Sanctorum ardent de more antiquo. Fortunat. in vita Hilarij Pictavienſis Epiſcopi apud Surium 13. Jan. *Item cum juxta conſuetudinem quadam nocte cereus illuminatus fuiſſet, caſu ſuper ſepulchrum ejus qui interceſſione ſuâ mortuos viuificat, ardens corruit, ita vt ſuper Mafortem, quo cecidit, ſine læſione aliqua perarderet,* & Hincmar. in vit. Remigij Rhemenſis Epiſcopi apud eund. 13. Ian de quodam colono villæ Rhemenſis eccleſiæ. *Sicque junctis bobus candelam in manu habens, ad baſilicam ſancti Remigij properavit, quo perveniens de pane & carne ac cerviſia matricularios pavit, candelam ad ſepulchrum ſancti poſuit, & ejus auxilium contra opprimentes ſe fiſcalinos expetijt.* Ad lectulum B. Nicetij Lugdunenſis Epiſcopi lychnos jugiter ardentes memorat Gregor. de vit. Patr. cap. 8. *Palla etiam ſpecioſa legi-*

tur, lychnique in ea jugiter accenduntur. Ad crucem Domini ſemper lychnus ardens quod magis mireris, oleo omnibus ægris ſalutari fluére memoratur. Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 5. *Ego autem audiebam ſæpiùs quod etiam lychni, qui accendebantur ante hæc pignora, ebullientes virtute divina, in tantum exundarent oleum, vt vas ſuppoſitum plerumque replerent* idem cap. 15. ejuſd. libr. *Ferunt autem in hoc oratorio, à Lychno oleum ebullire, habentur enim & ibi reliquiæ ſanctæ crucis.* Idem de glor. confeſſ. c. 69. de B. Marcellino Epiſcopo Ebredunenſi. *Ad hujus ergo ſancti ſepulchrum lychnus aſſiduè lumen præbet.*

Tamquam in aliquod molle elementum deſcendit. Lychnus qui fune ſuſpenſus ardebat ante ſepulchrum Galſvinthæ Reginæ, diſrupto fune corruit in pavimentum inlæſus, quaſi in molle elementum cecidiſſet. Molle elementum hic accipitur pro aqua, ut in cap. pen. extr. de baptiſm. cùm dicitur in baptiſmo duo requiri verbum & elementum. Hac analogia aquas flumina fontes elementa vocat Prudentius libr. 1. contr. Symmach.

Id duxere Deos, colles freta, flumina flammas
Hæc ſibi per varios formata elementa figuras
Conſtituere Patres.

Cumque confligere deberent, iſti magicis artibus inſtructi, diverſas eis phantaſias oſtendunt, & eos valdè ſuperant. Hunni magicis artibus vincunt Sigebertum Regem Francorum, incuſſo pavore varijs terriculamentis dæmonum quæ Gregorius vocat Phanthaſias, imagines.

Sed & Rex Chunorum multa munera Regi Sigiberto dedit vocabatur autem Caganus, omnes enim Reges gentis illius hoc appellantur nomine. Caganus proprium nomen Regum Hunnorum Sigebert. ad ann. 520. *Abbhinc regnum Hunnorum annotare ceſſabo, quia omnes gentis illius Reges Kaganos vocatos lego.*

Sigebertus verò Rex Arelatenſem vrbem capere cupiens, Arvernos commoveri præcepit. Erat enim tunc Firminus Comes urbis illius, qui cum ipſis in capite abijt, Franci per Pagos diviſi militabant, & Duces habebant Comites cujuſque Pagi, qui parebant Duci ſub ſe habenti plures pagos, & totidem Comi- Cap. 29.

tes, Gregor. infr. libr. 3. cap. 26. *Dehinc Turonici, Pictavi, Bajocaſſini, Cenomanici, Andegavi cum alijs multis in Britanniam ex juſſu Chilperici Regis abierunt.* Idem libr. 6. cap. 31. *Berulphus verò Dux cum Turonicis, Pictavis, Andegaviſque, atque Nanneticis ad terminum Bituricum venit.* Idem libr. 8. cap. 30. *Tunc commoto omni exercitu regni ſui illuc dirigit, gentes verò quæ vltra Ararim Rhodanumque & Sequanam commanebant, cum Burgundionibus junctæ Ararica Rhodaniticaque littora tam de fructibus, quàm de pecoribus valde depopulatæ ſunt* & infra, *ſimiliter & Biturici Sanctonici, cum Petragoricis, Egoliſmenſibus & reliquarum vrbium populo, qui tunc ad antedicti Regis imperium pertinebant vſque ad Carcaſſonam vrbem devecti.* Idem libr. 9. cap. 31. de Anteſtio Duce. *Ipſe cum Santonicis, Petrogoricis, Burdegalenſibuſque, Agennenſibus etiam ac Toloſanis illuc direxit.* Ducum quoque & Comitum erat munire & tueri civitates poſitas intra fines ſuos. Idem libr. 6. cap. 41. *Miſitque ad Duces & Comites civitatum nuncios, vt muros componerent vrbium.* Ait in capite vulgò *en chef*, eadem analogia Gregorius infr. h. libr. cap. 45. *Quod illi diſſimulantes Rex Godegiſilum & Guntchramnum Duces in capite dirigit.*

Qui abiens Avennicam vrbem abſtulit. Avennica urbs à Celſo Patricio Guntrani Regis, armis occupata adverſus Sigebertum Regem, tum eidem reſtituta, ut ſubjicit Gregorius infr. h. cap. *Ac ſic Guntchramnus Rex recepta vrbe illa juxta conſuetudinem bonitatis ſuæ, Avennicam ditionibus fratris ſui reſtituit.* Avennica eſt Avenio civitas ſita ſuper Rhodanum quæ olim dicta eſt Avenio Cavarum Plin. libr. 3. cap. 4.

Cap. 31. *Igitur in Gallijs magnum prodigium de Taureduno caſtro apparuit, quod ſuper Rhodanum fluvium in monte collocatum erat,* Tauredunum caſtrum ſuper Rhodanum, hodie Turnonum.

Inter quorum anguſtias torrens defluit, Rhodanus inter fauces montium torrens defluit, id eſt quaſi torrens, de Hidaſpe flumine Indorum, idem Curtius lib. 8. cap. 13. *ſed quaſi in arctum coëuntibus ripis torrens & eliſus ferebatur.* Idem libr. 9. cap. 2. *Nam flumen quo latius fuſum ex hoc placidius ſtagnat. quippè anguſtis ripis coërcita, & in anguſtiorem alveum eliſa, torrentes aquas invehunt.*

Vſque ad Ianobam civitatem, male Quercetanus legit Genuam, Janoba civitas ſita ſupra Lacum Lemanum alijs Gebenna Ottho. Friſingenſ. de geſt. Frideric. libr. 2. cap. 29. *Bertoldus Conradi filius tres civitates inter Iuram & montem Iovis Loſannam Gebennam & N. accepit.* Olim Geneva extremum Allobrogum oppidum Jul. Cæſar de bell. Gallic. libr. 1. cap. 2. *Extremum oppidum Allobrogum eſt, proximum Heluetiorum finibus Geneva.*

Nam plerumque tres aut quatuor ſplendores magni, circà Solem apparuerunt, quos ruſtici ſoles vocabant, dicentes ecce tres vel quatuor ſoles in cælo. Plures ſoles in cœlo ſæpiùs viſos refert Plin. libr. 2. cap. 31. Idem oſtenſum viſum ſcribit Gregor. libr. 5. cap. 24. *Sed & ſplendores illi circa ſolem, quos ruſtici ſoles vocant apparuerunt.*

Avis Corydalus quam Alaudam vocamus. Alauda avicula vox Gallica. Marcellus patria Aquitanus & linguę Celticæ peritiſſimus de medicament. cap. 29. *Corydalus avis, id eſt quæ Alauda vocatur*, inde legioni Gallicæ, nomine Gallico à Julio Cæſare Alaudæ nomen datum tradidére Tranquill. in Julio cap. 23. & Plin. libr. 11. cap. 38.

In ſacrarium autem ſub velo tranſiens Cicindelem extinguere voluit. Alauda avis ſacrarium Eccleſiæ Arvernæ ingreſſa Cicindelem extinguere voluit, Cicindela eſt genus vermiculi, cui nomen Noctiluca vulgò quod noctu lucet, unde nomen tranſlatum ad lampadem, ſeu candelabrum Serv. in illum verſ. 3. Æneïd. *Noctem flammis funalia vincunt. Alij funalia appellarunt, quod in Cicendula lucet.* Hac voce familiariter eo ſenſu uſus eſt Gregorius de Mirac. Martyr. libr. 1. cap. 5. *Tunc converſus ad Abbatiſſam aïo, tanta nè te retinet mentis ignavia, vt integrum cicindele laborare non poſſis, in quo oleum accendatur,* Idem cap. 15. ejuſd. libr. *regreſſaque velociter ad cicindelem, cereum non attingebat inluminare.* Idem de vit. Patr. cap. 8. *Gratum eſt illud addi miraculis, quod accenſis ad lectum ejus fecerit cicendilis.* & Iſidor. origin. libr. 20. cap. 10. *Lucerna à lychno dicta eſt, lychnus autem quaſi lucinius, eſt enim Cicindela lucernæ.*

Palladius Brittiani quondam Comitis ac Cæſariæ filius Comi-

tatum in vrbe Gaballitana , Sigiberto Rege impertiente promeruit. Palladius beneficio Sigiberti Regis factus eſt Comes Gabalorum, hunc fuiſſe patria Arvernum obſervare eſt ex eo quod anno proximo è Comitatu depoſitum in Arvernum receſſiſſe indicat Gregorius, Palladiorum ſtirps fuit nobiliſſima, & genere Romana, Sidon. libr. 7. in concione poſt epiſt. 9. *Vxor illi de Palladiorum ſtirpe deſcendit, qui aut literarum, aut altarium cathedras cum ſui ordinis laude tenuerunt*, & Rutil. Itiner. libr. 1.

Tum diſceſſurus ſtudijs vrbique remitto
Palladium generis ſpemque decuſque mei
Facundus juvenis Gallorum nuper ab arvis
Miſſus Romani diſcere jura foci.

Nam anno ſequenti remotus à Comitatu Palladius Arvernum regreſſus eſt, Romanus verò Comitatum ambivit, Palladius poſt annum è Gabalitano Comitatu depoſitus, ſucceſſorem habuit Romanum. Ea ætate Comites erant ad tempus, Comitatus erant ſimplices præfecturæ Gregorius infr. libr. 6. cap. 45. *Major domus autem VVaddo, qui olim Santonicum rexerat Comitatum*, idem infr. hoc libr. cap. 36. *Peonius verò hujus municipij Comitatum regebat, cumque ad revocandam actionem munera Regi per filium tranſmiſiſſet, ille datis rebus paternis Comitatum patris ambivit*, &c.

Evaginato gladio, cornuaque enſis pedibus calcans, acumen ad pectus erexit. Capulus gladij, habet cornua, & quaſi brachia dextræ muniendę cauſa, ſic cornua Antemnarum dixit Virgil. 5. Æneïd. *Vnà ardua torquent cornua*, ubi Servius. *Antemnarum extremitates.* & Tertull. adverſ. Marcion. libr. 3. *Nam & in Antenna navis quæ crucis pars eſt, extremitates cornua vocantur*, ſic & cornu menſæ pro extremo, quia extrema menſæ quæ erat in modum ſigmatis videntur cornua efficere. Sidon. libr. l. epiſt. 11. *Poſtridiè juſſit Auguſtus vt epulo ſuo Circenſibus ludis intereſſemus, primus jacebat cornu ſiniſtro Conſul ordinarius Severinus.* Gregor. de mirac. libr. 1. cap. 80. *Diſcumbentibus autem ad convivium, vir ille cum presbytero dextræ partis cornu occupat, Catholicum ad ſiniſtra ſtatuens.* Sic & cornu altaris can. Presbyter. 81. diſt.

Im-

Impreſſuſque deſuper gladius, ab vna ingreſſus mamilla, in ſpatula dorſi egreſſus, ſpatula, vulgò ſpalla *épaule*. Turpin. de geſt. Carol. M. c. 20. *Anſerem aut ſpatulam porcinam*. Inde Iſidor. origin. lib. 18. c. 6. *Alij ſpatham latinè autumant dictam, eo quod ſpacioſa ſit, id eſt lata & ampla*, unde & ſpatula in pecoribus. Recentiores ſpallam ut in cap. cum venerabilis extr. de cenſib.

Verumtamen ad monaſterium Chronenſium delatus ſepulturæ mandatur, ſed non juxta Chriſtianorum cadavera poſitus, ſed nec miſſarum ſolemnia meruit. Palladius quia metu indignationis Sigiberti Regis mortem ſibi conſcivit, caruit chriſtiana ſepultura. His qui manus ſibi inferunt denegatur ſepultura piorum, neque pro his oblationes fiunt ex Conc. Brachar. 1. can. 34. can. placuit 23. qu. 7. & Conc. Altiſſiodor. can. 17.

Et vſque Muſcias Calmes. Locus juxta Ebrodunum in quo Longobardi fuſi à Mummolo Paul. Diaconus de geſt. Long. Cap. 37. libr. 3. legit Muſtiacalmos.

Fueruntque in hoc prælio Salonius & Sagittarius fratres, atque Epiſcopi, qui non cruce cæleſti muniti, ſed galea aut lorica ſeculari armati, multos manibus proprijs quod pejus eſt interfeciſſe referuntur. Salonius & Sagittarius Epiſcopi & fratres, prior Ebredunenſis, alter Vapincenſis, notantur quod interfuerint prælio contra Saxones, & in eo multos hoſtium propria manu confoderint, quod eſt contra canones can. ſi in morte 23. qu. 8. de his Gregor. infr. libr. 5. c. 21. Vetus eſt querela de Epiſcopis Galliæ quod rebus militaribus ſe immiſcerent, eo nomine Epiſcopis Galliæ ſuccenſet Nicolaus 1. epiſt. 27. quod Romam vocati ad Synodum defuiſſent, ob hanc cauſam quod cum alijs fidelibus regijs bello impliciti eſſent adverſus pyratas maritimos, id eſt adverſus Normannos qui jam Galliæ infeſti eſſe cœperant can. reprehenſibile ead. cauſ. & qu. & Petrus Damiani cum audijſſet quoſdam Epiſcopos Gallos & Germanos loricatos ad bellum procedere, rem deteſtatus ſcripſit epiſt. ad Firminum E. quæ eſt 9. libr. 4. Philippo Epiſcopo Belvacenſi capto in prælio Bovinenſi Ro Pontifex pro ejus liberatione apud Richardum Regem Anglorum intercedere deſijt, ex quo oblata eſt lorica in qua captus fuit, & ut liberaretur pretium redemptionis ſolutum eſt de quo Guillel. Brito Phi-

lippid. libr. 11. & Matth. VVeſtmonaſter. ad ann. 1196.

Infra territorium Regienſem , id eſt apud Staplonem villam caſtra ponunt, Staplone villa Regienſis agri, *c'eſt Riez en Provence*, idem Paul. Diac. de geſt. Langobard. lib. 13. cap. 5. ait Territorium Regienſem. Gregorius vitio ſeculi parum accuratè ſervavit regulas Grammaticæ, quod non negavit ipſe in præf. libr. de glor. Confeſſ. *Sed timeo nè cum ſcribere cœpero quia ſum ſine literis Rhetoricis , & arte Grammatica, dicat mihi aliquis &c.*

Dantes multa numiſmatis aurei millia pro redemptione ſua. Numiſma pro nummo aureo vel argenteo vel æreo. Iſidor. orig. lib. 15. c. 17. *Numiſma eſt ſolidus aureus , vel argenteus ſive æreus , qui ideo numiſma dicitur , quia nominibus principum effiegibuſque ſignatur.* Luitprand. Ticinenſ. Hiſt. lib. 6. c. 5. *In ea quæ eſt ante* βαιοφόρον, *quod nos palmarum ramos dicimus hebdomade , tam in militibus , quàm in diverſis conſtitutis officijs numiſmatum aureorum erogationem , pro vt cujuſque meretur officium Imperator facit.* Inde paracharaximum numiſma , id eſt numus adulterinus Caſſian. collat. 1. cap. 27. *Paracharaximo ſcilicet illuſus numiſmate* & infr. *Tamquam adulterina numiſmata, & paracharaxima reprobemus.* Et Gregor. ipſe infr. libr. 5. cap. 19. *ſed & ſacculum cum numiſmatis, auri pondere tenentem quaſi millia duo* ,& idem lib. 2. cap. 40. *qui dum diverſa reſpicerem, ait in hanc arcellulam ſolitus erat, pater meus numiſmata auri congerere.*

Cap. 36. *Igitur advenientibus , ad Cataplum Maſſilienſium navibus tranſmarinis.* Cataplus eſt adventus ſive appulſus navium ad portum à Græco κατάπλους l. 4. §. ingreſſus ff. de offic. Proconſ. Græcia ἐπιδημίας , id eſt acceſſus ad urbem appellat. ſive κατάπλουν , id eſt ad navigationem, inde Cataplus Alexandrinus ſeu Niliacus de quo Martial. libr. 12. Epigr. 75.

Cum tibi Niliacus portet criſtalla Cataplus

de quo intelligendus. Senec. epiſt. 75. *Hodie nobis Alexandrinæ naves apparuerunt, quæ præmitti ſolent, & nuntiare ſecuturæ claſſis adventum , Tabellarias vocant* , ſic Cataplus Narbonenſis memoratur Auſonio in Narbona.

Et quicquid ratio per flumina, per freta curſu
Advehitur, toto tibi navigat orbe κατάπλους.

Et Cataplus eſt adventus claſſis mercatorię. *M. Tull. pro Rabir. poſth. Cataplus ille Puteolanus.* Sidon. libr. 6. epiſt. 8. *Catapli recentes nundinas agit.* Idem libr. 7. epiſt. 7. *Si tamen aut Cataplus arriſerit.*

Vigilij Archidiaconi homines ſeptuaginta vaſa quæ vulgò Orcas vocant, olei liquaminiſque furati ſunt. Orca eſt amphora olei, vini vel liquaminis, id eſt liquoris ſalſi. Varro de re ruſtic. libr. 1. cap. 13. *Sæpè vbi conditum novum vinum Orcæ in Hiſpania fervore muſti ruptæ, nec non & dolia in Italia.* Gregorius Papa libr. 1. epiſt. 34. *Vini amphoras triginta, annonæ modios ducentos, olei orcas duas*, ubi dixi plura, quibus addatur Plinius libr. 13. cap. 19. *at vbi copia abundat implendæ orcæ in Aſia, cadi autem in Ruſpinâ Africæ.*

Negotiator ad Albinum pergit, cauſam exerit & Archidiaconum in crimine fraudis hujus mixtum accuſat, Albinus erat Rector Provinciæ, negotiator Maſſilienſis apud Albinum Archidiaconum accuſat de furto 7. orcarum olei. Rectores Provinciarum præerant judicijs ut Comites civitatum. Gregor. infra libr. 8. cap. 18. *Gundovaldus autem Comitatum Meldenſem ſuper Vverpinum competijt, ingreſſuſque vrbem cauſarum actionem agere cœpit.* Idem de miraculis Martyr. lib. 2. cap. 16. *Quid etiam ad Becconis Comitis confutandam ſuperbiam beatus Martyr ſit operatus evolvam, hic cum actiones ageret publicas, & elatus jactantia multos contra juſtitiam adgravaret, caſu contigit ut dimiſſum accipitrem diù per diverſa vagantem perderet.* Idem de vit. Patr. cap 8. *Nam vidi ego quodam tempore Baſilium Presbytum miſſum ab eo ad Armentarium Comitem qui Lugdunenſem vrbem in his diebus poteſtate judiciaria gubernabat*, &c. de quo plura de Ducib. & Comit. libr. 1. cap. 4.

Die autem ſancto natalis dominici, Epiſcopo in Eccleſia adveniente, Archidiaconus indutus alba adeſt, Epiſcopum, vt mos eſt invitans ad altare debere procedere Officium Archidiaconi eſt obſequi Epiſcopo ſacra obeunti, & eum invitare ad altare proceſſurum. Ejuſdem officium Epiſcopo denuntiare dies ſolemnitatum & jejuniorum can. perlectis verſ. ab Archidiacono 25. diſt. Ait indutus alba, inter ſacra enim, candida veſte utuntur Epiſcopi Presbyteri & Diaconi & cæteri minores clerici

Hieronym. adverſ. Pelag. libr. 1. *Quæ ſunt rogo inimicitiæ contra Deum ſi tunicam habuero mundiorem, ſi Epiſcopus Presbyter & Diaconus, & reliquus ordo Eccleſiaſticus, in adminiſtratione ſacrificiorum, candidâ veſte proceſſerint.* Gregor. de glor. confeſſ. cap. 20. *Erat autem Sacerdotum ac Levitarum in albis veſtibus non minimus chorus.* Idem ſupr. libr. 2. cap. 23. *cui adſiſtebant multi Sacerdotum in albis veſtibus.*

Pro quo numquam obtinere potuérunt, non Epiſcopus, non cives non vllus major natu, non ipſa vox totius populi adclamantis, vt datis fidejuſſoribus, diem ſanctum Archidiacono liceat cum reliquis celebrare. Archidiacono Maſſilienſi furti reo facto apud Albinum Rectorem Provinciæ & capto in die natali Chriſti, impetrari non potuit ut per diem feſtum ſolveretur datis fidejuſſoribus. Fidejuſſor judicio ſiſti adhibetur, etiam in criminalibus cauſis l. ſi adulterium in fin. ff. ad l. Jul. de adulter.

Quadrupla ſatisfactione, inſequente Iovino compoſuit. Albinus inſtante Iovino conventus, quod Archidiaconum Maſſilienſem quatuor millibus ſolidorum damnaſſet, decreto Sigiberti Regis damnatus eſt, in quadruplum. Iudex qui per injuriam ſententiam dixit, litem ſuam facit, ita ut æſtimationem litis prȩſtare cogatur l. filiusf. §. 1. ff. de judic.

Cap. 39. *Vſque Machaovillam Avennici territorij, quam Mummolus munere meruerat regio acceſſit.* Machaovilla Avenionenſis territorij Paul. Diacon. libr. 3. de geſt. Longobard. idem referens legit Machovillam. Hæc villa à Sigeberto Rege Mummolo data memoratur, in Alodem ſc. ſeu proprietatem, vel etiam jure beneficij, feudorum enim jus prius notum fuit, quàm nomen & à Clodoveo jam ante Milidunum caſtrum cum territorio jure beneficij Aureliano datum refert. Aimoin. libr. 1. cap. 14. *Vnde cum Clodovæus regnum ſuum vſque Sequanam, atque poſtmodum vſque Ligerim fluvios ampliaſſet, Melidunum caſtrum eidem Aureliano cum totius ducatu regionis jure beneficij conceſſit* Godino villas è fiſco in agro Sueſſionenſi à Chilperico datas & poſteà ademptas refert Gregorius infr. libr. 5. cap. 3. *Villas verò quas ei Rex à fiſco in territorio Sueſſonico indulſerat abſtulit, baſilicæ contulit Beati Medardi.*

Rhodanus autem Gratianopolitanam vrbem aggreſſus eſt, ibi-

que papiliones extendit. Papiliones ſunt tentoria militum Regino 2. chronic. ad ann. 798. *Venit ad Regem legatus Aldefonſi Regis Galliciæ, & Aſturiæ nomine Frolo, Papilionem miræ magnitudinis præſentans* Eginart. in vit. Caroli. *Ad Imperatorem pervenerunt munera deferentes, id eſt papilionem & tentoria atrij miræ magnitudinis, & pulchritudinis.* Bernard. in Cantic. ſerm. 39 *ſed pro his vtuntur parvulo papilione conopeo, ad faciendam vmbram, & Flabello ad vitandum ventum.*

Et vſque ipſum lapideum campum qui adjacet vrbi Maſſilienſi. Campi lapidei in Provincia, Herculis prœlij memoriâ nobiles. Plin. libr. 3. cap. 4 vulgò *la Crau.*

Cumque vſque Siguſium vrbem perlati fuiſſent. Siguſium vel Seguſium, civitas Epiſcopalis in Alpibus Graijs. Patria Henrici Cardinals Hoſtienſis ut fatetur ipſe in cap. nonnulli §. cum autem de reſcript. & in cap. ad noſtram de reb. eccleſ. non alienand. vulgò *Sion.*

Et ſe patrocinio Lupi Ducis commendavit. Andarchus Lupo Duci ſe commendaſſe memoratur. Hac ætate minores ſe majoribus in vaſſos & fideles commendabant, id eſt ſe & ſua tradebant, tutelæ nanciſcundæ causâ. Aimoin. libr. 4. cap. 64. *Illuc & Taſſilo Dux Baioariorum, cum primoribus gentis ſuæ venit, & more Francico in manus Regis, in Vaſſaticum manibus ſuis ſemetipſum commendavit.* Nithard. libr. 3. ad ann. 842 *Bernardus Dux Septimaniæ quamquam à loco prædicti prælij* (Fontanetici) *plus minus leucas tres defuerit, neutri in hoc negotio ſupplementum fuit, victoriam autem vt Caroli eſſe didicit, filium ſuum VVillelmum ad illum direxit, & ſi honores quos idem in Burgundia habuit, eidem donare vellet, vt ſe illi commendaret præcepit* & infra *Bernardus quidem ad illum venit, ſed ut illi commendaret ſe, minimè acquievit.*

Loricam vt ferunt in libellari, quo chartæ abdi ſolitæ ſunt recondidit, & mox, *ampliùs quàm ſexdecim millia, in hoc libellari recondita tibi commendo.* Libellare eſt theca vel ſcrinium, in quo libelli ſeu chartę cuſtodię causâ deponuntur. Libellarium M. Tull. pro Milone, *Exhibe libellarium illud legum veſtrarum.*

At ille regreſſus ad Regem præceptionem ad judicem loci exhibuit, vt puellam hanc ſuo matrimonio ſociaret. Hac ætate ſole-

bant peti nuptię reſcripto Principis, quod vetitum erat de jure l. 1. & 2. C. ſi nupt. ex reſcript. petant. & rurſus vetuit conc. Aurelian. 4 can. 22. *Vt nullus per imperium poteſtatis filiam competere audeat alienam, nè conjugium quod contra parentum voluntatem piam copuletur, velut captivitas judicetur.*

Quia dedi arram in deſponſatione, ſponſalia contrahuntur arris datis, putà annulo, Gregor. infr. libr. 10. cap. 5. *De ſponſalibus quoque ait coram Pontifice clero vel ſenioribus pro nepte ſua Orphanula arras accepiſſe.*

Requirit hominem alium Vrſum nomine, quem ad altarium clam adductum jurare fecit ac dicere, per hunc locum ſanctum & reliquias Martyrum Beatorum. Jusjurandum præſtari ſolebat ante altare, vel tactâ pallâ ſeu pallio altaris. Gregorius infr. libr. 5. cap. 14. *qui ambienter jurans pallam altaris fidejuſſorem dedit, numquam ſe exinde ſine juſſione regiâ egreſſurum*, vel poſita manu ſuper altare Gregor. infr. libr. 5. cap. 3. *Tandem converſus ad Sacerdotem, poſuit manus ſuas ſuper altare cum juramento dicens*, &c. Jusjurandum majoris religionis cauſa fiebat ſuper reliquijs Sanctorum Gregor. libr. 5. cap. 47. *Multum ſe nobis humilem ſubditumque reddebat, jurans ſæpiùs ſuper ſepulchrum ſancti Antiſtitis, numquam ſe contra rationis ordinem eſſe venturum.* Quandoque etiam jusjurandum ſolebat iterari per diverſas ſacras ædes ſeu loca ſancta. Gregor. infr. libr. 7. cap. 36. *At ego datis ei multis muneribus, per duodecim loca ſancta ab eo ſuſcipio Sacramenta, vt ſecurus in hoc regnum accederem.* Interdum etiam jusjurandum fiebat, contra eccleſiam, id eſt ante limen eccleſiæ. Gregorius libr. 8. cap. 16. *Ecce templum ſanctum è contra jura vt libet, nam calcare limen ſacrum non permitteris.*

Factoque ex hoc juramento, breve Sacramentorum Regi illi protulit. Brevè Sacramenti, eſt formula Sacramenti, ſecundum quam juratur, quia jusjurandum ſolet concipi certis verbis ſolemnibus. Jurare oportet ut delatum eſt jusjurandum l. 3. §. ult. l. 4. & 5. ff. de jurejur.

Vrſus autem ſe in Velavum territorium contulit. Velavum territorium, eſt idem quod Velaunum, cujus caput eſt Anicium. Gregor. infr. libr. 10. cap. 24. *Ingreſſus autem Velaunæ vrbis*

termimum ad locum quem Anicium vocitant accedit, idem oppidum vocatur Podium in Velaunis *le Puy en Vellay.*

Ingreſſuſque vnam Vrſi domum, cœnam ſibi præcepit præparari atque aquas quibus ablueretur caleſieri jubet Franci ante cœnam balneo calidæ aquæ utebantur. Gregor. infr. libr. 5. cap. 26. *Exurgentes igitur abluti balneis, ad conviuium diſcumbebant.* Balneorum uſu ſacris tantum virginibus fuit interdictum Gregor. infr. lib. 10. c. 15. Etiam Epiſcopi & Clerici uſi balneo, idem de vit. Patr. cap. 6. in Gallo Epiſcopo. *Ingreſſiſque vtriſque in balneum dolorem lateris, quem ab impulſu ſuperbiæ ejus Clerici incurrerat clementer improperat.*

Sed cum ſervi domus, minimè rudi domino parerent, apud Latinos rudis accipitur pro imperito, & expertè rerum agendarum. M. Tull. 3. de orator. *Cùm plurimum in faciendo interſit, inter doctum & rudem.* Barbaris verò pro aſpero & moribus fero, ut hic vel pro ruſtico. Gregor. libr. 3. cap. 15. *Sciſcitatur autem emptor à rudi famulo quid operis ſciret.*

Acceptiſque clavibus, metas annonæ quæ aderat elidit, ac circa domum adgregat acervos annonæ, quæ tunc in manipulis erat. Meta eſt acervus, ſeu cumulus annonæ ſeu ſegetis, quæ eſt in manipulis vulgò *Plongeon.* Hincmarus in vita S. Remigij apud Surium 13. Jan. *De annona quæ in villis Epiſcopi nata fuerat, vel quam ab alijs comparauerat, acervos quos metas dicimus fecit.* Flodoard. libr. 1. cap. 17. *Cœperunt inter ſe dicere quid ille jubileus facere vellet, de his quas aggregaverat metis.* Aimoin. Floriacenſ. de mirac. S. Benedict. lib. 2. cap. 1. *Acervus quoque frugum quem metam vulgò dicimus, qui tantùm ponte, novem vix paſſibus in longum dilatato, ab ipſo diſtabat oratorio, voraces evaſit ignium flammas.* Guibert. Hiſt. Hieroſolym. libr. 2. cap. 8. *Cùm enim plurimorum annorum ſegetes triticeas, vt in ea terra moris eſt, in modum turrium per agros ſtabilitas cernerent, quas nos metas vulgariter notare ſolemus.* Acervus fœni meta etiam dicitur. Plin. libr. 18. cap. 28. *Lectum verti ad ſolem nec niſi ſiccum conſtrui oportet, niſi fuerit hoc obſervatum diligenter, exhalare matutino nebulam quandam, metaſque mox ſole accendi, & conflagrare certum eſt.* Unde acervo frugum metæ nomen, nimirùm ex eo ut facilè conjicio, quod in metæ, id eſt lapidis

finalis modum aſſurgat. Curtius libr. 8. cap. 11. *Petra non ut pleræque modicis ac mollibus clivis in ſublime faſtigium creſcit, ſed in metæ maximè modum erecta eſt, cujus ima ſpatioſiora ſunt, altiora in arctiùs coeunt, ſumma in acutum cacumen exurgunt.* Ait metas elidit, id eſt diſſolvit disjecit, Gregor. infr. libr. 5. cap. 3. *Abſceſſit ad domum ſuam, & ſtatim juſſit elidere arborem,* idem eod. libr. cap. 35. *Domos illas quas malè pervaſerat, ſpoliat, elidit.* Metę erant ſub dio fortè ſeptis ſeu macerijs clave concluſę ob id Gregorius ait *acceptis clavibus metas eliſas.* Domus etiam tutelę & ſecuritatis cauſa ſeptis concluſæ Serenus Sammonic. de Medicin. *Nec non eſſe juvant ſeptis inventa domorum.*

Cap. 42. *Quem fugientem cum tubis & buccinis, quaſi labentem cervum fugans inſequebatur.* Sigulfus Clodoveum Chilperici filium fugientem, tubis & buccinis quaſi labentem ſervum perſequitur, ait tubis & buccinis. Tubæ & buccinæ par eſt uſus in bello, nimirùm ſigni dandi cauſa, alia eſt tamen tuba à buccina, tuba ſcilicet eſt recta, buccina eſt in ſemet flexa & incurvata. Ovid. Metamorph libr. 1.

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Ait labentem cervum id eſt fuga elabentem, fuga lapſum dixit Gregor. infr. libr. 5. cap. 5. *nocte per fugam lapſus, ad Sigiberti regnum tranſiýt*, ſic lapſus eſt ſinus amnis in quem piſces coïre ſolent quaſi lapſi Gregor. de vit. Patr. cap. 17. *Dixeruntque ei lapſus veſter in quem piſces decidere ſolent, prorſus deſertus habetur* & infra. *Commoti tandem abierunt ad lapſum, & aſpicientes invenerunt eum refertum piſcibus.* Idem de glor. Confeſſ. cap. 5. *Surrexitque è lectulo, invenitque immanem piſcem in lapſum ſuum, quem ubi juſſus fuit exhibuit*, niſi malis legere capſus, *un reſervoir.*

Cùm autem contentio inter Guntchramnum & Sigibertum Reges verteretur, Guntchramnus apud Pariſius omnes Epiſcopos regni ſui congregat, ut inter utroſque quid veritas haberet ediceret. Concilium Epiſcoporum Galliæ congregatur, ut judicio Epiſcoporum lis inter Reges componeretur.

Commoto autem exercitu Lemovicinum Cadurcinum vel reliquas illorum Provincias pervadit vaſtat evertit, Eccleſias incendit

dit miniſteria detrahit Miniſteria ſunt vaſa eccleſiaſtica. Gregor. infr. lib. 6. cap. 11. *Domus Eccleſiæ apprehendunt, miniſteria deſcribunt, regiſteria reſerant*, miniſterium quotidianum putà calix patena Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 22. *Miniſterium quotidianum, id eſt patenulam parvam cum calice.*

Quid de Lata monaſterio referam in quo Beati Martini habentur reliquiæ, Monaſterium S. Martini de Lata fuiſſe in Aquitania non levis conjectura eſt ex eo quod refertur monaſterium illud everſum una cum alijs eccleſijs Lemovicum, Cadurcorum, & aliorum pagorum Aquitaniæ.

Vbi Segonam fluvium tranſmearet. Segona, vel Sagona fluvius, eſt Arar, qui Rhodano miſcetur apud Lugdunum. Ammian. lib. 25. in fin. *Et emenſus ſpatio flexuoſo Ararim quem Sauconam appellant.* Sagona dictus quaſi Sangona quod ſanguine martyrum Lugdunenſium rubuiſſe feratur. Fredegar. cap. 90. *Evecto navali per Ararim fluvium qui cognominatur Saugona* idem cap. 41. *Clotarius paulatim vt poſt tergum cum exercitu ſequens, vſque Ararim Sagauñam fluvium pervenit.*

Niſi me permiſeris per tuam ſortem hunc fluvium tranſire. Eâ tempeſtate regnum dividebatur inter liberos Regis unde partes quæ cuique obtingebant dicebantur ſortes. Gregor. infr. libr. 5. cap. 3. *Godinus autem qui de ſorte Sigiberti ſe ad Chilpericum tranſtulerat.* Idem eod. libr. cap. 48. *Poſt obitum verò Chariberti, cùm in Sigiberti ſortem civitas illa veniſſet.*

Et uſque ad Analocium Carnotenſem vicum obijt. Analocium vicus Carnotenſis.

Tunc ab Arnulfo quodam collectus, ablutuſque, ac dignis veſtibus eſt indutus, & ad Ecoliſmenſem civitatem ſepultus. Reges & Principes veſtiti ſepulti. Idem Gregor. infr. hoc lib. cap. 46. *Tunc egreſſus à Tornaco cum vxore & filijs, eum veſtitum apud Lambros vicum ſepelivit.* Idem de vit. Patr. cap. 14. de Martio Abbate. *Dehinc cum ſummo honore ablutus, digniſque veſtimentis indutus, intra oratorium Monaſterij eſt ſepultus.* Idem cap. 6. ejuſd. libr. de Gallo Epiſcopo Arvernenſi. *Exin ablutus atque veſtitus in Eccleſiam defertur.* Idem eod. libr. cap. 20 *Sicque concurrentibus reliquis fratribus ablutus, ac veſtimentis dignis indutus, in ſepulchro reconditus eſt.*

Tunc duo pueri cum cultris validis quos vulgus Scramaſaxos vocant, cultri Scramaſaxi , ſunt breves gladioli à Saxonico ſax vel ſachs de quo Voſſ. de vit. Latin. ſermon. lib. 2. cap. 17. Falcet. de milit. Gallic. lib. 2. cap. 5.

Competitor rerum alienarum,teſtamentorumque effractor. Competitor rerum alienarum eſt, prædo ſeu invaſor rerum alienarum. Competere eſt rem alienam occupare. Gregor. infr. libr. 8. cap. 18. *Gundovaldus autem Comitatum Meldenſum ſuper VVerpinum competijt , ingreſſuſque vrbem cauſarum actionem agere cœpit*, idem de glor. Confeſſ. cap. 71. *tempore igitur quodam cum Franco Epiſcopus hujus municipij Eccleſiam gubernaret, Childericus qui tunc primus apud Sigebertum Regem habebatur. villam ejus competit dicens, quia injuſtè ab Aquenſi Eccleſia retineretur.*

AD LIBR. V.

IN *promptuarijs vinum, triticum, oleumque redundat.* Promptuarium eſt cella unde neceſſaria victui promuntur, penum vocant Latini. Hoc diſtat promptuarium à Cellario quod Cellarium eſt paucorum dierum, promptuariũ verò longi temporis. Servius in illum verſ. 1. Æneid. *Quibus ordine longo cura penum ſtruere. Inter penum & cellarium hoc intereſt, quod cellarium eſt paucorum dierum, penus verò temporis longi.* Tamen promptuarium etiam pro cella proma vel cellario accipitur. Gregorius infr. lib. 6. cap. 11. *Miniſteria deſcribunt, regeſteria reſerant, promptuaria expoliant.* Idem libr. 7. cap. 37. *Cujus apothecis ac promptuarijs, urbs valdè referta erat.* Idem de glor. Confeſſ. cap. 20. *Concepit enim animus, ut cellulam valdè elegantem, quam ſanctus Eufronius ad uſum promptuarij habuerat, ad opus orationis fideliter dedicarem.* Et idem de Mirac. Martyr. libr. 2. cap. 35. *Nam ingreſſus promptuarium clericus reperit cupellam quam penè mediam reliquerat, per ſuperiorem aditum redundare.* Promptuarium vocat quod paulo ante vocavit cellarium baſilicæ. Idem de mirac. B. Martin. lib. 2. cap. 16. *Denique dies erat Epiphaniorum, & ingreſſus in promptuario nihil inveni, quod haurire potuerim.* Promptuarium pro cellario vinario ſumpſit Gregorius infr. hoc libr. *Numquid non exundabant promptuaria vino.* Cap. 1.

Hæc audiens Chilpericus ſcilicet quod contra fas legemque canonicam uxorē patrui accepiſſet, valdè amarus, dicto citius ad ſupra Cap. 2.

memoratum oppidum dirigit. Meroveus Chilperici filius inſcio patre uxorem duxit Brunichildem Sigeberti patrui viduam, de quo offenſo patre, Meroveus invitus tonſus in clericum, & Prætextatus Rotomagenſis Epiſcopus nuptiarum myſtes in Concilio Epiſcoporum apud Pariſios coacto depoſitus de quo Gregor. infr. h. lib. cap. 18. Aimoin. libr. 3. cap. 21. Ad necem uſque in Chramnum filium ſævijt Clotharius, quod ſe inconſulto uxorem duxiſſet Caltem Vvillecarij Aquitanorum Ducis filiam, de quo Gregor. ſupr. libr. 4. cap. 20. & Aimoin. libr. 3. cap. 20. *Rex propter conjugationem Brunichildis ſuſpectum habere cœpit Meroveum filium ſuum.* Conjugatio pro conjugio, ſeu matrimonio, ut vitium conjugatio. M. Tullio in Catone.

Nam ſi ante eum vt adſolet convivio utentem, puer cereum tenuiſſet. Pueri id eſt ſervi adſtare ſoliti Dominis cœnantibus. Senec. epiſt. 47. *Superbiſſima conſuetudo cænantem dominum ſtantium ſervorum turba circumdedit.* Ammian. libr. 23. *nec miniſtranti apud eos famulo, menſæque adſtanti, hiſcere, vel loqui licet, vel ſpuere.*

Ad baſilicam ſancti Martini quæ ſuper muros civitatis igneis tabulis fabricata eſt, confugium faciunt. Baſilica S. Martini fuit apud Rothomagum ligneis tabulis conſtructa, pro ſimplicitate ſeculi, etiam majorum ædes ligneis tabulis ſtructas memorat. Gregorius ſupr. libr. 4. cap. 41. *Oſtia domus quæ erat ex ligneis fabricata tabulis claudit.* Confugium pro fuga. Gregor. ſupr. libr. 3. cap. 36 *Ille verò in periculo poſitum ſe cernens confugium ab urbe facit.* Fredegar. cap. 83. *Ermenfridus Remis ad baſilicam ſancti Remedij fecit confugium.*

Conjuncti pariter Eccleſiam petierunt, id eſt ſervus & ancilla Rauchingi ut nuptijs conjungerentur, ſimul Eccleſiam petierunt.

Cap. 5. *Accedit ad Sacerdotem loci, rogat ſibi reddi protinus ſuos famulos excuſatos.* Epiſcopus apud Rauchingum intercedit pro duobus famulis qui ad Eccleſiam confugerunt propter nuptias inter ſe contractas inſcio domino, non retinuit ſervos, ſed eos excuſatos reſtituit domino & hoc eſt quod ait Gregorius infr.

Credidit Sacerdos ille ſimpliciter, promiſsioni hominis callidi, reddiditque homines excuſatos, ita Paulus interceſſit pro Oneſimo ſervo fugitivo apud Philemonem, de quo Hieronym. in epiſt ad eund. *Iuſtè Apoſtolus pro Oneſimo ſe opponit, & ſpondet quæ ille debebat.*

Siggo quoque Referendarius, qui annulum Regis Sigeberti tenuerat. ejuſdem meminit Gregor. de mirac. D. Martin. lib. 3. c. 17. *Igitur Sigo Referendarius quondam Sigeberti ad occurſum noſtrum accedit, oſculatumque juxta me ſedere depoſtulo.* Referendarius erat cuſtos annuli ſeu ſigilli regij, ejus officium erat chartas regias annulo regio obſignare, eiſque ſubſcribere. Hinc cum Egidius Remenſis Epiſcopus non proferret chartas regias donationis factæ quorumdam prædiorum, Childebertus negavit ſe ſubſcripſiſſe Gregor. infr. libr. 10. cap. 19. *Villas verò quas memoras, per iſtius Regis chartas emerui, tunc proferente eaſdem in publico, negat Rex ſe largitum fuiſſe, requiſituſque Otho qui tunc Referendarius fuerat, cujus ibi ſubſcriptio meditata tenebatur adſuit, negat ſe ſubſcripſiſſe.* Et Aimoin. libr. 4. cap. 41. *E quibus Beatus Audoënus Referendarius ideo eſt dictus, quod ad eum vniuerſæ publicæ deferrentur conſcriptiones, ipſeque eas annulo Regis, ſive ab eo Sigillo ſibi commiſſo muniret ſeu firmaret.* E Referendarij munere fuit gradus ad Epiſcopatum Gregorius infr. libr. 5. cap. 45. *Agræcula Cabillonenſis Epiſcopus obijt Epiſcopatus anno quadrageſimo octavo, ævi autem octogeſimo tertio, cui Flavius Referendarius Guntranni Regis ſucceſsit.* Idem libr. 9. cap. 23. *Charimerem enim Referendariū, cum conſenſu civium Regalis decrevit auctoritas fieri Sacerdotem* (id eſt Epiſcopum Virdunenſem) *Bucciovaldo Abbate poſtpoſito.* Vrſicinus è Referendario Ultrogothæ Reginæ factus eſt Epiſcopus Cadurcenſis, à Maurilio Epiſcopus deſignatus Gregor. infr. h. libr. cap. 43. *ſed cum Epiſcopatum ejus multi expeterent, ipſe Vrſicinum, qui quondam Referendarius Vltrogothæ Reginæ fuerat elegit.* Etiam Reginæ ſuos Referendarios habuére ut loco proximè laudato Vrſicinus fuit Referendarius Ultrogothæ Reginæ, & Eobolenus Referendarius Fredegundis memoratur. Gregorius infr.

Charimeris fuit Referendarius Childeberti junioris. Greg. de glor. Cōfeſſ. c. 95. *Hac audiens Charimeris, qui nūc Referēdarius Hildebert, Regis habetur.*

ad cælos poſt redemptionem hominum aſcendit glorioſus, cum Sacerdos de Eccleſia ad baſilicam pſallendo procederet, & idem de Mirac. B. Martin. libr. 1. cap. 25. *Nam cum in venerabili Dominicæ nativitatis nocte ſacroſanctis deducta excubijs procedentes de Eccleſia ad Baſilicam ſancti ire diſponeremus.* Aliàs baſilica eſt Eccleſia nondum conſecrata, ante conſecrationem non dicitur Eccleſia, ſed baſilica. Gelaſ. in epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ cap. 6. *Baſilicas noviter inſtitutas, non petitis ex more præceptionibus, dedicare non audeant Epiſcopi.* can. baſilicas de conſecr. diſt. 1. Paulin. epiſt. 11. ad Severum. *Teſtis autem Dominus, quod ſi vel ſcypulum ſacri cineris habuiſſemus, ſupra quam nobis ad baſilicam, quæ proximè in nomine domini conſummabitur, dedicandam neceſſarium erat, miſiſſemus vnanimitati tuæ.* Et baſilicam ſemper ab Eccleſia diſtinguit Gregorius infr. h. libr. cap. 16. *Poſt hæc Chilpericus de pauperibus & junioribus Eccleſiæ vel baſilicæ bannos juſsit exigi, pro eo quod in exercitum non ambulaſſent.*

Hic poſt crucem præcedentibus ſignis, equo ſuperpoſitus ferebatur, proceſſiones & litæ ſolemnes fiebant cum crucibus, & ſignis quæ ſunt vexilla ſeu baneria. Gregorius infr. libr. 10 cap. 9. *Ebracharius verò vſque Venetias vrbem acceſsit, miſerat enim ad eum obviam Epiſcopus Regalis clericos ſuos cum crucibus & pſallentio, qui eos vſque ad vrbem deduxerunt.* Ekkeard. junior de caſib. monaſt. S. Galli cap. 6. *Letania major dominicam incidit, fratribus cruces alias ſequentibus.* Guillelm. Brito Philippid. libr. 11.

Aſt Regi ſatis eſt tenues criſpare per auras
Vexillum ſimplex cendato ſimplice textum
Splendoris rubei, Lethania qualiter vti
Eccleſiana ſolet certis ex more diebus

Proceſſionum ſolemnem uſum cum crucibus & cereis ardentibus laudat Gregorius de glor. confeſſ. cap. 20. *Regreſſique ad baſilicam ſanctas ejus reliquias, cum Saturnini, Iulianique Martyrum, vel etiam Beati Illidij exinde ſolemniter radiantibus cereis, crucibuſque admovimus.* idem eod. libr. cap. 29 *Adſumptâ igitur pallâ de Beati ſepulchro componunt in modum feretri, accenſiſque ſuper cruces cereis atque ceroferalibus dant voces in can-*

ticis, circumeunt vrbem cum vicis. Idem de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 44. *Manè autem facto Sacerdos admonitis civibus, crucibus, & cereis ad occurſum ſanctarum reliquiarum devotiſsimus properat.* idem infr. libr. 9. cap. 40. *qui cum clericis ſuis Pictavum accedens, cum grandi pſallentio, & cereorum micantium ac thymiamatis adparatu ſancta pignera abſente loci Epiſcopo in monaſterium detulit.* de quo plura diſſertat libr. 5. cap. 3.

Diſpoſitis verò actionibus quibus in Calendis Martijs cives Pictavos vel adſligeret, vel damnaret, pridie animam reddidit. Roccolenus diſpoſitis actionibus, id eſt indicto juridico conventu apud Pictavos Calendis Martijs, pridiè è vivis exceſſit. Conventus juridici quos vocant *aſsiſes* certo die & loco indicebantur à Comitibus qui præerant juri dicundo, & ipſi de cauſarum actionibus, id eſt de litibus cognoſcebant Gregorius infr. lib. 8. cap. 18. *Gondovaldus autem Comitatum Meldenſem ſuper Vverpinum competijt, ingreſſuſque vrbem cauſarum actionem agere cœpit.* Placitum à Comitibus indicebatur certo die ut partes adeſſent judicio Conc. Triburienſ. can. 9. *Si Epiſcopus Eccleſiaſticum, & Comes ſeculare placitum eadem die condixerint, placitum Comitis poſtponatur.* Reges etiam ſolebant denuntiare diem adventus apud quamque urbem. Auctor vitæ Ludovici Pij. *Conſtituto tempore id eſt Kalendis ad Compendium venit.* Iuridici conventus indici ſoliti Calendis Martijs, quia annus incipiebat à menſe Martio gloſſa in can. ordinationes 76. diſt. Eandem ob cauſam indictiones vectigalium fiebant menſe Martio, unde occaſio tumultus popularis eodem tempore. Gregor. in hoc libr. cap. 18. *Lemovicinus quoque populus, cum ſe cerneret tali faſce gravari, congregatus in Kalendis Martijs Marcum Referendarium, qui hæc agere juſſus fuerat interficere voluit,* unde menſis Martius dictus eſt menſis primus. Tertull. adverſ. Pſychicos cap. 14. *Cur Paſcha celebramus annuo circulo in menſe primo.*

O ſi te habuiſſet Maſsilia Sacerdotem numquam naves oleum aut reliquas ſpecies detuliſſent, niſi tantùm chartam, quo majorem opportunitatem ſcribendi ad bonos infamandos haberes. Hæc ſunt verba Epiſtolæ Gregorij, quâ reſpondit epiſtolæ Felicis Nan-

Nannetenſis Epiſcopi calumniantis fratrem ejus, is erat Petrus Diaconus Lingonenſis, quod cupidine Epiſcopatus, Epiſcopum necaſſet. Inter alias merces ex Ægypto charta ſeu papyrus advehi ſolebat Hieronym. ad Chromat. *chartam defuiſſe non puto Ægypto miniſtrante commercia* & ante M.Tull. pro Rabirio Poſthum. *Ductæ naves Poſtumi Puteolis ſunt auditæ viſæque merces, fallaces quidem & fucoſæ chartis & linteis, & vitro delatæ.* Vnde olim magnum Romæ vectigal conſtitutum Vopiſcus in Aureliano. *Vectigal ex Ægypto urbi Romæ Aurelianus vitri, chartæ lini ſtupæ, atque anabolicas ſpecies æternas conſtituit.* Inde quaſi ludendo Gregorius ait ſi Felix fuiſſet Maſſilienſis Epiſcopus, futurum ut naves Maſſilienſes non alias ſpecies adveherent, quàm chartam, quâ majorem adverſus bonos ſcribendi copiam haberet. Felicis Nannetenſis Epiſcopi cum laude meminit Fortunat. libr. 2. carm. 4. ejuſdem quaſi amici meminit Gregorius de glor. Confeſſ. cap. 78.

Interea Beatus Tetricus à ſanguine ſauciatur. Tetricus Lingonenſis Epiſcopus ſauciatus à ſanguine, id eſt percuſſus apoplexi, quæ contrahitur ex effuſione ſanguinis. Oroſius libr. 7. cap. 32. *Valentinianus cum Sarmatæ ſeſe per Pannonias diffudiſſent, eaſque vaſtarent, bellum in eos parans, apud Brigitionem oppidum, ſubitâ effuſione ſanguinis, quod Græcè ἀπόπληξις vocatur, ſuffocatus & mortuus eſt.* Eadem locutione uſus eſt Gregorius infr. libr. 6. cap. 22. *Poſt duos verò menſes Nonnichius Comes, qui hoc ſcandalum ſeminaverat, ſanguine percuſſus interijt.* Idem eod. lib. cap. 35. de Mummolo. *In via verò ictuatus ſanguine, vix accedere, quo juſſus eſt valuit,* &c. idem de glor. Confeſſ. cap. 79. *Nam ſauciatus à ſanguine diruit in terram, obligatur lingua, quæ locuta fuerat campum tolli, clauduntur oculi qui concupiebant, manus contrahuntur, quæ adprehenderant.* Quæ omnia ſunt ſigna apoplexeos, & argumenta probandæ interpretationis noſtræ. Hinc tumulentus ſaucius dicitur, quaſi vino ſaucius. Juſtin. libr. 1. cap. 8. *Cyrus reverſus per noctem ſaucios opprimit.* Apuleius libr. 7. *ſaucijs illis, & crapula vinolentiaque madidis.* Martial. libr. 3. epigr. 68. *Quid dicat neſcit ſaucia Terpſichore.*

Cui cum nulla Medicorum fomenta valerent, conturbati Cleri-

ci, & à Paſtore vt pote deſtituti, Mondericum expetunt, qui à Rege indultus, ac tonſoratus Epiſcopus ordinatur, ſub ea ſpecie vt dum Beatus Tetricus viveret, hic Ternodorenſe caſtrum vt Archipresbyter regeret, atque in eo commoraretur, migrante verò deceſſore iſte ſuccederet. Tetrico Lingonenſi Epiſcopo valetudine affecto Mondericus petente Clero ſucceſſor deſignatur, ita ut dum Tetricus viveret, Ternodorenſe caſtrum ut Archipresbyter regeret, & ibi ſedem haberet, nè in una & eadem Eccleſia duo viderentur Epiſcopi. Pari de cauſâ Maurilius Cadurcenſis Epiſcopus, adjutorem & ſucceſſorem ſibi deſignavit Vrſicinum, & Domnolus Cenomanenſis Theodulfum quem habuit ſucceſſorem Gregor. infr. h. libr. cap. 42. & libr. 6. cap. 9. de quo plura diſſert jur. Canonic. libr. 1. cap. 3. Ternodorenſe caſtrum in Burgundia Comitatus nomine inſigne *Tonerre*, de quo Adrevaldus de mirac. B. Benedict. libr. 1. cap. 32. *Caſtrum quoddam in Burgundiæ partibus in latere montis ſupra fluvium Hermentionem vocabulo ſitum adjacenti regioni nomen indidit, namque à Tornodoro vicina regione Tornodorenſis dicitur.* Ejuſdem caſtri meminit Gregorius de glor. Confeſſ. cap. 11 *Intra terminum autem Tornodorenſis caſtri, Lingonicæ civitatis erat Presbyter.* Idem eod. libr. cap. 87. *Fuit in Tornodorenſi pago in Parochiâ Lingonicenſi vir ſanctitate præcipuus Ioannes Abbas.* Fomenta ſunt medicamenta, vel alia ſolatia quæ ægris adhibentur Q. Curt. libr. 3. cap. 6. *Ille fomenta corpori admovit, ille torpentem nunc cibi, nunc vini odore excitavit.* Tacit. 1. Annal. *Militaribus animis adhibenda fomenta, vt ferre pacem velint.* Auſon. in Panegyr. Gratian. *Ægrotantes amicos Trajanus viſere ſolebat, tu & viſere ſolitus, & mederi, præbes miniſtros, inſtruis cibos, fomenta diſpenſas.* & Gregor. ipſe de Mirac D. Martin. lib. 3. c. 56. *Ex hoc nullius medici ſe credens fomento poſſe ſanari*, & Beda lib. 4. c. 32. *Curabant Medici hunc appoſitis pigmentis emollire, nec valebant.* Auguſtin. de civit. Dei libr. 22. cap. 8. *Aut vt aliquando homo quietius vivat, fomentis eſt pellis mitiganda frequentibus.* Idem de mirabil. ſacr. ſcriptur. libr. 2. cap. 31. *Etenim ſi in oleo vel in quocumque fomento incendatur*, fomenta ſunt aqua, vinum, oleum. Idem de Geneſi libr. 1. cap. 18. *Non ſicut foventur tumores aut*

vulnera in corpore, aquis vel frigidis, vel calore congruo temperatis. Oleum lucernæ lychni fomenta dixit. Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 15. *In hoc oratorium, vna puellarum, cui officium erat lychni fomenta componere.* Idem lib. 4. cap. 33. *quæ eſt in igne deitas, qui fomentis accenditur.*

Et apud Ariſitenſem vicum, Epiſcopus inſtituitur, habens ſub ſe plus minus Diœceſes quindecim, quas primum Gothi quidam, nunc verò Dalmatius Ruthenenſis Epiſcopus vendicabat. Ariſitenſis Epiſcopatus ante hæc tempora delibatus eſt è Ruthenenſi Epiſcopatu, non plures quàm decem & quinque Diœceſes, id eſt parochias complectens, quas Gothi quidam Epiſcoporum nomine tenuerant, id eſt Septimani, qui eâ tempeſtate Gothorum nomine cenſebantur, Mundericus amiſſa ſpe obtinendi Lingonenſis Epiſcopatus ob contractam offenſam Chilperici Regis, tranſijt in regnum Sigeberti Regis, & Ariſitenſis Epiſcopus inſtitutus, reclamante Dalmatio Ruthenenſi Epiſcopo, & parochias è ſua ſede deciſas vindicante. Nec poſt Mondericum deſiére Epiſcopi Ariſitenſes, anno enim Dom. DCXXX. Conc. Rhemenſi interfuit Emo Ariſitenſis Epiſcopus & ſubſcripſit una cum Sulpitio Bituricenſi & Vero Ruthenenſi auctore Flodoardo Hiſt. Rhem. libr. 2. cap. 5.

Interea tranſeunte Beato Tetrico, hic tonſo capite Presbyter ordinatur, accepta omni poteſtate de rebus Eccleſiæ, qui verò vt benedictionem Epiſcopalem Lugduni accipiat, iter parat. Demortuo Tetrico Lingonenſi Epiſcopo, relicto Munderico qui jam ſuperſtiti ſucceſſor deſignatus erat, Sylveſter lectus Epiſcopus, & Presbyter ordinatus, jam potitus rebus temporalibus Eccleſiæ, dum iter inſtrueret ut à Nicetio Lugdunenſi Epiſcopo benedictionem, id eſt conſecrationis ſeu ordinationis munus acciperet, Lingonum enim civitas ſubeſt Metropoli Lugdunenſi, Epilepſi correptus interijt.

Anno octavo Epiſcopatus ſui dum Diœceſes ac villas Eccleſiæ circumiret, luſtratio ſeu viſitatio Diœceſis proprium officium Epiſcopi Gregor. de glor. confeſſ. cap. 59 de Troiano Santonenſi Epiſcopo. *Hic fertur dum eſſet in corpore ſi novum vt adſolet amphimalum induiſſet, cum quo proceſſurus Diœceſim circumiret.* Idem eod. libr. cap. 106. *Ecce frater noſter Maroveus hu-*

V 2

jus vrbis Epiſcopus non eſt coram, eo quod illum cauſa viſendarum Parochiarum elongaverit. Sulpit. Sever. epiſt. 1. ad Euſeb. de Martino Turonenſi E. *Cum ad Diœceſim quamdam pro ſolemni conſuetudine ſicut Epiſcopis viſitare Eccleſias ſuas moris eſt, media ferè hyeme Martinus veniſſet.*

Et hæc dicens virgam quam habebat in manu, pectori ejus cum ictu valido impulit. Tetricus Lingonenſis Epiſcopus Pappulo ſucceſſori apparuit, & quaſi indignum ſede epiſcopali juſſum cedere, virga quam habebat in manu percuſſit. Virga paſtoralis inſigne Epiſcoporum. Gregorius de vit. Patr. cap. 7. *Nam illo abſente multi de virga, quam in manu ferre ſolitus erat* (Gregorius Lingonenſis Epiſcopus) *ſuſpenſos, atque ſignatos energumenos expellebant.* Idem de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 79. de Leone Agathenſi Epiſcopo. *Mane autem facto accedit ad lychnos, qui de Camera Eccleſiæ dependebant, extendenſque virgam, quam tenebat in manu effregit, cunctos dicens,* &c. Hinc inveſtitura Epiſcopũ à Rege vel Imp. fieri ſolita per virgam & annulum Ivo Carnotenſ. ep. 8. *Sed cum Clericorum primo ingenio, poſteà violentia Regi fuiſſem præſentatus, & inde cum virgâ paſtorali à Rege mihi intruſâ, ad Eccleſiam Carnotenſem adductus.*

In quo ille evigilans dum cogitans quid hoc eſſet, fictâ in loco illo defigitur, ac dolore maximo cruciatus. Ficta eſt dolor ſubitaneus, quaſi clavus infixus eſſet. Gregor. de Mirac. D. Martin. libr. 3. cap. 10. de matre. *Tempore quo tranſactis parturitionis doloribus me edidit, dolorem in vno tibiæ muſculo incurrit. Erat autem ſubitaneus tamquam clavus affigens atque ita fictam graviſſimam dabat, vt plerumque eclypſim generaret.* Eadem analogia dolor lateris quem Græci πλευρῖτιν, telum vocatur, quia eſt morbus valdè acutus, qui latus ferit velut telum. Seren. Samonic. de Medicin. *Eſt & vis morbi quod telum commemoratur quum ſubito dolor inſanus fuerit incitus ictu.* Iſidor. orig. libr. 4. cap 6. *telum lateris dolor, dictum autem ita eſt à Medicis, quod dolore corpus tranſverberet quaſi gladius.*

Leonaſtes Biturigus Archidiaconus decidentibus cataractis, lumine caruit oculorum, cataracta eſt ſuffuſio oculorum à Græco καταῤῥάκτω defluo Gregorius de mirac. B. Martin. libr. 2. cap. 19. *Theodomeris Diaconus cum præ humore capitis, decidentibus ca-*

taractis oculorum, aditus haberet, per quatuor annos graviter obſeratos. Idem de vit. Patr. cap. 19. *Tunc commota Dei famula luminibus ſepultis, manus impoſuit, ſtatimque reſeratis cataractis mundum latè patentem, quæ fuerat cæca proſpexit.*

Regreſſus quoque domum vocato quodam Iudæo ventoſas quarum beneficio oculis lumen augeret, humeris ſuperponit. Veteres in Gallia Judæis medicis uſi ſunt, uti Romani Græcis. Gregor. infr. hoc ipſo cap. *Nam perſtitiſſet hic in ſanitate, ſi Iudæum, non induxiſſet ſuper divinam virtutem.* Veneno perijt Carolus Calvus, à Sedechia Judæo medico ſuo ſibi propinato. Aimoin. lib. 5. cap. 35. *Carolus autem Imperator febre correptus pulverem bibit, quem ſibi nimirum dilectus ac creditus medicus ſuus Iudæus, nomine Sedechias tranſmiſit, vt ea potione à febre liberaretur.*, &c. ventoſæ ſunt cucurbitulæ vitreæ ad hauriendum ſanguinem è ſcapulis. Gregor. infr. h. lib. cap. 35. *quia miſſæ in ſcapulis ſive cruribus, ventoſæ procedentibus, emergentibuſque veſicis decursâ ſanie multi liberabantur.*

Nam Benedictus Senoch Presbyter, qui apud Turones morabatur, Cap. 5.
ſic migravit à ſeculo, ejus vitam ſcripſit Gregor. de vit. Patr. c. 15.

Nam carcerarijs adclamantibus, corpus in platea adgravatum eſt, ſolutiſque eiſdem, rurſus ſine labore levatur. Vincti miraculo Cap. 8. ſoluti in funere Germani Pariſienſis Epiſcopi, idem evenit in funere Gregorij Lingonenſis Epiſcopi, Gregor. de vit. Patr. cap. 7. & in tranſitu reliquiarum B. Martini. Gregor. de mirac. B. Martin. libr. 3. cap. 47.

Ipſi quoque qui ſoluti fuerant, in obſequium funeris uſque ad baſilicam, in quâ ſepultus eſt liberi pervenerunt, miraculo ſoluti è vinculis in funere Germani, in gratiam acceptæ libertatis, proſecuti ſunt funus defuncti. Exemplo libertorum, qui domini funus pileati præcedebant l. unic. §. ſed & qui domini C. de Latin. libertat. tollend. Obſequium funeris eſt officium ſeu ſolemnitas funeris. Gregor. ſupr. libr. 2. cap. 13. *Manè facto proceſſio ſolemnitatis, funeris ejus obſequium fuit.* Idem de miracul. Martyr. libr. 1. cap. 76. *Cucurrit mater orbata ad obſequium funeris plangens, ſepelivitque filium.*

Eodem quoque anno & Caluppa reclauſus obijt, ejus vitam ſcripſit. Gregor. de vit. Patr. cap. 11. ubi Recluſum vocat,

Recluſi ſingulare genus Monachorum qui ſe includebant cellulâ, quaſi ergaſtulo, hujus generis fuére Caluppa de quo hic. Maxentius Abbas, de quo Greg. ſupr. lib. 2. c. 37. *Erat in his diebus vir laudabilis ſanctitatis Maxentius Abbas reclauſus in Monaſterio ſuo ob Dei timorem intra terminum Pictavenſem.* Patroclus de quo Gregor. proximo cap. *Fuit autem in Biturico termino reclauſus nomine Patroclus.* Hoſpitius de quo Gregor. infr. lib. 6. cap. 6. *Fuit autem apud vrbem Nicenſem eo tempore Hoſpitius recluſus* cujus meminere Aimoin. lib. 3. c. 1. & Paul. Diac. de geſt. Longobard. c. 1. Paternus apud Paderbrunã in Germania Sigebert. ad ann. 1058. *In monaſterio autem Monachorum Scotus quidam Monachus Paternus nomine multo tempore recluſus, qui etiam hoc incendium ſæpe prædixerat, propter propoſitum recluſionis exire nolens ſe comburi paſſus eſt*, apud Græcos notum fuit etiam id genus monachorum quos vocabant κατειργμένυς Memoratur Maris κατειργμένος, cui roganti in cellula ſacra myſteria obtuliſſe Theodoritum Cyrenſem Epiſcopum, Diaconorum manibus uſum pro altari teſtis eſt ipſe de vit. Patr. cap. 20. Alij ἐγκλείςυς Cedren in Conſtantino Copronymo de Stephano juniore martyre. ἑξήκοντα γὰρ χρόνυς ἐποίησεν ἐν τῷ βυνῷ τῦ ἁγίυ Αυξεντίυ ἐγκλειςὸς. *Sexaginta enim annos exegit in colle ſancti Auxentij incluſus.* Nec modò viros, ſed & virgines Recluſas audio & miror Gregorius infr. libr. 6. cap. 29. *Hæc cum puella vidiſſet, compuncta eſt corde, & poſt dies paucos rogavit Abbatiſſam, vt ſibi in quâ includeretur cellulam præpararet, at illa velociter perfecta ait ecce inquit cellulam, quid nunc deſideras, puella vero petijt vt recludi permitteretur, quod cùm ei præſtitum fuiſſet congregatis virginibus cum magno pſallentio, accenſis lampadibus, tenente ſibi beata Radegunde manum, ad locum vſque perducitur, & ſic valefaciens omnibus, & oſculans ſingulas quaſque recluſa eſt.* Ejuſdem meminit Gregor. infr. lib. 9. cap. 40. *Erat ibi tunc reclauſa quædam, quæ ante paucos annos per murum ſe dejiciens, ad baſilicam ſancti Hilarij confugit,* & infra, *ſed poſtquam in monaſterium per eum locũ, vnde ſe præcipitaverat funibus eſt adtracta, petijt vt ſe in cellulam ſecretam reclauderet dicens*, &c. Extat epiſtola Goffridi Vindocinenſis, quæ eſt 48. lib. 4. *ſervo & ancillæ Dei Herveo & Evæ incluſis*, & ante Stephanus 2. epiſt. 4. ad

Pipinum. *Sanctimoniales fœminas acque recluſas, quæ ab infantia & pubertatis tempore, pro Dei amore ſeſe clauſuræ tradiderunt.* Sed quia hujuſmodi clauſura, nimis audax propoſitum videbatur, nè quis includeretur ſine judicio Epiſcopi & Abbatis vetitum eſt. Conc. Francoford. habitum ann. Chr. 794. can. 12. *Vt recluſi non fiant, niſi quos ante Epiſcopus Provinciæ, atque Abbas comprobaverint, ſecundum eorum diſpoſitionem in loco recluſionis ingrediantur.*

De ſancto Salvio Abbate, poſtea Albigenſi Epiſcopo. Gregor. libr. 7. c. 3. *Quid plura inclauditur valedicens fratribus ſibique ipſis valedicentibus.*

Et apud Monaſterium Melitenſe termini Arverni converſus. Melitenſe monaſterium fuit apud Arvernos, ubi Monachum profeſſus Caluppa recluſus. idem Gregor. de vit. Patr. cap. 11. *Et apud Monaſterium Melitenſe territorij Arverni converſatus in magna bumilitate ſe fratribus præbuit.*

Frigoriticis puſtulis laborantibus, vel reliquis morbis ſæpe per orationem remedia conferebat. Frigoritici frequens vox apud Gregorium, pro febre laborantibus ut de mirac. B. Martin. lib. 1. c. 38. *de qua cerâ quàm multæ virtutes factæ ſunt ſuper Frigoriticis & alijs infirmis longum eſt enarrare.* Idem de vit. Patr. cap. 19. *Frigoriticus quoque accedens ad hoc monumentum, vt pallam tegentem attigit, reſtincta contagionis febre convaluit.* Idem de mirac. martyr. libr. 2. cap. 49. *Frigoritici etiam in illo loco nonnulli ſanati ſunt,* & Baldricus Noviomenſ. Chronic. Cameracens lib. 1. cap. 55. *Frigoritici atque diverſis ægritudinibus occupati venientes optatâ merentur ſanitate donari.* Febricitantes Frigoritici dicti quia acceſſio febris, incipit à frigore & tremore. Gregorius quo ſui ipſius interprete familiariter utor. de mirac. S. Martin. libr. 4. cap. 37. *Puerorum vnus aulicorum graviter à typo tertiano, accedentibus, diſcedentibuſque febribus, tremore ſuperveniente quatiebatur.* Inde Frigoritio pro acceſſione febris, idem de glor. confeſſ. cap. 21. *dato igitur manè rediuit ad propria, nec vltra ab h[illegible] morbo frigoritionis, vel confractionis vllius pertulit gravitatē.* Frigoritio eſt acceſſio febris. Confractio ejuſdem intermiſſio, frangi videtur febris cum intermittitur. Idem de mirac. B. Martin. lib. 4. cap. 37. de typo tertiano. *In ſequenti verò nocte, cùm dies ille quo frangi conſueverat aduenisset.* Puſtulæ ſunt tumores ſeu veſicæ in cute, quæ ſemper ſunt cum febre & veneno. Ruſticiores verò corales

ſeu puſulas vocabant Gregor. infr. hoc libr. cap. 35. *Ruſticiores verò corales, hoc eſt puſulas nominabant.* Columella libr. 7. cap. 5. *Eſt etiam inſanabilis ſacer ignis, quem puſulam vocant paſtores.* Corales à colore purpureo quaſi coralio ſimiles, puſtulæ malæ, ob febrem, & venenum, quæ ſemper cohærent. Gregor. de mirac. B. Martin. libr. 1. cap. 13. *Quidam in Italia dum veneno puſtulæ pervaſus, in diſcrimine ſic ageretur, vt vivere deſperaret.* Idem cap. 33. ejuſd. libr. *Hic verò inficiente veneno à puſtulis malis omnem ſenſum perdiderat.* Idem de glor. Confeſſ. cap. 10. *Non poſt multum verò tempus, venit ad eum homo, cujus os à puſtula mala tumefactum, caputque & oculi inflati, ob nimium venenum præcludebantur.* Idem libr. 6. cap. 8. de Eparchio Recluſo. *Puſularum malarum venenum, crucis ſigno ſæpè compreſſit.* Idem cap. 14. ejuſd. libr. *Valetudines variæ malignæ cum puſulis & veſicis.*

Cilicium ſemper puro adhibebat corpori. Patroclus Recluſus utebatur cilicio ad purum, id eſt nudum corpus induto. Cilicium eſt veſtis intima Monachorum è pilis caprarum contexta, quæ ad cutem apponitur Auguſtin. epiſt. 205. de B. Hieronymo. *Cilicio ſacco carnem veluti Æthiopis macerans, deſuper panno viliſsimo ſe tegebat.* Paulin. de vit. S. Martin. libr. 1.

Quin ex contexto ſetis coopertus amictu
Exeſa aſsiduo compunxit acumine membra.
Vt tereret tenuem veſtis nimis aſpera pellem,
Et cutis extenſis ſtimulis attacta paveret.

Hinc Nicephorus Phocas poſt mortem Romani dicti Pueri Imp. ut Bringam luderet, cui ſuſpectus erat affectati imperij, ei dixit ſe jam dudum cogitare de vita monaſtica, & ut hoc ſuaderet, oſtendit ei veſtem cilicinam ad cutem poſitam de quo Zonar. in Romano Puero δείξας αὐτῷ ῥάκος τὶ τρίχινον, ὃ ἐν χρῷ περιέχειτο, τῇ δ' ἔξωθεν αὐτοῦ περιβολῇ καλυπτόμενον. *Oſtendens veſtem è pilis contextam, quàm nudo corpore veſte exteriori tectam geſtabat.* Hoc pacto Hoſpitius Recluſus catenis vinctus ad imam cutem deſuper cilicium geſtabat. Gregor. infr. libr. 6. cap. 6. *Fuit autem apud urbem Nicenſem eo tempore Hoſpitius Recluſus magnæ abſtinentiæ, qui conſtrictus catenis ad purum copus ferreis, induto deſuper cilicio,* &c. & infr. *& videntes eum cinctum catenis, indutumque cilicio dicunt,* &c.

Irruit

Irruit ſuper Synagogum Iudæorum, multitudo ſequentium. Apud Arvernos erat Synagoga Iudæorum, ut & Maſſiliæ & in alijs urbibus Galliæ. Judæi apud Arvernos ad fidem converſi & baptizati ab Avito Arvernorum Epiſcopo, non ſine curatione fœtoris eis nativi de quo Fortunat. lib.5. carm. 4. Cap. 11.

Gaviſus autem nuncio Pontifex, nocte ſanctâ Pentecoſtes vigilijs celebratis, ad baptiſterium foras muraneum egreſſus eſt, ibique omnis multitudo coram eo proſtrata baptiſmum flagitavit. Baptiſmus ſolebat miniſtrari ſtatis diebus, in Paſcha & Pentecoſte, de Pentecoſte locus eſt hic inſignis, de Paſcha ſupr. hoc ipſo cap. *Quidam ex his ad ſanctum Paſcha ut baptizaretur expetijt.* Quam plures Judæi ad fidem converſi, & baptizati ab Avito Epiſcopo, renuentes pulſi, Maſſyliam ſeceſſére. In baptizatis hæc ſingularis gratia emicuit, quod à baptizatis exemptus teter odor, de quo malè audiunt Judæi unde Fortunat. l. 5. carm. 4.

Abluitur Iudæis odor baptiſmate divo.

Ait baptiſterium foras muraneum, antiquiora baptiſteria erant extra urbem tempore perſecutionis. Baptiſteria ſolebant poni extra urbes in occultis locis de quo Vicecomes de baptiſmo lib. 1. cap. 6.

Tranſijt poſt hæc & Bracchio Abbas Cellulæ Manatenſis. Bracchio Abbas monaſterij Menatenſis in Arvernis de quo Gregorius de vit. Patr. cap. 12. *Cùm ad priorem cellulam reſideret, in monaſterio Menatenſe, quod per incuriam Abbatis intepuerat ordinatur,* &c. *Menat en Auvergne.* Cap. 12.

Poſt hæc Meroveus cum in cuſtodiâ à patre retineretur, tonſoratus eſt, mutataque veste, quâ clericis uti mos eſt; Presbyter ordinatur, & ad monaſterium Cenomannicum quod vocatur Aninſula dirigitur, ut ibi Sacerdotali erudiretur regula Meroveus ob nuptias cum Brunichilde vidua Sigiberti Regis patrui, juſſu Chilperici patris invitus tonſus in clericum, quo ſpes regni ei adimeretur. Sæpiùs inviti ordinabantur in clericos ob ſuſpicionem, vel in pœnam delicti ut Gallus & Julianus Apoſtata fratres, jubente Conſtantio clerici ordinati, quo ipſis imperij ſpes adimeretur Gregor. Nazianz. orat. 1. in Julian. & Chararicus unus è primoribus Francorum, quod Clodoveo contra Cap. 14.

Siagrium pugnanti in prœlio defuiſſet, juſſu Regis Presbyter ordinatus & filius ejus Diaconus teſte Gregorio ſupr libr. 2. cap. 41. Aimoin. libr. 1. cap. 23. Ait mutata veſte quia alia erat veſtis Clericorum, alia Presbyterorum, communis veſtis Clericorum eſt alba, Presbyterorum proprium inſigne orarium ſeu ſtola. Conc. Moguntinum 1. can. 28. *Presbyteri ſine intermiſsione utantur orarijs, propter differentiam Sacerdotij dignitatis*, & Conc. Tiburienſ. apud Gratian. in can. ut Presbyteri 17. qu. 4. *Vt Presbyteri non vadant niſi ſtolâ, aut orario induti.* Inde in reſtitutione Presbyterorum dantur eis orarium & planeta, quæ eiſdem dantur in ordinatione ex Conc. Tolet. 4. can. 27. can. Epiſcopus 11. qu. 3. Notandum eſt quod additur Meroveum Presbyterum ordinatum directum ad Monaſterium Aninſula, alij codices legunt Aniſola in Diœceſi Cenomannenſi, ut ibi Eccleſiæ diſciplina inſtrueretur, vel veriùs ut in monaſterio ſub tuta cuſtodia eſſet. idem Aimoin. lib. 3. cap. 15. *Exinde Chilpericus filium Meroveum ſuſpectum doli, quod partes Brunichildis fulciret, inſtigante noverca Fredegunde comâ attonſum, ac in monaſterio Aniſolæ detruſum juſsit ordinari Presbyterum.* Juniores clerici tradebantur monaſterio inſtituendi in clericali diſciplinâ, quia diſciplina eccleſiaſtica maximè colebatur hac ætate in monaſterijs Galliæ, unde pueri Angli juſſu Gregorij, poſiti in monaſterijs Galliæ, ut chriſtiana fide imbuerentur teſte ipſo Gregorio lib. 5. epiſt. 10. indict. 14. Hoc monaſterium à Childeberto I. fundatum. Hodie ſancti Carilephi vulgò *ſaint Cales* dictum, à nomine primi Abbatis cujus vitam habes apud Surium 1. Jul.

Cumque parvum ſolatium qui eum ducebant haberent, ab ipſo Gauleno in itinere excuſſus eſt, opertoque capite, indutuſque veſte ſeculari, beati Martini templum expetijt. Meroveus iuvitus tonſus in clericum, & mox Presbyter ordinatus, & detruſus in monaſterium Aniſolenſe, conſilio Guntramni Boſonis, per Riculfum Subdiaconum ſuggeſto, iter inijt ut confugeret in baſilicam B. Martini, duce dicto Riculfo, ſed cùm parum ſolatij id eſt opis & auxilij haberet à ducibus, à Gauleno uno è ſuis pueris id eſt ſervis in itinere excuſſus, id eſt vi exemptus è manibus eorum qui eum ducebant. Excuſſi ſunt qui ab alijs ex-

cutiuntur, ſeu commoventur ut pſalm. 126. *Sicut ſagittæ in manu potentis, ſic filij excuſſorum*, quem locum variè interpretati ſunt Hilarius Auguſtin. & Hieronym. ad Marcellam in hunc pſalm. Eadem voce uſus eſt Gregorius de glor. Confeſſ. cap.36. *quia virtute quieſcentis cum ſonitu magno excuſſus, longè projectus eſt.* Et quia Meroveus erat tonſo capite, nè ex tonſura agnoſceretur, operto capite, & veſte ſeculari indutus B. Martini ædem expetijt. Clericis non licuit in foro apparere operto capite, nè tonſura & corona lateat, & eorum ordo ignoretur. Hinc Vvillelmus de Buſſi Anglus cum objectis reſpondere non valeret, voluit ſolvere vinculum Coifæ, quod eſt indumentum capitis, ut probaret ſe eſſe clericum, oſtenſa tonſura clericali. Matth. Paris in Henrico III. ad ann. 1255 *Et cum non poſſet objectis reſpondere, quia multis erat irretitus ſceleribus, voluit ligamenta ſuæ Coifæ ſolvere, ut palàm monſtraret, tonſuram ſe habere clericalem, non eſt permiſſus*, &c.

Poſt miſſas autem petijt, ut ei Eulogias dare deberemus. Eulogia variè accipitur, quandoque pro pane benedicto, vel pro pane qui pro benedictione dari vel miſſitari ſolebat. Paulin. epiſt. 1. ad Severum, *Panem Campanum de cellula noſtrâ tibi pro Eulogia miſimus.* Idem epiſt. 45. ad Alippium. *Panem unum ſanctitati tuæ vnitatis gratiâ miſimus, in quo etiam trinitatis ſoliditas continetur, hunc panem Eulogiam eſſe tu facies dignitate ſumendi.* Auguſtin. contra litt. Petilian. lib. 3. *Eulogias panis ſimpliciter, & hilariter datas, ridiculo nomine, & venenoſæ turpidinis ac furoris infamet.* Gregor. ipſe infr. libr. 7. cap. 1. de Salvio tum Abbate, poſteà Albigenſi Epiſcopo. *Vt cùm quiſque veniſſet extraneus, & orationem tribueret, & Eulogias gratia pleniſsima miniſtraret.* Idem de glor. Confeſſ. cap. 31. *Acceptum verò homo ille panem, non priùs comedit quàm à Sacerdote benediceretur, aut ab eo Eulogias acciperet, quibus acceptis ſumpſit & abijt.* Flodoard. hiſt. Rhemen. lib.2.cap. 11. *Hic venerabilis Præſul Pipinum majorem domus regiæ, traditur amiciſsimum habuiſſe, cui eulogias pro benedictione crebro ſolebat mittere.* Alias Eulogia ſumitur pro epulo quod fidelibus præberi ſolebat, benedictionis gratiâ in die feſto Sanctorum. Gregor. infr. lib. 8.cap. 2. *Surrexi gaviſus fateor ad occurſum ejus, & data oratione de-*

precor, vt in manſione mea, Eulogias B. Martini dignaretur accipere Idemque lib. 10. cap. 15. *Abbatiſſa Monaſterij Pictavienſis de convivijs ait, ſe nullam novam feciſſe conſuetudinem, niſi ſicut actum eſt ſub Domna Radegunde, ſe chriſtianis fidelibus Eulogias obtuliſſe, nec ſibi comprobari cum illis vllatenus convivaſſe.* Nec non Eulogia accipitur pro oblatione quæ in ſpecie aliqua vel nummis fit Epiſcopo, ob cauſam Synodi vel dedicationis Eccleſiæ, vel aliam cauſam. Pelagius in can. Eleutherius 18. qu. 2. *quid Epiſcopo ipſi nomine Eulogiæ offerri debeat inter ipſos Monachos & Presbyterum volumus definiri.* Et Leo 4. epiſt. ad Epiſcopos Britanniæ cap. 3. *De Eulogijs ad ſacra concilia deferendis, nihil invenimus à majoribus terminatum, ſed ſicut vnicuique Presbytero placuerit.* Hoc loco verò Eulogia accipitur pro ſacra communione, ut colligitur ex hoc ipſo quod Meroveus poſt miſſas petijt Eulogias ab Epiſcopo. Poſt miſſas enim communio ſolebat præberi laïcis, uti moris eſt in hunc diem. Gregor. de mirac. B. Martin. lib. 2. c. 47. *Cumque expletis miſsis, populus cœpiſſet ſacro ſanctum corpus redemptionis accipere.* idem de glor. confeſſ. cap. 65. *quibus expletis celebratiſque miſsis accedit ad poculum ſalutare.* Rufinus de vit. Patr. lib. 1. c. 166. *Cùm ergo poſt oblationem conſecratam vnuſquiſque ad communionem accederet, per ſingulorum facies intelligebat & animas.* Beda lib 4. cap. 4. *Vocatiſque fratribus parare prandium, miſſas fieri atque omnes communicare more ſolito præcepit.* Interpretationem juvant quæ ſequuntur in d. cap. 47. *Quod cùm refutaremus ipſe clamare cœpit, & dicere quod non rectè eum à communione, ſine fratrum conniventia ſuſpenderemus, illo autem hæc dicente, cum conſenſu fratris qui præſens erat, conteſtata cauſa canonica, Eulogias à nobis accepit.* Quæ verba etiam ſua interpretatione indigent. Meroveus excipiebat ſe ab Epiſcopo excludi non poſſe à communione, ſine conniventia, id eſt conſenſu fratrum. Epiſcopus ſolus non poteſt quem excommunicare ſive laïcum ſive clericum can. debent, & ſeq. 11. qu. 3. Et hoc jure Meroveus conteſtata cauſa canonica, id eſt conteſtata ſecundum Canones Eulogia, accepit à Gregorio noſtro, adhibito conſilio Ragnemodi Pariſienſis Epiſcopi, qui aderat. Conniventia paſſim pro conſenſu Conc. Carth. 4. can. 22.

Idem de vit. Patr. cap. 8. *Vere inquam quia Eulogias de manu meâ accipie pro eo quod verba, quot furor exegit, meis auribus intimaſti, erat autem convivio recumbens.*

Epiſcopus ſine concilio Clericorum ſuorum, Clericos non ordinet, ita vt civium conniventiam & teſtimonium quærat. Gregorius de glor. confeſſ. cap. 63. *Si inquit meo conſilio conniventiam præbueris.* Eulogias etiam pro ſacra communione accepit Gregorius de vit. Patr. cap. 20. De Leobardo recluſo. *Quadam autem die, dum nimium feſſus haberetur, nos ad ſe vocari præcepit, ad quem accedentes, poſtquam funeris ſui neceſſitatem deflevit Eulogias à nobis peccatoribus flagitavit, quibus acceptis hauſto mero ait, tempus meũ jam imbletur jubente domino.* Quo ex loco probatur etiam uſus ſacræ Communionis ſub utraque ſpecie. Pari Analogia Eulogias accipe pro ſacra Communione infr. lib. 6. cap. 32. *Nunc autem rogo vt pacem tuam non mereatur, neque Eulogias de manu tua ſuſcipiat* Eulogias non aliter quàm pro ſacra communione accipi, indicant verba quæ præcedunt, *ſed & nobis epiſtolam manu Sacerdotis ſubſcriptam detulit, vt in Communionem reciperetur.*

Erat autem tunc nobis Ragnemodus Pariſiacæ ſedis Epiſcopus qui ſanctoGermano ſucceſſerat. Ragnemodus proximè ſucceſſit Germano Pariſienſi Epiſcopo. Idem teſtatur Gregor. de mirac. D. Martini lib. 2. cap. 12. *Quodam autem tempore cùm Beatus Germanus Pariſiacæ vrbis Pontifex ad feſtivitatem glorioſi Antiſtitis accederet, Ragnemundus tunc Diaconus, nunc Epiſcopus in ſervitium ejus acceſsit.* Ejuſdem meminit Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 89. de Marcello Pariſienſi Epiſcopo. *Ad cujus tumulum cùm Ragnimundus Presbyter qui nunc ejus municipij habetur Sacerdos, quartano typo veniens decubaſſet.*

His diebus Nicetius vir neptis meæ. Virum accipe pro marito, Gregor. de Mirac. D. Martini lib. 1. cap. cxxi. *Factum eſt autem quodam tempore, vt vir ſororis meæ, invaleſcente febre graviter ægrotaret.* Idem libr. 2. c. 2. *Iuſtinus vir ſororis meæ in valetudinem irruit.*

Redeunte Mareleifo Archiatro. Archiater eſt medicus Principis l. 6. C. de Profeſſ. & medic. Gregor. infr. lib. 10. c. 15. *Interea cùm hæc nomen pueri Eunuchi protuliſſet, adfuit Reovallis Archiater dicens, puer iſte parvulus cùm eſſet, & infirmaretur in femore, deſperatus cœpit haberi.* Idem de miraculis D. Martin. lib. 2. cap. 1. *Vocavi Armentarium Archiatrum, & dico ei, om-*

ne ingenium artificij tui impendiſti, pigmentorum omnium vim probaſti, ſed nihil proficit. Archiatri primum gradum inter medicos tenent, & inter amicos Principis cenſentur. Gregorius Nazianz. in orat. funeb. Cæſarij fratris Archiatri Juliani Imp. τάττεται μὲν γὰρ τὴν πρώτην ἐν ἰατροῖς τάξιν, καὶ τοῖς φίλοις τοῦ βασιλέως εὐθὺς ἀριθμούμενος. *Primum ſtatim inter medicos dignitatis gradum obtinuit, atque in amicorum numero apud Imperatorem habitus.*

Quadam enim die ad convivium ejus adſcitus, dum pariter ſederemus, ſuppliciter petijt aliqua ad inſtructionem animæ legi. Meroveus adhibito Gregorio ad epulas, petijt aliquid legi de ſacris libris in ſolatium animæ. Lectio ſacrorum librorum uſu recepta etiam inter epulas Principum, nec non apud veteres. Cornel. nepos in vit. Pompon. Attici: *Nemo in convivio ejus aliud* ἀκρόαμα *audivit quam Anagnoſtem quod nos quidem jucundiſsimum arbitramur, neque vmquam ſine aliqua lectione apud eum cœnatum eſt, vt non minus animo quàm ventre convivæ delectarentur.* Gell. noct. attic. lib. 3. c. 19. *Apud cœnam Phavorini Philoſophi, cùm diſcubitum fuerat, cœptuſque erat apponi cibus, ſervus aſsiſtens menſæ ejus legere incœptabat, aut græcarum quid litterarum aut noſtrarum.*

Tunc direxit Guntchramnum puerum ad mulierem quandam ſibi jam cognitam à tempore Chariberti Regis habentem ſpiritum Pytonis, vt ei quæ erant eventura narraret. Meroveus reprobatus à Deo, quod anxius futuri an regnum apiſceretur, conſuluit Pythoniſſam. Pythoniſſa erat quædam mulier quæ habebat Pythonis ſpiritum, id eſt Pythonis ſpiritu correpta futurá divinabat, Pythoniſſam uno verbo vocat Gregor. proximis verbis. *Meroveus verò non credens Pythoniſſæ tres libros ſuper ſancti ſepulchrum poſuit.* Eadem ætate fuit mulier in Gallia quæ Pythonis ſpiritum habebat, & ex arte divinandi magnum quæſtum faciebat. Gregor. infr. lib. 7. cap. 42. *Fuit tunc temporis mulier quæ ſpiritum Pythonis habens, multum præſtabat dominis divinando quæſtum*, Inde Pythonici dicuntur qui correpti ſunt Pythonis ſpiritu Tertull. de anima. *Scimus etiam Magos elicere explorandis occultis per Catabolicos & Paredros & Pythonicos ſpiritus.* Sic & Saül à Deo damnatus, quia conſuluit Pythoniſſam Dendor. 1. Reg. 28.

Veniant enim equi noſtri, & acceptis accipitribus, cum canibus exerceamur venatione, ſpectaculiſque patulis jocundemur. Venatio gentilitium ſtudium Francorum Eginart. in Carolo Magn. *Exercebatur aſsiduè equitando, ac venando, quod illi Gentilitium erat, quia vix ulla in terris natio invenitur, quæ in hac re Francis poſſet æquari.* Maximè Francis in delicijs fuit venatio accipitraria, Hinc Becco comes Arvernorum, accipitrem quaſi vagum captum ab uno è famulis baſilicæ S. Juliani martyris Brivatenſis, ut ſuum vindicabat. Gregor. de mirac. martyr. lib. 2. cap. 16. *Similiter ut unus deſervientibus baſilicæ S. Iuliani, accipitrem alium dum per viam ambularet, quaſi vagum invenit, quod cum ad Becconem perveniſſet, quod ſc. puer repertum teneret accipitrem, calumniari cœpit, ac dicere meus ille erat inquit, & hic furto eum ſuſtulit,* & Pariſiorum urbe à Normanis obſeſsâ, obſeſſi accipitres miſerunt, nè perirent. Abbo de obſidione Pariſ. libr. 1.

Quiſque regi proprios flatus, nè clade perirent
Accipitres loris permiſit abire ſolutis.

Odo vit. S. Gerald. lib. 1. cap. 4. *ſcilicet ut Cappos & accipitres competenti jactu emittere conſueſceret.*

Poſt hæc continuato triduo, in jejunijs, vigilijs atque orationibus, ad beatum tumulum iterum accedens revolvit librum qui erat Regum. Meroveus ſacras ſortes conſulturus, per ſacros codices, triduo jejunat. Triduanum jejunium uſu ſolemne fuit divini numinis exorandi cauſa. Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 63. *Audiens autem de infirmitate puellæ, ſe ad baſilicam beati Petri Apoſtoli confert, ibique continuatio cum vigilijs & orationibus triduano rejunio,* &c. Annales Franc. ad ann. 791. *Carlus propter multa mala & prædationes ac cædes quas Huni exercuerant in populo Dei provocatus, congregato exercitu in Bajoaria juxta Aniſam fluvium, cum omni populo ſuo, jejunijs & obſecrationibus triduo celebratis exercitum dividit.* Beda libr. 4. cap. 14. *Viſum eſt fratribus triduanum jejunium agere, & divinam ſuppliciter obſecrare clementiam, ac miſericordiam ſibi dignaretur impendere.* Sortes conſulendi per ſacros libros mos fuit quem non probat. Auguſtin. epiſt. 119.

Dicentes ſimul viuere ſine colliſione poſſumus. Colliſio eſt

cōngreſſus ſeu conflictus hoſtium inter ſe. Gregorius de Mirac. B. Martin. libr. 2. cap. 7. *Sigebertus glorioſiſsimus Rex Sequanam tranſiens, ſine colliſione exercitus, pacem cum fratribus fecit.*

Illi quoque qui ex Saxonibus remanſerant deteſtati ſunt nullum ſe eorum barbam, neque capillos inciſurum, niſi prius ſe de adverſarijs ultum irent. Idem Paul. Diac de geſt. Longobard. lib. 3. c. 7. Id genus voti proprium Germanorū fuit Tacit. de morib. cor. *Al js Germanorum uſurpatum rara, & privata cujuſque audentia apud Cattos in conſenſum vertit, ut primum adoleverint, crinē barbamque ſubmittere, nec niſi hoſte caſo exuére votivum obligatumque virtuti oris habitum.* Saxones victi à Suevis ſacramento ſe damnarunt, nè barbam, capillumve tondérent, priuſquam, de hoſtibus ſeſe ulti eſſent. Non diſpari ingenio juniores Angli voto ſeſe obligaſſe traduntur, ſe uno lumine panno obvoluto proceſſuros, donec aliquod ſingulare facinus ab his patratum eſſet in Gallia Jo. Froſſard. vol. 1. cap. 29. *Et ſi auoit entr'eux pluſieurs jeunes Bacheliers, qui avoient châcun un œil couvert de drap, afin qu'ils n'en peuſſent voir, que jamais ne verroient que d'un œil, juſques à ce qu'ils auroient fait aucunes proüeſſes de leur corps au Royaume de France.*

Cap. 17. *Eo anno dubietas Paſchæ fuit, in Gallijs verò nos cum multis ciuitatibus* XIV. *Calendas Maias ſanctum Paſcha celebravimus, alij vero cum Hiſpanis Calendas Aprilis ſolemnitatem hanc tenuerunt.* Tempore Victoris Papæ gravior controverſia fuit de die Paſchatis, Eccleſijs Aſiæ diem Paſchæ celebrantibus die 14. lunæ exemplo Judæorum, cæteris Eccleſijs, etiam ſi non incideret in diem dominicum, diem Paſchæ ſemper rejicientibus in diem dominicum, cujus diſſidij cauſa Victor Eccleſias Aſiaticas à communione removit, qua de re Ireneus Lugdunenſis Epiſcopus ſcripſit ad Pontificem ut ſibi temperaret, auctore Euſebio libr. 5. cap. 22. 23. 24. Eandem controverſiam rurſus contigiſſe narrat. Gregor. infr. lib. 10. cap. 22.

Tamen ut ferunt fontes illi, qui in Hiſpanis nutu Dei complentur, in noſtro Paſcha repleti ſunt, Fontęs Hiſpaniæ Die ſabbathi Paſchæ divinitus complentur, in baptiſmum qui eo die miniſtrari ſolet. Gregor. infr. libr. 6. cap. 43. *Caſtrum Oſer in cujus*

Eccleſia fontes divinitus complentur. Idem lib. 10. cap. 22. *Sed fontes Hiſpaniæ, qui divinitus implentur in noſtro Paſcha repleti ſunt.* Hi fontes ſunt in Luſitania apud caſtrum Oſſem Gregor. de mirac. lib. 1. cap. 24. *Eſt & illud illuſtre miraculum de fontibus Hiſpaniæ, quos Luſitania Provincia profert. Piſcina namque eſt apud Oſſem, campum antiquitus ſculpta, & ex marmore vario in modum crucis miro compoſita opere*, de ijſdem fontibus meminit idem de glor. Confeſſ. cap. 69. Multa ſunt fontium miracula Plin. lib. 30. cap. 2. *Et in Cantabria fontes Tamarici in augurio habentur.*

Cainone verò Turonico vico, Cainone olim vicus Pagi Turonici, hodie non ignobile oppidum. Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 22. de Maximo Abbate. *Deinde ad caſtrum Cainonenſe vrbis Turonicæ veniens monaſterium collocavit.* Gregor. infr. libr. 6. cap. 13. *Dehinc ad Cainonenſe caſtrum, vbi hoſpitium habebant pariter advenerunt.* Idem infr. lib. 10. cap. 31. vocat Cainonem vulgò *Chinon.* Cap. 18.

Guntchramnus Rex ait evenit impulſu peccatorum meorum, vt abſque liberis remanerem, & ideo peto vt hic nepos meus mihi ſit filius, & imponens eum ſuper cathedram ſuam cunctum ei regnum tradidit, dicens, vna nos parma protegat, vnaque haſta defendat. Guntchramnus orbus liberis, Childebertum nepotem ex fratre Sigeberto adoptavit in filium per impoſitionem cathedræ, & parmæ haſtæque traditionem. Ut res tutior eſſet, idem eum rursùs poſteà adoptavit per haſtæ traditionem, repetitis ſolemnibus adoptionis. Gregor. libr. 7. cap. 33. *Poſt hæc Rex Guntchramnus, data in manu Regis Childeberti haſta ait, hoc eſt judicium, quod tibi omne regnum meum tradidi*, & idem Aimoin. lib. 3. cap. 68. Ita Theodoricus Rex Gothorum Regem Herulorum adoptavit per arma, id eſt gladij & ſcuti traditionem Caſſiod. 4. Var. 2. *Per arma fieri poſſe filium grande inter gentes conſtat eſſe præconium, & ideo more gentium & conditione virili, filium te præſenti munere procreamus, vt competenter per arma naſcaris, qui bellicoſus eſſe dignoſceris, damus quidem tibi equos enſes clypeos, & reliqua inſtrumenta bellorum, ſed quæ ſunt omnimodis fortiora largimur tibi noſtra judicia.* Et Juſtinianus quoque Athalaricum per arma adoptavit. Caſſiod.

8. Var. 1. *Deſiderio concordiæ factus eſt per arma filius.* Alaricus Clodoveum adoptavit per barbæ tactum. Aimoin. lib. 1. cap. 20. *Et Alaricus juxta morem antiquorum barbam Clodovei tangens adoptivus ei fieret pater,* Pipinum filium Caroli M. per barbæ præſciſſionem adoptavit Luitprandus Rex Longobardorum. Paul. Diacon. de geſt. Longobard. lib. 6. cap. 53. *Circa hæc tempora Carolus Princeps Francorum Pipinum ſuum filium ad Luitprandum direxit, ut ejus juxta morem capillum ſuſciperet, qui ejus cæſariem incidens, ei pater effectus eſt.* idem Aimoin. libr. 4. cap. 57. Et Gregorius Patricius Taſonem dolo interfecit quaſi vellet eum adoptare per barbæ præſciſſionem. Aimoin. libr. 4. cap. 32. *Nam promittens Taſoni, quod barbam ejus præſcindens, juxta morem antiquorum, eum ſibi adoptaret in filium, cum fratre ac paucis fidelium ad ſe venire ſuaſit,* &c. Apud Orientales adoptio fiebat per Camiſiæ indumentum & oſculum Hoc pacto Balduinus à Comite Edeſſano, & ejus conjuge adoptatus in filium Guibert. Abbas Hiſtor. Hieroſolymit. lib. 3. cap. 13. *Ab vtriſque eſt adoptatus in filium, adoptationis autem talis pro gentis conſuetudine dicitur fuiſſe modus intra lineam interulam, quam nos vocamus Camiſiam nudum intrare eum faciens ſibi adſtrinxit, & hæc omnia oſculo libato firmavit. Idem & mulier poſtmodùm fecit.*

Quod ille deſpiciens apud Sueſſionas, atque Pariſius Circos ædificare præcepit, eos populis ſpectaculum præbens. Ludi equeſtres quos Circenſes vocabant non modò Romæ, ſed etiam in alijs civitatibus Imperij Romani celebrari ſoliti, propter populi voluptatem Hieronym. in vit. Hilarion. *Sed & Italicus ejuſdem oppidi municeps chriſtianus adverſus Gazenſem Duumvirum, Marnæ Idolo deditum Circenſes equos nutriebat, hoc ſi quidem in Romanis vrbibus jam inde ſervatur à Romulo, vt propter felicem Sabinorum raptum, ab ipſo Conſo quaſi conſiliorum Deo, quadrigæ ſepteno currant circumitu, & equos partis adverſæ fregiſſe victoria ſit.* Treviris in Galliâ Nobiles poſt varias urbis ſuæ clades, Circenſes ab Imperatore poſtularunt Salvian. de provident. libr. 6. *Exciſa tot continuatis everſionibus ſumma vrbe Gallorum pauci nobiles, qui excidio ſuperfuerant quaſi pro ſummo deletæ vrbis remedio Circenſes ab Imperatoribus poſtula-*

bant. Chilpericus ut populi gratiam ſibi conciliaret, Circenſes ludos inſtituit & Circos apud Pariſios & Sueſſiones extruxit.

Reperit cum eodem res Brunichildis Reginæ commendatas, Cap. 19. Prætextatus Rhotomagenſis Epiſcopus Chilperico Regi ſuſpectus viſus, quia res Brunichildis ei commendatæ erant, id eſt apud eum depoſitæ. Commendare eſt deponere l. & ſiquis §. funeris ff. de religioſ. & ſumpt. funer. Gregor. infr. hoc cap. *Dixique vobis quia res ejus, id eſt quinque ſarcinas commendatas haberem.*

Conjuncto autem concilio exhibitus eſt. Erant autem Epiſcopi qui advenerant, apud Pariſius in baſilica ſancti Petri Apoſtoli, Prætextatus Rothomagenſis Epiſcopus, inſtigante Chilperico Rege damnatus in Concilio Epiſcoporum Galliæ apud Pariſios inito in baſilica S. Petri Apoſtoli, quæ nunc dicitur S. Genovefæ, de quo & Aimoin. lib. 3. cap. 26.

Nos collecti in vnum ſedebamus in ſecretario baſilicæ Beati Petri. Epiſcopi ſedebant in ſecretario baſilicæ concilij cauſa, ſæpius concilia habita leguntur in ſecretario eccleſię, ut Honoratus Archidiaconus à Natali Epiſcopo Salonitano Archidiaconatu depoſitus in Synodo habita in ſecretario Eccleſiæ ex Gregorio lib. 1. epiſt. 19. ubi dixi.

Subitò advenit Aëtius Archidiaconus Pariſiacæ Eccleſiæ, ſalutatiſque nobis ait Audite me ô Sacerdotes Domini, qui in vnum collecti eſtis, aut enim hoc tempore exaltabitis nomen veſtrum, & bonæ famæ gratia refulgebitis, aut certè nullus vos à modo pro Dei Sacerdotibus eſt habiturus, ſi perſonas veſtras ſagaciter non erigitis, aut fratrem perire permittitis. Memoria digna eſt oratio Ætij Archidiaconi Pariſienſis ad Epiſcopos congregatos in baſilica S. Petri in cauſâ Prætextati, ut tueantur libertatem Eccleſiæ, nec ſinant Epiſcopum injuria damnari, per calumniam enim accuſatus credebatur dolo Fredegundis Reginæ.

Et impletur in te proverbium illud quod corvus oculum corvi non eruet Gregorius Chilperico Regi ſuſpectus erat in cauſa Prætextati, quàm ob cauſam dixit ei in ipſo impleri proverbium cornix cornici oculum. M. Tull. pro Flacco. *Hic Hercule cornici oculum vt dicitur.* Idem pro Muren. *Inventus eſt ſcri-*

ba quidam Cn. Flavius , qui cornicum oculos confixerit.

Ad hæc ego ſi quis de nobis ô Rex , juſtitiæ tramitem tranſcendere voluerit, à te corrigi poteſt, ſi verò tu exceſſeris, quis te corripiet , loquimur enim tibi , ſed ſi volueris audis , ſi autem nolueris , quis te condemnabit, niſi is qui ſe pronunciavit eſſe Iuſtitiam. Hæc ſunt verba Gregorij ad Chilpericum Regem. Regis eſt ſubditos delinquentes coërcére , ſed ſi ipſe deliquerit non alium habet Judicem quàm Deum. Ziphilin. in Antonino. ἀρχεῖ γὰρ τοι τῆς αὐταρχίας ὁ θεὸς μόνος κρίνειν δύναται , *Principis enim ſolus Deus judex eſſe poteſt.*

Habes legem & canones , hæc te diligenter rimari oportet , & tunc quæ præceperint , ſi non obſervaveris , noveris tibi Dei judicium imminere, Gregorius Chilperico Regi habes inquit legem & canones ex quibus Prætextatus judicandus eſt, ſed ſi hæc contempſeris , ſcito judicium Dei tuo capiti imminere.

Converſus ad Iuſcellum , quod coram eo erat poſitum ait propter te hæc juſcella paravi , in quibus nihil aliud præter volatilia , & parumper ciceris continetur. Juſcellum eſt vas eſcarium , in quo jus , juſculum vel juſcellum continetur , juſcellum derivatur à jure quod noſtris dicitur *Brouet* , jus eſt liquor coctilium , jus herbarum Gregor. infr. libr. 6. cap. 6. *Et primum quidem jus in quo coxerant hauriens , ipſas ſumebat in poſterum.* jus nigrum Lacedomonijs laudatum M. Tull. Tuſcul. 5. *Quid victum Lacedemoniorum in Phiditijs nonnè videmus , vbi cùm tyrannus cœnaviſſet Dionyſius , negavit ſe jure illo nigro quod cœnæ caput erat delectatum.* Chilpericus Rex Gregorio exhibuit juſcellum quaſi ejus gratiâ paratum eſſet, Gregorius pane & vino contentus , juſcello abſtinuit ut ipſe indicat ſequentibus, *Poſt hæc accepto pane , hauſto etiam vino diſceſsi.*

Ille verò porrecta dexterâ , juravit per Omnipotentem Deum quod ea quæ lex & Canones edocebant nullo prætermitteret pacto. Chilpericus Rex porrectâ dexterâ, jurat de obſervandis Canonibus in cauſa Prætextati , juramentum ſolebat fieri ſolemniter elevata manu. Gregor. de vir. Patr. cap. 8. *ſi es innocens accede propiùs , & jura tangens ſcripturam quam ipſe depinxit ,* & infra. *At ille nihil moratus accedit ad manus Epiſcopi, qui hanc epiſtolam extentam tenebat , elevanſque manus ſuas vt ſacra-*

mentum daret, cecidit retrorſum ſupinus, &c. Idem de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 33. *Ingreſsique in hujus memoratæ ædis altare, cum elevatis manibus ſacramenta proferrent, proſecutor cauſæ perjuraſſe eos clara voce teſtatur.* Idem eod. libr. cap. 53. *Ingreſſique baſilicam ſancti martyris, elevatis homo manibus ad perjurandum, cum nomen ſancti voluiſſet ore patulo nominare, hæſit vox in faucibus.*

Decantatis nocturnalibus hymnis. Nocturnum officium ab Epiſcopis & clericis decantari ſolitum. Victor Vticenſ. de perſecut. Vand. libr. 2. *Iam enim ob celebritatem feſtivitatis, hymni nocturni per totam Eccleſiam canente populo concrepabant.* Gregor. de glor. confeſſ. cap. 31. *Quidam Presbyter ſolitarius iter carpens ad hoſpitiolum cujuſdam pauperis Limanici manſionem expetijt, quâ acceptâ juxtà morem Sacerdotum nocte ab ſtratu ſuo conſurgens orationi adſtitit.* Idem infr. lib. 9. *Nos verò ignari facti media ſurgentes nocte ad reddendas Domino gratias invenimus eum dormientem.*

Manè Rex adfuit, dixitque Epiſcopus enim in furtis deprehenſus ab Epiſcopali officio vt avellatur Canonum auctoritas ſanxit. Chilpericus Rex inſtabat apud Epiſcopos congregatos Pariſijs in baſilica S. Petri, ut deponeretur ab Epiſcopatu, propter furtum de rebus ſuis factum, allegans Epiſcopum in furto deprehenſum eſſe deponendum ſecundum Canones, ac ne dubitaretur de fide Canonum miſit ad Patres codicem, in quo continebantur Canones quaſi Apoſtolici, quos inter legebatur ille, Epiſcopus in homicidio adulterio & perjurio deprehenſus à Sacerdotio divellatur, uti ſubjungit Gregorius. *Ipſe verò ad metatum diſceſsit, tranſmittens librum Canonum, in quo erat quaternio novus adnexus, habens Canones quaſi Apoſtolicos continentes hæc. Epiſcopus in homicidio adulterio, & perjurio deprehenſus à Sacerdotio divellatur.* Canones quaſi Apoſtolici dicuntur à Gregorio qui proferebantur ſub falſo nomine Canonum Apoſtolicorum, verbum quaſi in jure denotat fictionem & veri imaginem. Gregor. infr. h. libr. cap. 32. *Apud Pariſios autem mulier quædam ruit in crimen, adſerentibus multis, quaſi quod relicto viro cum alio miſceretur.* Idem eod. libr. cap. 32. *Literas quæ multa improperia loquebantur in Regem, in qui-*

bus inter reliqua erat inſertum, quaſi quereretur Sacerdos ſe à Paradiſo ad inferos deſcendiſſe. Idem ſupr. h. libr. cap. 18. *Voluitque oſtia baſilicæ rumpere, quaſi ut extractum Sacerdotem lapidibus vrgeret.*

Et ſacculum cum numiſmatis auri pondere tenentem quaſi millia duo. Sacculus dicitur continere quaſi millia duo nummum auri, continens ferè duo millia nummum, quaſi in idiomate vernaculo ſcriptorum hujus ætatis, quandoque idem eſt ac ferè. Gregor. infr. libr. 6. cap. 46. *ad villam Calenſem, quæ diſtat ab vrbe Pariſiaca quaſi centum ſtadijs*, & infra, *confecitque duos libros, quaſi Sedulium imitatus.* Idem de mirac. Martyr. libr. 2. cap. 25. *Diſtat autem baſilica à Brivatenſi vico, quaſi ſtadijs decem.* Idem libr. 1. de mirac. eorumd. cap. 76. de lacu Lemano. *Extenditur autem lacus ille in longitudine quaſi ſtadijs quadringentis.* Idem de mirac. B. Martin. libr. 4. cap. 30. de Locociagenſi monaſterio. *Diſtat autem ab vrbe Pictava quaſi ſtadijs quadraginta*, & ante Sidon. libr. 2. epiſt. 2. de Seronato *totum quod concupiſcit, quaſi comparat*, id eſt aliena rapit, quaſi emat. Aliquando particula quaſi denotat veritatem & proprietatem ut in Evangelio Joannis *quaſi vnigeniti à patre.*

Et limbum aureis contextum filis in partes diſſecaſti. Limbus vulgò accipitur pro fimbria ſeu ora veſtis, ſed & accipitur pro veſte limbo adornata, Trebellius Pollio in Zenobia. *Ad conciones galeata proceſsit, cum limbo purpureo* : & Hieronym. in Matth. libr. 4. cap. 27. *Chlamydem coccineam, pro rufo limbo quo Reges veteres vtebantur.* Et hoc loco limbus accipi videtur pro veſte pretioſa aureis filis contexta, Chilpericus enim exprobat Prætextato, quod inter cæteras veſtes, quæ apud eum commendatæ erant cuſtodiæ cauſa à Brunichilde Regina limbum aureis filis contextum in partes ſecuerit, & dederit quibuſdam ut eos duceret in partes Merovei adverſus ipſum, vix enim credibile eſt imo ineptum eſſet fimbriam veſtis ſcindi, ut in plures diſtribueretur, ad immane ſcelus eos ſollicitandi cauſa.

Proprium mihi eſſe videbatur, quod filio meo Meroveo erat quem de lavacro regenerationis excepi. Prætexiatus apud Chilpericum Regem ſe excuſat, quod antidori gratia quibuſdam

dediſſet veſtes Merovei, quæ cuſtodiæ cauſa apud eum depoſitæ erant, quia pro proprijs habebat, quod pertinerent ad Meroveum, qui ei filius ſpiritualis erat, quod ab eo ex baptiſmo ſuſceptus eſſet. Suſcepti ex baptiſmo ſunt filij ſpirituales & hoc eſt quod repetit paulò poſt Prætextatus. *Filius enim mihi erat, vt ſæpe dixi ſpiritalis ex lavacro.* Suſcepti ex baptiſmo ſunt filij ſpirituales, unde filiolos vocant, & ſuſceptorem patrem ſpiritualem vel patrinum can. in catechiſmo can. in baptiſmate de conſecrat. diſt. 4. Gregor. libr. 6 cap. 16. *Interea oritur intentio inter illum, & Phatirem ex Iudæo converſum, qui jam filius Regis erat ex lavacro.* de quo Vicecomes fusè de baptiſm. libr. 1. cap. 30.

Hæc eo dicente proſternitur Rex coram pedibus Sacerdotum dicens, audite ô pijſsimi Sacerdotes. Ea fuit reverentia Principum in Epiſcopos, ut ad eorum genua devolverentur, & eorum manus oſcularentur. Ambroſ. de dignitate Sacerdotali cap. 2. *Quippe cùm videas Regum colla, & Principum ſummitti genibus Sacerdotum, & exoſculatis eorum dexteris, orationibus eorum credent ſe committi.* Hilarius Pictavienſ. E. contrà Conſtantium. *Oſculo Sacerdotes excipis, quo & Chriſtus eſt proditus, caput benedictioni ſubmittis, vt fidem calces.*

His ita geſtis petijt Rex, vt aut tunica ejus ſcinderetur, aut centeſimus octavus pſalmus, qui maledictiones Schariothicas continet, ſuper caput ejus recitaretur, aut certè judicium contrà eum ſcriberetur, nè in perpetuum communicaret. Poſtquam Prætextatus aulicorum artibus deceptus, falſum crimen confeſſus eſt, Chilpericus Rex petijt ab Epiſcopis, ut in pœnam aut ejus tunica ſcinderetur, aut 108. pſalmus qui maledictiones Schariotichas continet, id eſt prophetico ſpiritu diras in Judam Iſcariothem, ſuper eum recitaretur, aut communione in perpetuum interdiceretur. His pœnis interceſſit Gregorius, quaſi non canonicis, nixus promiſſione Regis, ut nihil extra canones gereretur. Sciſſio veſtis pœna non canonica viſa eſt, quia ignota eſt canonibus Eccleſiaſticis, non ignota tamen fuit veteribus. Quintil. declamat. 8. *Mirum hercle ſi ſcindo veſtes, nudo corpus, ignes flagella depoſco. Homini non eſt nova res dolor corporis appliciti, quod ſciſſa laceraque veſte non poteſt ferre pudorem,*

quod neſcit ad flagellorum vices membra componere, quem vix à genibus tortor abducit, cui jam ſciſſas quoque difficile poſsis eripere veſtes, diceres mehercle te velle torqueri, ego ſcindo veſtes, tu intremiſcis. Idem declam. 18. *Pater in tormentis filij non averſos tenuit oculos, ipſe veſtes ſcidit, velamenta laceravit.* Benedictum tamen ſedis Apoſtolicæ invaſorem à Leone VIII. ſolemniter depoſitum abſciſſo pallio Pontificali, & fracta ferula paſtorali refert Regino 2.chronic. Martyres in agone veſte nudati, Martyrium paſſus eſt Cyprianus depoſito Byrrho & Dalmatica, in linea, id eſt camiſia linea. Pontius Diaconus in vita Cypriani apud Surium. 14. Septemb. *Et ita idem Cyprianus in agrum Sexti perductus eſt, & ibi ſe lacerno birro expoliavit, & genu in terram flexit, & in orationem ſe domino proſtravit, & cum ſe dalmaticâ expoliaſſet & Diaconibus tradidiſſet, in linea ſtetit, & cœpit ſpiculatorem ſuſtinere* &c. Novum pœnæ genus fuit ut Epiſcopus pœnæ cauſa maledictis Iſcarioticis inceſſeretur, recitato ſuper eum pſalmo 108. quo de Juda Prophetatum ſcribit Auguſtin. in hunc locum, & ideò à Patribus rejectum, quia pœnæ canonicæ certæ ſunt, id eſt à Canone definitæ, nec Eccleſia alias admittit. can. dictum eſt 81. diſt. cap. cum non ab homine extr. de judicijs. Præter Canones fuit id pœnę genus quod depoſcebatur, ut in perpetuum communione interdiceretur, quia etiam excommunicatis non negatur ſacra Communio in extremis pœnitentibus Conc. Nicen. can. 12. & epiſt. Leonis 89. can. de his qui 26. qu. 6. can. ſi qua fœmina can. hi qui 50. diſt. Thietgaudûs Treverenſis & Guntherius Colonienſis Archiepiſcopi à Nicolao I. depoſiti propter divortium Lotharij & Thietbergæ, ſalvâ communione laïca can. Teugvaldum 11. q. 3. Joannes Diacon. lib. 4. cap. 44. Acrius intereeſſit Gregorius nè Epiſcopus præter Canones damnaretur, longè curialius rem tractavit Bertramnus Burdegalenſis Epiſcopus his verbis quæ paulò ante referuntur à Gregorio Prætextatum affatus. *Audi ô frater & Coëpiſcope quia Regis gratiam non habes, ideòque nec noſtra charitate vti poteris, priuſquam Regis indulgentiam merearis*, quaſi diceret perduellionis damnatus proprio judicio propria confeſſione, à communione fratrum & Coepiſcoporum arceris, donec Regis beneficio

neficio reſtituaris. Excommunicati in gratiam Principis recepti, vel ejus menſæ adhibiti, pro abſolutis & reſtitutis habentur Capitular. libr. 5. cap. 383. quod deſumptum eſt ex Conc. Tolet. 12. can. 3. Ita Prætextatus poſt deceſſum Chilperici Regis, à Guntrano Rege ſuſceptus, & epulis ejus adhibitus Epiſcopatum recepit de quo Gregorius libr. 7. cap. 16. *Et ſic à Rege ſuſceptus, atque connivio ejus adſcitus, ad vrbem ſuam regreſſus eſt*, laudatur hoc Capitulare ab Juone Carnotenſi epiſt. 61. & 171.

Meroveus verò dum in Remenſi Campania latitaret, nec palam ſe Auſtraſijs crederet à Taravannenſibus circumventus eſt. Idem Fredegar. cap. 78. Auſtraſij ſunt Lotharingi. Auſtraſia Tetrarchia regni Francorum, cujus caput fuit Metis. Taravannenſes ſeu Tarvannenſes, Tarvanna civitas Morinorum in Belgicâ vulgò *Terovenne*, quę ſolo everſa eſt à Carolo V. Imp. ejus ſedes Epiſcopalis Bononiam tranſlata.

Morini hodie Flādri chroni. Normann. ad ann. 1651. Comes Morinorum. quos moderni Flandros nominant.

Gailenum verò adprehenſum abſciſsis manibus & pedibus auribus & narium ſummitatibus, & alijs multis cruciatibus adfectum, infeliciter necaverunt. Gailenus ob necem Merovei nati Chilperici Regis manibus pedibus auribus & naribus truncatus. In reis læſæ majeſtatis mutilatio membrorum corporis, fuit pœna frequens hac ætate Gregor. infr. h. libr. cap. 26. *Sed & duo filij ejus Burgolenus & Dodo ob crimen majeſtatis læſæ judicio mortis ſuſcepto, vnus ab exercitu vi oppreſſus eſt, alius in fuga adprehenſus, truncatis manibus & pedibus interijt.* Idem libr. 7. cap. 20. de clerico ſubmiſſo à Fredegunde ut Brunichildem necaret. *Reſeranſque quæ acta fuerant, manuum ac pedum abciſsione multatur.* Idem libr. 10. cap. 18. *quibus per loca ſingula inquiſitis alios carceribus mancipant, alios manibus inciſis relinquunt, nonnullos auribus naribuſque amputatis ad ridiculum laxaverunt.*

Crindionem quoque intextum rotæ in ſublime ſuſtulerunt. Pœna rotæ antiquior in Gallia, decipiuntur qui credunt eſſe inventum Germanorum. Gregor. infr lib. 6. cap. 33. *Tunc regina tormentis gravioribus mulieribus adfectis, alias necat, alias incendio tradit, alias rotis oſsibus confractis invertit.* Rota etiam Græcis notum pœnæ, ſeu quæſtionis genus. Apuleius met.

libr. 3. *Nec mora cum ritu Græcienſi ignis & rota, tum omne flagrorum genus inferuntur..*

Gucilionem qui quondam Comes palatij Sigiberti Regis fuerat, abſciſſo capite interfecérunt. Comes palatij erat præpoſitus regiæ, qui præerat juri dicundo & in majoribus rem referebat ad Principem Eginart. in Carolo M. *Cum calciaretur & amiciretur, non tantùm amicos admittebat, verum etiam ſi Comes Palatij litem aliquam eſſe diceret, quæ ſine ejus juſſu definiri non poſſet, ſtatim litigantes introduci juſsit, & velut pro tribunali ſederet lite cognita ſententiam dixit.* Hincmar. Rhemenſ. epiſt. ad Epiſcopos Franciæ cap. 14. *Et Comes Palatij de omnibus ſecularibus cauſis, vel judicijs ſuſcipiendi curam inſtanter habebat.* & cap. XXI. ejuſd. epiſt. *Comitis autem Palatij inter cætera penè innumerabilia, in hoc maximè ſollicitudo erat, vt omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ, propter æquitatis judicium, palatium aggrediebantur, juſtè ac rationabiliter determinaret.*

Cap. 20. *Nam deambulans per palatium vidit in pavimento domus tabulam marmoream in qua crux dominica erat ſculpta, & ait cruce tua domine frontem noſtram munimus & pectora, & ecce crucem ſub pedibus conculcamus, & dicto citiùs juſsit eam auferri,* Tiberius Cæſar videns tabulam marmoream in pavimento domus inſculptam ſigno Crucis dominicæ, motus religione, ſtatim juſſit eam tolli, non ſine præſenti divini numinis gratia, erutâ enim tabulâ primâ ſecundâ & tertiâ, quæ pariter erant inſculptæ ſigno crucis, inventus eſt ingens theſaurus, de quo largè ut ſolebat erogavit in pauperes. Ante Tiberium conſtit. Theodoſij & Valentiniani vetitum, nè ſignum crucis dominicæ inſculperetur in ſolo vel lapide vel marmore humi poſito l. unic. C. nemin. lic. ſign. Salvat. Chriſt. Idem vetitum ſyn. 6. in Trull. can. 73. præter Gregorium de Tiberio, idem narrat Paul. Diaconus libr. 38.

Quâ ablatâ inveniunt magnum theſaurum habentem ſupra mille auri centenaria. Centenarium eſt quantitas centum numorum aureorum, præter hunc locum Gregorius infr. h. cap. de Narſete Duce. *Ibique in domo ſua occultè ciſternam magnam fodit in qua multa millia centenariorum auri argentique repoſuit.* Idem infr. h. libr. cap. 31. *Tranſactis igitur paucis diebus, adveniens*

Juſtinianus, pedibus ſe projecit Imperatoris, quindecim ei centenaria auri deferens ob meritum gratiæ. Idem de glor. Confeſſ. cap. 63. *Qua ſanata tria ei centenaria auri Imperator offert.* Et Gregorius 1. libr. 7. epiſt. 129. *de ſex verò centenarijs qui in Cimeliarcho Ravennatis Eccleſiæ fuerant commendati, ab excellentiſſimo Exarcho, in quotidiana militum præfecturæ ſunt mutuati.* ubi plura dixi.

Celebrante Victore Tricaſtinorum Epiſcopo ſolemnitatem natalitij ſui. Dies anniverſarius ordinationis Epiſcoporum ſolemniter celebrari ſolebat, de diè ordinationis Aurelij Carthaginenſis Epiſcopi teſtatur Auguſtin. de verb. Domin. ſerm. 32. *Dies anniverſarius ordinationis domini ſenis Aurelij craſtinus illuſceſcit, rogat & admonet per humilitatem meam charitatem veſtram, vt ad Baſilicam Fauſti devotione venire dignemini*, de die ſuę ordinationis idem Homil. 24. *Verumtamen cum dies anniverſarius noſtræ ordinationis exoritur, tunc maximè honor hujus officij, tàmquam primo imponatur attenditur.* Dies ordinationis Epiſcoporum honoris cauſa natalis Epiſcoporum vocabatur quaſi nati eſſent Deo & Eccleſiæ, in die ordinationis ſuæ, præter hunc locum Gregor. ipſe de mirac. B. Martin. lib. 1. cap. 6. *Dicit eis vnus ex clericis; ſciatis quia poſt hoc triduum natalis Epiſcopatus ejus eſſe conſueverat, & forſitan in hac die ſe transferri debere vos admonet*, memoratur Victor Tricaſtinenſis Epiſcopus. Auguſta Tricaſtinorum, civitas Epiſcopalis in ſecunda Narbonenſi, *S. Pol de Tricaſtin.* Tricaſtrum eſt etiam oppidum Burgundiæ juxta Divionem. Cæſarius de mirac. libr. 5. cap. 42. *Villam quæ Tricaſtrum vocatur, juxta Divionem ſitam.* Cap. 21.

Quod cum Rex Guntchramnus comperiſſet, congregari Synodum apud vrbem Lugdunenſem juſſit, conjunctique Epiſcopi cum Patriarcha Nicetio beato, diſcuſsis cauſis, invenerunt eos de his ſceleribus quibus accuſabantur valdè cōvictos, præceperunt vt qui talia commiſerant Epiſcopatus honore privarentur. Salonius Ebredunenſis, & Sagittarius Vapincenſis Epiſcopi ob varia ſcelera damnati & depoſiti Epiſcopatu in Concilio Lugdunenſi Præſide Nicetio Lugdunenſi Epiſcopo, quem Gregorius hic vocat Patriarcham, quia Epiſcopus Lugdunenſis eſt Primas Gal-

liarum, Primates quandoque Patriarcharum nomine cohoneſtantur, ut Priſcus Lugdunenſis Epiſcopus Patriarchæ nomen aſſumpſit in præf. Conc. Matiſconenſis 2. *Priſcus Epiſcopus Patriarcha dixit* &c.

At illi cum adhuc propitium ſibi Regem eſſe noſſent, ad eum accedunt, implorantes ſe injuſtè remotos, ſibique tribui licentiam, vt ad Papam vrbis Romanæ accedere debeant. Rex verò annuens petitionibus eorum, datis epiſtolis eos abire permiſit. Salonius & Sagittarius Epiſcopi, in Concilio Lugdunenſi depoſiti à ſententia depoſitionis appellarunt, ad Joannem Papam. Is fuit hujus nominis III. & permiſſu Guntrani Regis Romam petierunt. Ait datis epiſtolis, quia Epiſcopi à regni finibus pedem efferre vetantur abſque conſenſu Regis. Eadem ratione Briccius Turonenſis Epiſcopus ſede ſua pulſus, reſtitutionis petendæ cauſa acceſſit ad ſedem Apoſtolicam. Gregor. ſupr. lib. 2. c. 1.

Qui accedentes coram Papa Ioanne, exponunt ſe nullius rationis exiſtentibus cauſis dimotos, ille verò Epiſtolas ad Regem dirigit, in quibus locis ſuis eoſdem reſtitui jubet. Salonius & Sagittarius Epiſcopi, in Concilio Lugdunenſi depoſiti, à Joanne III. Pontifice reſtituti, litteris eo nomine miſſis ad Guntranum Regem ut reciperentur, quibus Regem paruiſſe ſubjungit Gregorius, *Quod Rex ſine mora, caſtigatis prius illis verbis multis implevit.*

Vnde in poſterum à communione ſuſpenſus eſt, pro eo quod publicè accuſans, clam inimicis peperciſſet, abſque conſilio quibus accuſaverat fratrum. Victor Tricaſtrenſis Epiſcopus à coepiſcoporum & fratrum communione ſuſpenſus, quia diſceſſit ab accuſatione Salonij & Sagittarij Epiſcoporum ſine conſilio fratrum, quo adhibito fuerant accuſati. Qui ab accuſatione, deſtitit, pœna Turpiliani tenetur l. 1. §. ult. & l. 2. ff. ad Turpill. l. 2. & ult. C. eod.

Quibus advenientibus noluit ſuis obtutibus præſentari, ſcilicet vt priùs habita audientia, ſi idonei invenirentur, ſic Regis præſentiam mererentur. Salonius & Sagittarius Epiſcopi poſt reſtitutionem recidiva in crimina lapſi, & delati apud Guntranum Regem non priùs admiſſi à Guntrano Rege, quam cauſa cognita idonei, id eſt expertes criminis invenirentur. Idonei

ſunt qui vacant crimine, vel ſuſpicione criminis. Gregor. infr. h. libr. cap. 32. *Novi inquit pater ego filiam meam benè idoneam.* Idem libr. 9. cap. 13. *Si eum cum idoneis hominibus Fredegundis ab hac actione, qua impetitur immunem fecerit, abſcedat liber* & infra *Sed veniens Pariſius, nullus de parte memorata mulieris adfuit, qui eum idoneum redderet.* Idemque cap. 16. ejuſd. libr. *de quo ſacramento ſi vultis aut qualibet alia conditione idoneus reddi poteſt.* Et hoc eſt quod ait can. 3. Conc. Nicen. Epiſcopis & clericis non licere habere ſubintroductam, niſi fortè matrem aut fratrem, aut amitam, aut etiam idoneas perſonas, quæ effugiant omnem ſuſpicionem can. quoniam 32. diſt. Similiter Capitular. libr. 3. cap. 89. liceat ei ſecundum legis ordinem manu propria ſe idoneum facere, inde idoneare eſt innocentiam purgare Capitul. eod. lib. cap. 64. *Et ſi negaverit cum* XII. *ſuis juratoribus, ſe idoneare faciat.*

Sed Sagittarius felle commotus, declamare plurima de Rege cœpit ac dicere, quod filij ejus regnum capere non poſſent, eo quod mater eorum ex familia Magnacarij, quondam adſcita, Regis thorum adijſſet, ignorans quod prætermiſsis nunc generibus fœminarum, Regis vocitantur liberi, qui de Regibus fuerint procreati. Guntranus duxit uxorem Marchitrudem filiam Magnacarij, quâ dimiſſa Auſtrigildem ejuſdem ancillam cognomento Bobilam ſuperduxit, de qua duos ſuſcepit filios Clotharium & Chlodomerem, teſte Fredegario cap. 56. & hoc eſt quod Salonius Epiſcopus jactavit, ejus liberos regni compotes non eſſe, quod nati eſſent è matre, quæ erat ex. familia Magnacharij, id eſt una ex ancillis Magnacharij, quæ traditæ erant Marchitrudi filiæ Magnacharij nubenti Regi Guntrano. Servi enim & ancillæ dicuntur eſſe de familia patroni l. cum pater §. fidei de legat. 2. l. ult. C. de VS. Notatur error Salonij, quia liberi ſequuntur patrem non matrem, nec inſpecto genere matris, regij ſunt liberi qui de Rege ſunt procreati. Ait declamare pro detrahere de quo dicam infr. libr. 7. cap. 36.

Clericis matutinis in Eccleſia celebrantibus. Officium divinum ſtatis horis diurnis & nocturnis diſtinctum eſt, matutinum eſt quod albeſcente die celebratur. Etiam laïci utriuſque ſexus matutinis non defuére Gregor. de glor Confeſſ. cap. 65. *Exper-*

geſacta autem admirans viſionem, eamdemque oblivioni non tradens, ad matutinum ſecundum conſuetudinem ſurrexit. Idem de mirac. B. Martin. libr. 3. cap. 23. *Interea beati ſignum movetur horis matutinis, aggregatur & populus, vigilijſque celebratis virtus ſancti clarificata perpatuit.* Quod memorabile eſt, etiam Reges ipſi ſolebant procedere ad matutinas Gregorius infr. libr. 8. cap. 44. *Manè facto procedente Rege, ad matutinos, ac præeunte cereo.*

Nulla prorſus de Deo erat mentio, nullus omninò Curſus memoriæ habebatur. Curſus eſt univerſum divinum officium ſtatis horis diurnis & nocturnis diſtinctum, ſic dictum quia eſt quaſi ſtadium, quo per ſingulas horas decurritur, canendis Dei laudibus. Gregor. de mirac. Martyr. lib. 1. cap. 11. *Exurgente autem manè Abbate cum Monachis ad celebrandum curſum, viderunt multitudinem auri ſuper altare.* Idem de glor. Confeſſ. cap. 38. *Nam poſt impletum in oratorio curſum, elevabatur clam à præſentia fratrum.* Fortunat. in vit. S. Germani Pariſienſ. Epiſcopi apud Surium 18. Maij. *Donec clareſcente jam die, decantatus ſolemniter curſus univerſus conſummaretur ex Canone.* Abbo de obſidione Pariſiacæ urb. libr. 2. *Vnde Sacerdotes ſtatuere locum venerantes, qui miſſas curſuſque ſacros illic celebraſſent.* Nec modò Curſus dicebatur univerſum officium divinum nocturnum & diurnum, verum etiam officium ſingularum horarum, in quas dividebatur officium. Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 96. *Cum ſignum ad curſum horæ tertiæ audieris inſonare*, & Fortunat. loco modo laudato, *Decantato curſu tertiæ.*

Vſque ad horam diei tertiam dormiebant. Notat Salonium & Sagittarium Epiſcopos, qui tota nocte epulantes, dormiebant, ad horam diei tertiam, quæ eſt hora miſſæ publicæ, id eſt hora nona Conc. Aurelian. 3. can. 14. Hora ſexta eſt hora prandij quæ eſt meridiana. Hieronym. 2. ad Jovin. *Petrus Apoſtolus, non expectans ſtellam more Iudaïco, ſed hora ſexta in ſolarium pranſurus aſcendit.* Gregor. de mirac. B. Martin. libr. 2. cap. 1. *In quo tam præſens fuit beneficium, vt cum datum fuerit hora tertia, incolumis procederem ad convivium, ipſo die hora ſexta.*

Ingetrudis autem religioſa conſuetudinem habebat, aquam de ſepulchro S. Martini colligere, Colligi ſolebat aqua, quâ aſper-

ſum erat ſepulchrum ſancti Martini, è qua multæ curationes fiebant. Gregor. de mirac. B. Martin. lib. 2. cap. 51. *Plerique de oleo quod inibi habetur, delibuti liberabantur, fuitque nonnullis remedium aqua illa, vnde ſepulchrum ablutum eſt* Idem libr. 3. cap. 34. de uxore Eborini Comitis. *Cumque jam in diſcrimine mortis haberetur, ſancti ſepulchri benedictionem expetijt, tunc tranſmiſſum eſt ei de aquâ, qua beati tumulus eſt in Paſcha Domini ablutus.* Cineres Martyrum ſolebant vino perfundi, è quo ſequebantur multæ curationes. Prudent. Periſteph.

Tum de corporibus ſacris favillæ
Et perfuſa mero léguntur oſſa
Quæ raptim ſibi quiſquè vindicabat.

Ingeltrudis Religioſa monaſterium puellarum in atrio baſilicæ ſancti Martini inſtituit de quo Gregor. infr. libr. 9. cap. 33. & libr. 10. cap. 12.

Ennodium ex Comitatu, ad Regis præſentiam perduxerunt. Cap. 25.
Chilpericus Pictavis civitatem quæ erat Childeberti Regis invaſit. Ennodius ex Comitatu in Regis conſpectum deductus, ait Ennodium ex Comitatu nimirum Ennodius erat Comes Pictavenſis, qui occupata civitate à Chilperico Comitatu pulſus, unde dicitur ex Comitatu vel ex Comite, Chilpericus invaſis civitatibus fratris ſui ſeu nepotis novos Comites inſtituit ſingulis in civitatibus. Gregor. infr. libr. 6. cap. 22. *Rex igitur Chilpericus pervaſis civitatibus fratris ſui novos Comites ordinat, & cuncta jubet ſibi vrbium tributa deferri*, poſteà Ennodius reſtitutus Gregor. libr. 8. cap. 26. *Turonicis verò atque Pictavis Ennodius Dux datus eſt.* Et hoc eſt quod de Ennodio ſubjungit Gregorius hic. *ſed poſt annum & patriæ & facultatibus redditus eſt.*

Iſte quoque cum vinctus detineretur, & cerneret ſe penitus non evaſurum, à Presbytero Rege neſciente pœnitentiam petijt, quâ acceptâ interfectus eſt. Dacco in vinculis detentus, quod relicto Chilperico Rege ad Childebertum tranſijſſet, petijt pœnitentiam, id eſt abſolutionem peccatorum, quæ datur pœnitenti & ſacram Communionem à Presbytero, quâ acceptâ morte pœnas dedit. Damnatis ultimo ſupplicio non denegatur pœnitentia, & ſacra Communio ex Conc. Moguntin. 2. Can. 27. Can.

quæſitum 13. qu. 2. Hac ætate morte damnati ſolebant admitti ad ſacram communionem, ſed hoc deſijt eſſe in uſu.

Et caſſo eum verberans ictu, haſtili diviſo enſis in terram ruit. Caſſus ictus eſt idem quod irritus & inanis. Idem Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 2. cap. 18. *nam viſibiliter cum magno armorum ſtrepitu venientes conabantur eum caſsis telorum acuminibus perfodere.* Sic caſſa fructuum ſunt priores fructus, qui immaturi decidunt Ambroſ. in Lucam libr. 7. cap. 13. *In hac poma decidunt, vt poma ſuccedant, ergo priora illa caſſa fructuum, vice floris emergunt.* Caſſare pro caſſum & inane reddere. Gregorius infr. libr. 10. cap. 24. *Verumtamen nec illa caſſata ſunt, quæ viro huic ab ipſo vt ita dicam Angelo Domini ſunt effata.* Caſſa nux pro inani Plaut. in Pſeudolo. *Te amatorem inventum eſſe inanem, quaſi caſſam nucem.* Virgo dote caſſa, pro indotata idem in Aulularià. *Virginem habeo grandem, dote caſſam, atque illocabilem.*

Cap. 27. *Et contra Varrochum filium quondam Macliani, ad Vicinoniam fluvium reſident.* Vicinonia eſt amnis qui in finibus Cenomannenſium oritur, Redones præterlabitur, & Britanniam minorem rigat. Ejuſdem meminit Gregorius libr. 10. cap. 9. *Interea venerunt Vicinoniam amnem* & infra *cumque in littus illud Vicinoniæ amnis reſtitiſſent.* Hodiè *la villaine.*

Sed ille doloſè per mortem ſuper Saxones Baiocaſsinos inruens maximam exinde partem interfecit. Baiocaſſini Saxones duo fuére diverſi populi qui in unum coïére Saxones è Britannia, quam declinante Imperio occuparunt, tranſiére in Galliam, nè dubites, Baiocaſſinos Saxones cultu veſtium & tonſi capitis Britannis pares depingit Gregorius libr. 10. cap. 9. *Fredegundis enim cum audÿſſet, quod in hoc procinctu Beppolenus abiret, quia ei jam ex anteriore tempore inviſus erat Baiocaſsinos Saxones juxta ritum Britannorum tonſos, atque cultu veſtimenti compoſitos, in ſolatium Vvaroni abire præcepit.*

Poſt hæc Chilpericus. Rex de pauperibus & junioribus Eccleſiæ vel baſilicæ bannos juſsit exigi, pro eo quod in exercitu non ambulaſſent, non enim erat conſuetudo, vt hi vllam exſolverent publicam functionem. Bannus eſt edictum, vel citatio ad placitum

tum vel ad militiam, & pœna non reſpondentis ad placitum vel ad delectum, & hoc ſenſu Gregorius Bannum accipit hoc loco, cum ait Chilpericum Regem bannos exegiſſe à pauperibus & junioribus Eccleſiæ, præter conſuetudinem, ob id quod vocati ad militiam defuiſſent, quæ pœna erat pecuniaria, nimirum 60. ſolidorum Capitulare Caroli magni libr. 6. cap. 96. *Et inſuper bannum noſtrum, id eſt ſexaginta ſolidos nobis perſolvat*, quod repetitum eſt Capitul. Caroli Calvi tit. 29. cap. 4. Alia & gravior apud Romanos erat pœna non reſpondentis ad delectum nempe redactio in ſervitutem, l. 4. §. graviùs ff. de re milit. vel dirutio villæ, & arbuſtorum ſucciſio l. ſi is cum quo ff. commun. dividund. Bannus præter conſuetudinem exactus à pauperibus & junioribus Eccleſiæ, quia utrique erant immunes ab onere militiæ, militia erat munus Leodum id eſt militum, qui beneficia tenerent à Principe. Fredegar. cap. 87. *Iuſſu Sigeberti omnes Leudes Auſtraſiorum in exercitu gradiendum banniti ſunt.* Pauperes hoc loco intelliguntur matricularij Eccleſiæ, id eſt pauperes qui erant in matricula Eccleſiæ, qui erant inſcripti in matricula ſeu tabula pauperum, qui alebantur ſumptu Eccleſiæ. Gregor. de mirac. B. Martin. libr. 1. cap. 31. *Cum ad matriculam illam quam ſanctus ſuo beneficio devotorum eleemoſinis paſcit, quotidie à fidelibus neceſſaria tribuantur conſuetudinem benedicti pauperes habent, vt cum multi ex his per loca diſceſſerint, cuſtodem inibi derelinquant, qui quod fuerit oblatum accipiat* & infra, *interrogatus autem à circumſtantibus quod ſibi eſſet reſpondit, trientem illum quem pauperes requirebant perjuravi, & ideò me præſens vindicta flagellat, ſed rogo vt eum accipientes reddatis matriculæ.* Idem lib. 2. de mirac. ejuſd. cap. 22. *quæ vigilijs & orationibus inſiſtens, cum matriculam quæ ibidem congregata eſt paſceret.* Idem de mirac. Martyr. lib. 2. cap. 37. *Celebratiſque vigilijs mane pauperibus qui ad matriculam illam erant, cibum potumque protulit.* Flodoard Hiſt. Rhem. lib. 1. cap. 18. *Pauperibus duodecim in matricula poſitis ante fores Eccleſiæ exportantibus, ſtipem duo ſolidi vnde reficiantur inferentur.* Synod. Antiſſ. can. 3. *Sed quicumque votum habuerit in Eccleſia vigilet, & matriculæ ipſum votum, aut pauperibus reddat,* Vnde matricularij dicti pauperes qui erant in matriculâ & elee-

moſina Eccleſiæ. Gregor. infr. lib. 7. c. 29. *Nonnulli etiam matriculariorum, & reliquorũ pauperum, pro ſcelere commiſſo tectum cellulæ conantur evertere.* Hincmar. in vit. Remigij apud Surium 13. Jan. Et ex eo Flodoard. libr. 1. cap. 10. *Quæ omnia in vaſe quod vulgò Benna dicitur collocavit & carro ſuperpoſuit, ſicque junctis bubus, candelam in manu habens, ad baſilicam ſancti Remigij properavit, quo perveniens de pane & carne, ac cerviſia matricularios pavit &c.* Et hi ſunt pauperes è quorum numero Riculfum Archidiaconum Turonenſem ordinatum eſſe refert Gregorius infr. h. libr. cap. 49. *Nam hic ſub Eufronio Epiſcopo de pauperibus provocatus, Archidiaconus ordinatus eſt.* Juniores Eccleſiæ ſunt minores clerici Capitul. libr. 5. cap. 121. & libr. 6. cap. 154. Conc. Matiſconeſ. 1. can. 8. Pariſienſ. can. 10. Minores clericos vocat Gregorius infr. h. libr. cap. 49 *Majores clericos muneribus ditat, largitur vineas prata diſtribuit, minores verò fuſtibus, plagiſque multis, etiam manu propria adfecit*, vel etiam ſunt ſervientes & famuli Eccleſiæ, & hoc eſt nomen officij ſeu obſequij non ætatis. Hoc ſenſu Juniores pro miniſtris ſeu officialibus regijs accepit Beda libr. 5. Hiſt. Anglicæ cap. 7. *Abeunte autem Romam Ceadualla, ſucceſsit in Regnum Hun de ſtirpe regia, qui cum triginta ſeptem annis imperium tenuiſſet gentis illius, & ipſe relicto regno, ac Iunioribus commendato ad limina Beatorum Apoſtolorum Gregorio Pontificatum tenente profectus eſſet*, Inde Junioratus Eccleſiæ eſt beneficium ſeu præſtimonium affectum junioribus Eccleſiæ ſuſtentandis. Ivo Carnot. epiſt. 286. *ſuper dedimus Iunioratum Eccleſiæ de Pontogodonis.* Vbi Iuretus.

Cap. 28. *Apud Cavillonum civitatem Synodus acta eſt ex juſſu Principis Guntchramni*, in cauſa Salonij & Sagittarij Epiſcoporum ſecunda Synodus celebrata eſt apud Cabillonum juſſu Guntrani Regis, moris fuit in Gallia concilia Epiſcoporum cogi non ſine juſſu Regis, ut ante in cauſa eorumdem acta eſt Synodus apud Lugdunum juſſu ejuſdem Regis. Gregor. ſupr. h. libr. *Quod cum Rex Guntchramnus comperiſſet, congregari Synodum apud vrbem Lugdunenſem juſsit, conjunctique Epiſcopi eum Patriarcha Nicetio beato diſcuſsis cauſis invenerunt eos, de his ſceleribus quibus accuſabantur valde convictos.* Similiter

Synodus Matiſconenſis congregata eſt, juſſu Guntrani Regis in cauſa Epiſcoporum, qui Gundobaldum admiſerant. Gregor. infr. libr. 8. cap. 20. *Interim dies placiti advenit, & Epiſcopi ex juſſu Regis Guntchramni, apud Maticenſem urbem collecti ſunt*, & ubi in ſingulis tetrarchijs ſeu ſortibus regni quid emendandum erat, quod ad Eccleſiaſticam vel publicam diſciplinam, Synodus Provincialis juſſu Principis convocari ſolebat, & hoc eſt quod dicebat Fœlix Nannetenſis Epiſcopus unus è legatis Childeberti Regis ad Guntranum Regem apud Gregorium infr. libr. 9. cap. 20. *Sed juxta conſuetudinem Canonum, placebat glorioſiſsimo nepoti veſtro, ut unusquiſque Metropolis comprovincialibus ſuis conjungeretur, & tunc quæ inrationabiliter in regione propria fiebant, ſanctione Sacerdotali emendarentur.*

Sed hæc per pœnitentiam purgari cenſentes Epiſcopi, illud eſt additum, quod eſſent rei majeſtatis, & patriæ proditores. Secunda Synodus acta eſt apud Cabillonum in cauſa Salonij & Sagittarij Epiſcoporum, in ea repetita eſt accuſatio ijſdem de criminibus, id eſt de adulterijs & homicidijs de quibus contra eos jam actum fuerat in Synodo Lugdunenſi, ſed cum Epiſcopi judicarent hujuſmodi crimina non eſſe digna depoſitione, & ea purgari poſſe per pœnitentiam, ſeu indicta pœnitentia, additum eſt crimen majeſtatis, quo diſcuſſo & probato depoſiti ſunt, & in baſilicam beati Marcelli ſub cuſtodiâ detruſi. Mitius puniuntur Epiſcopi propter reverentiam ordinis Sacerdotalis, etiam in crimine majeſtatis in eos minimè ſævitum in necem, ſed cuſtodia eis pœna fuit ut Gregorius hoc loco oſtendit in Salonio & Sagittario, qua de cauſa ab Epiſcopatu dejecti in baſilicam Beati Marcelli ſub cuſtodia detruduntur, & Urſicino Cadurcenſi Epiſcopo in Synodo Matiſconenſi quod Gundobaldum intra urbem admiſiſſet, non gravior pœna impoſita eſt quàm pœnitentia, & ſuſpenſio ab officio per triennium de quo Gregorius infr. libr. 8. cap. 20. Epiſcopi & Clerici non mittuntur in carcerem publicum, ſed in cuſtodiam Eccleſiæ. Hinc Seronatum quod carceres clericis impleret notat Sidon. libr. 2. epiſt. 1. *Implet altaria reis, carceres clericis.* Cap.

Chilpericus vero Rex deſcriptiones novas, & graves in omni 29.

regno ſuo fieri juſsit. Chilpericus notatur de exactione novorum vectigalium. Deſcriptiones ſunt delegationes quibus tributorum, & vectigalium modus continetur l. omnes C. de Annon. & Tribut. lib. 10. vulgò *la mande du Roy.* Gregorius infr. hoc cap. *Arreptis quoque libris deſcriptionum, incendio multitudo conjuncta concremavit.* Et idem infr. h. libr. cap. 34. *Tunc Rex compunctus corde, tradidit omnes libros deſcriptionis, igni, conflagratiſque illis miſit, qui futuras prohiberent deſcriptiones.* Idem libr. 6. cap. 28. *Marcus quoque Referendarius, poſt congregatos de iniquis deſcriptionibus theſauros ſubito lateris dolore detentus caput totondit, atque pænitentiam accipiens, ſpiritum exhalavit, reſque ejus fiſco collatæ ſunt.* Inde deſcriptores ſunt collectores vectigalium Gregor. infr. libr. 9. cap. 30 *Childebertus verò Rex deſcriptores in Pictavos invitante Maroveo Epiſcopo juſsit abire, id eſt Florentianum majorem domus Reginæ, & Romulphum palatij ſui Comitem,* quos paulò poſt ſcriptores vocat idem. *Gaiſo verò Comes ejuſdem temporis accepto Capitulario quod anteriores ſcriptores feciſſe commemoravimus, tributa cæpit exigere.*

Qua de cauſa multi relinquentes civitates ſuas, & poſſeſsiones proprias, alia regna petierunt. Notatur durities Regni Childerici, propter quam multi importabili tributorum onere exhauſti, migrabant in alias regiones Eadem fuit calamitas Provincialium inclinante Imperio Romano quam deplorat Salvianus libr. 5. *Itaque paſsim vel ad Gothos vel ad Bagaudas, vel ad alios vbique dominantes Barbaros migrant, & commigraſſe non pænitet, malunt enim ſub ſpecie captivitatis vivere liberi, quam ſub ſpecie libertatis eſſe captivi,* & Sidonius libr. 2. epiſt. 1. De Seronato. *Implet quotidie ſylvas fugientibus, villas hoſtibus, altaria reis, carceres clericis.*

Statutum enim fuerat vt poſſeſſor de propria terra, vnam amphoram vini per aripenne redderet. Apud Romanos tributa præſtabantur in ſpecie, id eſt in fructibus l. pen. C. de ann. & tribut. Hanc rationem inferendorum vectigalium Franci in Gallia ſtatutam nacti, eâ uſi ſunt. Hoc jure Chilpericus in Gallia de uno quoque aripenne vineæ amphoram vini exigebat, & Ludovicus Pius Rex Aquitaniæ, jam Carolo patre ſuperſtite

Albigenſes tributo vini & annonæ, quo præter modum gravabantur levavit Continuator Aimoin libr. 5. cap. 3. *quo tempore Albigenſes tributo quo in dando vino & annona gravabantur, ſuâ liberalitate relevavit.* Hoc genus tributi in ſpecie vini regiæ inferebatur menſæ Aimoin. lib. 3. cap. 31. *Inter cætera namque quæ cogebantur ſolvere, liberiori etiam orti progenie, è terrâ pro proprio culta labore, amphoram vini regiæ inferebant menſæ*, quod intelligendum eſt de unoquoque aripenne ut diligentiùs notat Gregorius, idem Regino 1. Chronic. *Hilpericus Rex deſcriptiones novas per conſilium Fredegundis in omni regno ſuo facit, vt unuſquiſque poſſeſſor de propria terra, de vno arpenne vnam amphoram vini ad partem Regis daret, & de jugero modium vnum, vnde populus valde oppreſſus vociferabatur ad dominum.* Aripennis eſt pars jugeri.

Sed & aliæ functiones infligebantur multæ, tam de reliquis terris quàm de mancipijs, functio eſt tributum quod penditur pro modo agri, & mancipiorum quæ adſcripta erant fundo, l. placet C. de SS. Eccleſ. can. præterea 51. diſt. Gregor. libr. 9. cap. 30. *Sed cum populis tributariam functionem infligere vellent, reſpondimus nos dicentes.*

Lemovicinus quoque populus cum ſe cerneret tali faſce gravari, congregatus in Calendis Martijs, Marcum Referendarium qui hæc agere juſſus fuerat interficere voluit. idem narrat Aimoin lib. 3. cap. 31. *Cùm Marcus Referendarius huic muneri præpoſitus cunctas Aquitaniæ urbes, quæ ad Regnum Chilperici reſpicere videbantur, ad hæc ſolvenda verbis, vel minis invitaret, à Lemovicinis ſeditione orta jugulatur*, in eo decipitur Aimoinus quod ſcribit Marcum Referendarium à Lemovicinis ſeditione mota jugulatum, locupletem enim teſtem habemus Gregorium, eum è periculo mortis ereptum beneficio Ferreoli Epiſcopi Lemovicenſis, qui ea ætate claruit, & interſuit Conc. Matiſconenſi, anno Chriſti 588.

Ferunt etiam tunc Abbates atque Presbyteros, ad ſtipites extenſos, diverſis ſubjacuiſſe tormentis. Damnati ad equuleum extenduntur ad ſtipitem. Hieronym. ad Innocent. de muliere ſepties icta. *At vero mulier ſexu fortior ſuo, cum eculeus corpus extenderet, & ſordidas fœtore carceris manus poſt tergum vincula*

cohiberent. Gregor. ipſe infr. libr. 9. cap. 38. *Nec mora extenſi inter ſtipites, cùm vehementius cæderentur, profitetur Septimina ſe virum ſuum Iovium maleficijs interfeciſſe ob amorem Droctulfi.* Idem infr. hoc libr. cap. 37. *cui adhuc viuenti retortis poſt tergum manibus, appenſo ad ſtipitem elicere quærebant, ſi in hac cauſa fuiſſet admixtus.* Noxialem ſtipitem appellat Prudentius Periſtephan. himn. 10.

Iubet amoveri noxialem ſtipitem,
Plebeia clarum pœnâ, nè damnet virum.

Ad ſtipitem revincti martyres vel alij igni cremabantur. Tertullian. Apologetic. cap. 50. *Licet nunc Sarmentitios & Semaxios appelletis, quia ad ſtipitem dimidij aſſis revincti ſarmentorum ambitu exurimur,* Gregor. infr. hoc libr. cap. 40. *ligata ad ſtipitem viuens exuritur flammis*, inde infelix ſtipes Minuc. in Octavio. *Deus enim ligneus, rogi fortaſſe, vel infelicis ſtipitis portio ſuſpenditur cæditur, dolatur, runcinatur.*

Cap. 39. *Eunius verò Epiſcopus de exilio reductus, Andegavo ad paſcendum delegatur, nec ad civitatem ſuam Veneticam redire permittitur.* Eunius ſive Eonius Epiſcopus Veneticæ urbis à Varocho Britannorum ſeu Britonum Comite legatus miſſus ad Chilpericum Regêm, exilio damnari juſſus ex Gregorio ſupr. h. libr. cap. 27. Idem poſtea de exilio revocatus, ſedi ſuæ non eſt reſtitutus, ſed Andegavum delegatus, id eſt relegatus ad paſcendum, id eſt ut ibi paſceretur ſeu aleretur fortè ſumptu Eccleſiæ quaſi in matricula Eccleſiæ poſitus, paſci dicebantur qui erant in matricula Eccleſię. Gregor. de mirac. B. Martin. libr. 1. cap 31 *Cùm ad matriculam illam, quam ſanctus ſuo beneficio, devotorum eleëmoſynis paſcit, quotidie à fidelibus, neceſſaria tribuantur.* Idem lib. 2. cap. 22. *Cùm matriculam quæ ibidem congregata eſt paſceret,* vel potiùs Eonius Andegavum rejectus, ut ibi ſuſtentaretur ſumptu fiſci ut refert Gregor. infr. hoc libr. cap. 44. *Eonius quoque Epiſcopus quem legatum Britannorum ſupra meminimus ad civitatem ſuam regredi non permiſſus ut Andegavis paſceretur de publicò à Rege præceptum eſt*, aliàs paſcere eſt epiſcopari, ſeu Paſtoris officio fungi Gregor. ſupr. lib. 2. cap. 23. *quia nec iſtud ſine hæreſi poteſt accipi vt in Eccleſia non obediatur Sacerdoti Dei, cui ad paſcendum oves commiſſæ ſunt.*

Sed cum eum ſecundum conſuetudinem loci ad ſpectaculum Circi præſtolaretur populus acceſſurum. Imperatores imperium inituri in Circum procedebant, ut à populo adclamationes & plauſus acciperent, & in eum largitiones facerent, Gregor inſr. libr. 6. cap. 30. *Igitur celebrato juſtitio Mauritius indutus diademate & purpurâ ad Circum proceſsit adclamatiſque ſibi laudibus largitis populo muneribus in imperio confirmatur,* in Circo conventus populi fieri ſolebat, occaſione ſpectandorum equeſtrium ludorum qui ibi celebrabantur. Ammian. libr. 28. *Eiſque templum, & habitaculum, & concio, & ſpes omnis Circus eſt maximus,* ait ſpes omnis quia largitiones populares fiebant in circo & theatro. Apud Græcos & orientales etiam conciones in theatro fieri ſolebant. Tacit. 2. Hiſt. *Tum Antiochienſium Theatrum ingreſſus, vbi illis conſultare moſ.* Juſtin. libr. 22. cap. 2. *Populum in theatrum ad concionem vocari jubet* Cornel. Nepos in Timolcont. *Veniebat in Theatrum, quum ibi concilium populi haberetur.* Apud Alexandrinos præfectus Ægypti jus dicebat in Theatro de Oreſte Socrat. libr. 7. cap. 13. καὶ δὴ τοῦ Ὀρέστου, τοῦ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπάρχου, πολιτείαν ἐν τῷ θεάτρῳ ποιοῦντος, οὕτω δὲ ὀνομάζειν εἰώθασιν, τὰς δημοτικὰς διατυπώσεις. Tiberius poſt mortem Juſtiniani arrepto imperio ſibi cavens ab inſidijs populi, non proceſſit in Circum imperij auſpicandi cauſa, uti moris erat, ſed per ædes ſacras orationis cauſa proceſſit.

Ille per loca ſancta proceſsit. Completaque oratione vocato ad ſe vrbis Papa, cum Conſulibus ac præfectis, Palatium eſt ingreſſus, Cap. 31. Tiberius exorſurus imperium, non ante Palatium inijt, quam per ſacras ædes orationis cauſa proceſſiſſet. Laudatur pietas Imperatorum, qui cum Romam venirent, non priùs Regiam petebant, quam ad baſilicam Petri orationis cauſa proceſſiſſent. Auguſtin. in pſalm. 140. *Ecce quod eſt nobile & præcipuum in mundo, Imperator venit Romam? quo feſtinat ad templum Imperatoris, an ad memoriam piſcatoris.*

Dehinc indutus purpura Diademate coronatus, throno imperiali impoſitus, cum immenſis laudibus imperium confirmavit. Tiberius ſumpſit purpuram & diadema, quæ ſunt inſignia Imperij & throno impoſitus cum immenſis laudibus, id eſt acclamationibus & plauſibus populi, imperium, ſibi firmavit laudes

ſunt acclamationes & plauſus qui Imperatori honoris cauſa fieri ſolebant initio Imperij. Eadem obſervata in ſolemni inauguratione Juſtini Imp. Coripp. lib. 2. de laudib. ipſ.

Poſtquam cuncta videt ritu perfecta priorum ,
Pontificum ſummus , plenaque ætate venuſtus ,
Adſtantem benedixit eum , Cœlique potentem
Exorans Dominum ſacro diademate juſsit
Auguſtum ſancire caput , ſummoque coronam
Imponens apici feliciter.
Intonuit patrum ſubitus fragor , inde clientum
Clamores creſcunt , clamoribus adſonat æquor
Laudibus innumeris regnantum nomina tollunt
Ipſe coronatus ſolium conſcendit avitum
Aeque crucis faciens ſignum venerabile ſedit.

Factionarij quoque operientes ad Circum. Factionarij factioſi ſeditioſi , factio eſt conſpiratio adverſus Principem vel Rempublicam l. ſi quis filio §. quid tamen ff. de injuſt. rupt. l. quiſquis C. ad L. Jul. Majeſt. ut factio Palmyrena l. 4. C. de ingen. manumiſſ. Cornel. nepos in vit. Attici. *Officia amicis præſtanda ſine factione*, inde factioſi factiones id eſt turbas cientes. Plaut. in Bacchidibus, *linguâ factioſi, inertes operâ, ſubleſtâ fide* Auguſtin. in pſalm. 35. *Si aliquam factionem vidiſti , non debuiſti ad factioſos procedere.* Et Factionarij Romæ dicebantur aurigæ ſeu agitatores , equorum Circenſium ut in l. 1. C. Th. de equis curulib. quia diviſi erant in quatuor factiones, erant Albati, Praſini, Ruſſati, Veneti, qui multas ſæpe in urbe ſeditiones commovebant de quo Evagr. libr. 4. cap. 31. Procop. de bell. Perſic. libr. 1. cap. 39. Zonar. in Juſtin. Caſſiador. 1. Var. 20. & 3. Var. 51. Corip. de laud. Juſtin libr. 3. Plerumque in Circo commovebantur ſeditiones quia plebs ibi ferè habitabat Ammian. libr. 28. *Eiſque templum & habitaculum, & concio & ſpes omnis Circus eſt maximus.* Juvenal. Satyr. 11. *Totam hodie Romam Circus capit.* Eadem analogia ſeditionarij pro ſeditioſis infr. libr. 10. cap. 10.

Procedente autem eo ad villam , ut juxta ritum imperialem xxx. diebus ad vindemiam jocundaretur. Imperatores quaſi privati rus ſecedebant cum amicis , & vindemiarum ferias jocis

&

& epulis celebrare ſolebant, hunc morem ſecutus Tiberius cùm in villam ſeceſſiſſet vindemiarum cauſa, Sophia Auguſta olim uxor Juſtini Imperatoris ejus abſentiam captans, Juſtinianum ei obtrudere tentavit. Ferias vindemiales Antonino & Gallieno quaſi privatis celebrare perfamiliare fuit. Capitolin. in Antonino P. *Vindemias privati modo cum amicis agebat.* Lamprid. in Heliogabalo. *Quum ad vindemias vocaſſet amicos nobiles* & infra *ferunt multi ab ipſo primum repertum, vt in vindemiarum feſtivo, multa in dominos jocularia, & audientibus dominis dicerentur.* De privatis teſtes nobis ſunt etiam ſeverioris diſciplinæ auctores Cyprian. epiſt. 1. *Bene admones nam & promiſiſſe me memini, & reddendi tempeſtivum prorſus hoc tempus eſt, quo indulgente vindemiâ ſolutus animus, in quietem ſolemnes ac ſtatutas anni fatigantis inducias ſortiatur.* Minucius in Octavio. *Sane & ad vindemiam feriæ, judiciariam curam relaxaverant*, de jure locutus eſt, quia per ferias vindemiarum judicia ſolvuntur. Auguſtin. Confeſſ. libr. 9. cap. 2. *Et oppertunè jam paucisſimi dies ſupererant, ad ferias vindemiales, & ſtatui tolerare illos vt ſolemniter abſcederem.* Etiam domi Meſſalinam vindemiæ ſpeciem celebraſſe refert Tacit. 11. Annal, *At Meſſalina non alias ſolutior luxu, adulto autumno ſimulachrum vindemiæ per domum celebrabat*, &c. Cap. 33.

Igitur parentes illius acceſſerunt ad patrem dicentes, aut idoneam redde filiam tuam, aut certè moriatur, nè ſtuprum hoc generi noſtro notam infligat. Lege Juliâ pœna adulterij non erat capitalis, non erat major relegatione in inſulam, ideò nè rei adulterij evaderent pœnam capitis, Auguſtus ſolebat addere crimen læſæ religionis vel majeſtatis, & ſuas leges excedere Tacit. 2. Annal. *Auguſtus culpam inter viros, ac fœminas vulgatam, gravi nomine læſarum religionum ac violatæ majeſtatis appellando, clementiam majorum, ſuaſque ipſe leges egrediebatur.* Conſtitut. Alexandri Severi & Conſtantini pœna adulterij facta eſt capitalis l. Caſtitati l. quamvis C. ad Leg. Jul. de adulter. Arnob. 4. adverſ. gentes, *Ad libidinem homines proni atque ad voluptatum blandicias, naturæ infirmitate proclives, adulteria tamen legibus vindicant, & capitalibus afficiunt eos pœnis, quos in aliena comprehenderint fœdera genialis ſe lectuli expug-*

natione jeciſſe. Ammian. 28. *Tunc Cethegus Senator adulterij reus delatus cervice perijt abſciſsâ.* Moribus quoque Francorũ pœna adulterij fuit capitalis, nimirum demerſio in aquam. Greg. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 69. *Ferunt etiam in hac vrbe fuiſſe mulierem, cui à viro crimen impactum, nec omninò probatum à judice, vt aquis immergeretur dijudicata eſt* Idem cap. 70. ejuſdem libr. *Nam ſimili fortè alia mulier, à viro ſuo adulterij crimen accepit, quod coram judice diutiſsimè denegans, cum propria confeſsione ſuperari non poſſet, dijudicatur immergi.* Quandoque adulteri mitius puniti, & damnati ad molam, vel ad vineam, id eſt vineæ culturam. Gregor. libr. 9. cap. 38. *Septimina verò cum Drodulfo vehementer cæſa, ac cauterijs accenſis in facie vulnerata, ablatis omnibus quæ habebat in Marilegium villam deducitur, vt ſcilicet trahens molam, his quæ in Gynecio erant poſitæ, per dies ſingulos farinas ad victus neceſſaria præpararet, Droctulfum autem inciſis capillis & auribus ad vineam excolendam delegaverunt.* Mulier Pariſienſis adulterij rea poſtulabatur, cognati viri quærebant à patre ut idoneam filiam redderet, id eſt eam purgaret à crimine adulterij, aut ea pœnam mortis ſubiret, quæ erat pœna moribus conſtituta, eandem rem narrat Aimoin. libr. 3. cap. 29. Idoneus pro innocente, & experte criminis. Gregor. ſupr. h. libr. cap. 20. *Vt priùs habita audientia ſi idonei invenirentur, ſic Regis præſentiam mererentur.*

Novi inquit pater ego filiam meam idoneam, tamen nè crimen conſurgat vlterius, innocentem eam faciam ſacramento. Pater affirmat filiam eſſe idoneam, id eſt expertem adulterij criminis, de quo incuſabatur, verum nè qua ſuſpicio hæreat, ait ſe paratum eſſe eam purgare ſacramento. Deficientibus probationibus, nè qua ſuſpicio objecti criminis remaneret, ſolebat indici purgatio canonica per ſacramentum ſuper corpora Sanctorum, ut hoc loco indicta eſt purgatio per ſacramentum ſuper tumulum S. Dionyſij Martyris. *Et illi ſi inquiunt eſt innoxia ſuper tumulum hoc Beati Dionyſij Martyris ſacramentis affirma, faciam inquit pater. Tunc inito placito ad baſilicam Martyris ſancti conveniunt, elevatiſque pater manibus ſuper altarium, juravit filiam non eſſe culpabilem.* Etiam in judicio furti ſi non liqueret, moris fuit reum jurejurando ſuper reliquias Sancto-

rum ſeſe purgare Auguſtin. epiſt. 137. *Nam & nos novimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam quia ad eum locum venerat, vt falſum jurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum, & quod abſtulerat reddere.* Idem moris fuit in alijs judicijs. Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 94. *Cùm autem videret Rex proſecutionem presbyteri eſſe callidam, converſus ad eum ſi vera ſunt inquit quæ proſequeris, hoc ſuper tumulum Maximini Antiſtitis Sacramento confirma, audeo ait hæc Presbyter quæ præcipis adimplere, & ſtatim ponens manus, ſuper ſanctum ſepulchrum dixit*, &c.

Sauciantur multi gladijs, reſpergitur ſancta humano cruore baſilica. Quod dum vix mitigatur, locus officium perdidit, donec iſta omnia ad Regis notitiam pervenirent. Exorta rixa in baſilica S. Dionyſij martyris inter privatos quoſdam, ob cauſam mulieris adulterij reæ, baſilicâ pollutâ effuſo ſanguine, ſacris interdictum Eccleſiæ, donec res ad Regis notitiam perveniſſet. Moris antiqui eſt Eccleſiæ cruentatæ ſanguine, ſacris interdici donec ſolemni ritu expurgétur. Ex alijs cauſis etiam Eccleſiæ ſacris interdictum, putà per vim & injuriam rebus Eccleſiæ invaſis, cùm Gomacharius Comes, Eccleſiæ Agathenſis agrum invaſiſſet, Leo Epiſcopus hujus Eccleſiæ precibus fruſtrà tentato Comite, ut agrum reſtitueret Eccleſiæ ſacris interdixit, quo ad Eccleſia Deum ultorem nanciſceretur. Gregor. de Mirac. Martyr. lib. 1. cap. 79. *Manè autem facto accedit ad Lychnos, qui de camera Eccleſiæ dependebant, extendenſque virgam quam tenebat in manu, effregit cunctos dicens, non hic accendatur lumen, donec vlciſcatur Deus de inimicis, & reſtituat res domus ſuæ.* Pariter cum Childericus villæ Aquenſis Eccleſiæ quaſi eſſet fiſci, manum injeciſſet, Franco Epiſcopus Eccleſiæ ſacris interdixit, donec ablata reſtituerentur. Gregor. de glor. Confeſſ. cap 71. *Denique condemnatus ſpoliatuſque Sacerdos, ad vrbem redijt, atque proſtratus in orationem coram ſepulchro ſancti dicto pſalmi capitulo ait, non hic accendetur lumen, neque pſalmorum modulatio canetur, glorioſiſsime ſancte, niſi prius vlciſcaris ſervos de inimicis ſuis, reſque tibi violenter ablatas Eccleſiæ ſanctæ reſtituas.*

Hi verò properantes ad præſentiam Principis, non recipiuntur in gratiam, ſed ad Epiſcopum loci illius remitti eos juſſum eſt. Eccleſia S. Dionyſij martyris pollutâ ſanguine & cædibus, rixæ authores adiére Chilpericum Regem, ut de facto ſeſe purgarent, ſed à Rege ipſo remiſſi ſunt ad Epiſcopum, ut ſi culpâ vacarent, communioni redderentur. Oppreſſi extra ordinem ſolent recurrere ad Regem Conc. Tolet. 9. can. 1. *Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differant,* Can. filijs 16. qu. 7. Monitu per viſum S. Nicetij Lugdunenſis Epiſcopi, quendam à majoribus civitatis oppreſſum ad Guntranum Regem recurriſſe narrat Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 61. *Cùmque ſæpiùs hæc ad beatum imploraret ſepulchrum, adparuit ei ſanctus per viſum dicens. Vade ad Guntchramnum Regem, & ei quid patiaris diligenter enarra, ipſe enim tibi præbebit veſtitum & alimentum, eripietque te de manu inimicorum.* Hoc loco Chilpericus Rex conventus, in cauſa emunitatis Eccleſiæ violatæ, partes remiſit ad Epiſcopum. Ea fuit reverentia Regum in Eccleſiam, ut eccleſiaſticam juriſdictionem penè damno ſuæ tuérentur.

Tunc ab Epiſcopo Ragnemodo, qui Pariſiacæ Eccleſiæ præerat componentes quæ male geſſerant, in communionem Eccleſiaſticam ſunt recepti. Excommunicati ob violatam fuſo ſanguine Eccleſiam à Ragnemodo, id temporis Pariſienſi Epiſcopo reſtituuntur communioni, componentes malè geſta, id eſt ſolventes bannum Epiſcopalem, Bannum componere eſt multam ſolvere. Anaſtaſius in can. ſtatuimus 16. qu. 1. *Bannum noſtrum componat & communione privetur.* Joannes VIII. in can. Quiſquis 17. qu. 3. *Quiſquis inventus fuerit reus ſacrilegij, Epiſcopis, vel Abbatibus ſive perſonis, ad quas querimonia ſacrilegij juſtè pertinuerit, triginta libras examinati argenti puriſſimi componat.* Syn. Meldenſ. can. 68. *multam componat.* Inde compoſitio pro multa ſeu onere fiſcali. Gregorius infr. libr. 6. cap. 23. *Compoſitioneſque negligentium fiſco debitas, præcepit omninò non exigi.*

Flumina quoque Liger Flavariſque, quem Elaurem vocitant vel reliqui torrentes decurrentes in eum. Alij Codices legunt, *Liger Elaverque, quem Melacrem vocitant.* Elaver eſt amnis qui

per Arvernos influit in Ligerim, vulgò *Lallier.* Torrentes dicuntur etiam amnes qui anguſtiori alveo coërcentur, unde fiunt rapidi, quaſi torrentes Curt. libr. 8. cap. 13. de Hydaſpe flumine Indico. *Nec pro ſpatio aquarum latè ſtagnantium impetum coërcebat, ſed quaſi in arctum coëuntibus ripis torrens, & eliſus ferebatur.* Idem libr. 9. cap. 2. de eodem flumine, *Nam flumen quo latiùs fuſum eſt, hoc placidiùs ſtagnat, quippe anguſtis ripis coërcita, & in anguſtiorem alueum eliſa torrentes aquas invehunt.* Liger cenſetur inter nobiliora flumina Galliæ Tibull. libr. 1. ep. 8. *Carnuti, & fluvij cærula lympha Liger.*

De culturis detrimentum. Cultura eſt ager cultus. Baldric. Chronic. Camerac. lib. 1. cap. 25. *Manſos ix. culturas xi.* Gregor. de mirac. B. Martin. lib. 4. cap. 36 *Conjux Seronati hominis noſtri, cum de cultura viro præmiſſo rediret.* Idem infr. lib. 6. cap. 20. *Ponens vineas, ædificans domos, culturas erigens*, & infra, *cum cultoribus, & culturis.* Idem libr. 9. cap. 24. *Vindemias, vineas, culturas devaſtantes.* Hinc nomen Abbati S. Petri de Cultura de quo in cap. venerabili extr. de Cenſib. vulgò *la Couture* in Diœceſi Cenomanneníi. Cap. 35.

Hæc effata Regina pugnis verberans pectus, juſsit libros exhiberi, qui de civitatibus ſuis per Marcum venerant, projectiſque in ignem, iterum ad Regem converſa, quid tu inquit moraris. Fredegundis Regina liberorum graviori ægritudine commota, ut Deum ſibi conciliaret in ſalutem liberorum, reliqua vectigalium remiſit civitatibus, quæ ejus ditionis erant & libros cenſuales qui per Marcum (is erat Referendarius Reginæ) miſſi erant in ignem mitti juſſit. Idem fecit Chilpericus monitu & exemplo Reginæ provocatus ut tradit Fredegarius proximis verbis. *Tunc Rex compunctus corde, tradidit omnes libros deſcriptionum igni, conflagratiſque illis, miſit qui futuras prohiberent deſcriptiones.* Pariter Conſtantinus reliqua tributorum remiſit, & fiſci actiones id eſt tabulas, ex quibus fiſco competebat actio cremari juſſit l. 6. C. de jur. fiſc. Eadem indulgentia uſus eſt Gratianus, quod ſalubre incendium vocat Auſon. in Gratiar. act. pro Conſulatu. *Neque verò vnum aliquod bo-*

num vno die præſtas, ſed indulgentias ſeculares, per ſingula horarum momenta multiplicas, vel illud vnum cujuſmodi eſt, de condonatis reſiduis tributorum, quod tu quam cumulata bonitate feciſti, tu argumenta omnia flagitandi, publicitus ardere juſsiſti videre in ſuis quoque foris omnes civitates conflagrationẽ ſalubris incendij. Ait pugnis verberans pectus. Mos antiquus fidelium in ſignum pœnitentiæ pugnis tundére pectus. Auguſtin. Homil. 50. *Quod ſi falſum eſt, vnde quotidie tundimus pectora, quod nos quoque Antiſtites ad altare aſsiſtentes cum omnibus facimus.* Idem de tempore ſerm. 48. *mox vt hoc verbum ſonuit vox lectoris, ſecutus eſt etiam ſonus tunſionis pectoris veſtri.* Idem in pſalm. 48. *Horremus Iudæos, quando dixerunt Domino Ieſu Chriſto dæmonium habes, & quando audimus Evangelium recitari, tundimus pectora noſtra.* Idem in pſalm. 128. *Si enim ſibi ſine cauſa tundunt homines pectora, mentiuntur, quia tundunt pectora, ſi juſti ſunt, & in eo quod mentiuntur Deo fiunt peccatores.*

Quem cum maximo mærore deducentes à villa Brennaco, Pariſius ad baſilicam ſancti Dionyſij ſepelire mandaverunt. Unus è liberis Chilperici Regis mortuus & ſepultus in baſilica S. Dionyſij martyris apud Pariſios. Hæc eſt Eccleſia S. Dionyſij de caſtris ſeu de carcere Pariſijs *S. Denys de la Chaſtre*, quæ martyri cuſtodia fuit.

Chlodobertum vero componentes in feretro Sueſsionas ad baſilicam S. Medardi duxerunt, projicienteſque eum ad ſanctum ſepulchrum voverunt vota pro eo. Ægri à medicis deſperati, valetudinis cauſa deportari ſolebant ad tumulum Sanctorum Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 1. cap. 40. de ſervo nomine Securo. *Quem cum viderent domini ſui, jam per ſeptem annos, nihil omninò proficere, manibus deportando poſuerunt eum ante ſepulchrum, vt vel à prætereuntibus paſceretur, qui labore proprio ali non poterat.* Idem libr. 2. cap. 3. *quæ jam valde exanimis rogavit, vt eam ad pedes ſancti Martini deferrent, ad quem locum, cum manibus fidelium fuiſſet illata, dolore cogente, vociferans beati viri auxilium, vt ſibi miſereretur orabat.* Chlodobertus Chilperici Regis natus à medicis deſperatus, compoſitus in feretro, quaſi exanimis, delatus ad ſepulchrum S. Medardi Sueſſionenſis, & pro eo vota emiſſa.

Nam viri lugentes mulieresque lugubribus veſtimentis indutæ vt ſolet in conjugum exequijs fieri, ita hoc funus ſunt proſequtæ. Funus Chlodoberti viri & mulieres proſecutæ ſunt pulla veſte induti, ut ſolent in funere uiri vel uxoris, Aimoin. libr. 3. cap. 31. Idem luctus viſus eſt in funere Galli Arvernenſis Epiſcopi Gregor. de vit. Patr. cap. 6. *Iam vero in exequijs ejus, quantus planctus, quanti populi affuére, enarrari vix poteſt, mulieres cum lugubribus indumentis, tamquam ſi viros perdidiſſent, ſimiliter & viri obtecto capite, vt in exequijs vxorum mos eſt, ipſi quoque Iudæi accenſis lampadibus plangendo proſequebantur.* Simile de luctu Hiſpanorum in funere conjugum parentum vel amicorum narrat Petrus Cluniacenſ. libr. 4. epiſt. 17.

Nam duos medicos qui ei ſtudium adhibuerant gladio feriri præcepit, duo medici qui Auſtrigildi uxori Guntrani Regis operam præſtiterant, ad ejus querelam quaſi eorum culpâ perijſſet, poſt ejus mortem juſſu Guntrani capitis pœnas dederunt. Idem refert Aimoin. libr. 3. cap. 36. His nomen fuit Nicolaüs & Donatus teſte Mario Epiſcopo in Chronic. Studium adhibere dicuntur medici qui operam dant ægro curando, Gregor. ſupr. libr. 3. cap. 36. *His denique geſtis Theodobertus Rex ægrotare cœpit, ad quem medici, multa ſtudia impenderunt.* Beda Hiſt. libr. 5. cap. 3. *indicavit nobis Abbatiſſa, quod quædam de numero Virginum, graviſsimo langore teneretur quia phlebotomata eſt nuper in brachio, & cum adhuc eſſet in ſtudio, tacta eſt infirmitate repentini doloris*, eadem analogiâ ſtudere pro curare. Gregor infr. libr. 6. cap. 32. *Iuſsitque Rex vt ſtuderetur à medicis, quo ad vſque ab his ictibus ſanatus, diuturno ſupplicio cruciaretur.*

Nantinus verò ob requirendam avunculi ſui mortem Comitatum in ipſa vrbe expetijt, Comites erant ad tempus, nec Comitatus, tranſibant ad heredem vel ſucceſſorem, Nantinus ambivit Comitatum Engolimenſem, ut vindicaret necem Maracharij avunculi ſui, qui diù fuerat Comes Engoliſmenſis, & ex Comite ordinatus erat Epiſcopus, & veneno ſublatus erat inſidijs Frontonij ejus ſucceſſoris.

Convenientibus autem apud civitatem Santonas Sacerdotibus, deprecabatur Nantinus, vt pacem Epiſcopi mereretur. Nantinus

Comes Engoliſmenſis, ut Magnacharij avunculi ſui, quondam Comitis poſteà Engoliſmenſis Epiſcopi, veneno extincti necem ulciſceretur, multas Heraclio Epiſcopo Engoliſmenſi, injurias & moleſtias irrogauit, & Presbytero ut ab eo eliceret confeſſionem ſceleris, tormentis vitam ademit, quam ob cauſam ab Heraclio Epiſcopo à limine Eccleſiæ prohibitus, id eſt excommunicatus, in Synodo Santonenſi redditus eſt communioni, promittens ſe res omnes, quas Eccleſiæ abſtulerat reſtiturum, nempe villas quæ à Magnachario teſtamento relictæ erant Eccleſiæ, aſſerens non debere Eccleſiam ejus res adipiſci, à cujus clericis teſtator fuerat interfectus. Idem narrat Aimoin lib. 3. cap. 30. *Nantinus Comes res à Magnachario avunculo datas Eccleſiæ vindicabat, quaſi indigna eſſet Eccleſia ob cædem teſtatoris interfecti à Clericis ipſius Eccleſiæ.* Occidentes Epiſcopum privantur feudis & beneficljs quæ obtinent ab Eccleſia cap. ad aures ex. de pœn. cap. Fœlicis eod. tit. in 6. Si Epiſcopus occiſus ſit, nè alter eligatur, niſi priùs reis detectis & punitis vetuit Nicolaüs 1. epiſt. ad Joannem Archiepiſcopum Ravennatem Ivo decret. part. 10. can. 19. Scyllacinorum ſeu Scyllitanorum civitas quæ eſt in Calabriæ finibus, ſede Epiſcopali multata, ob cædem duorum Epiſcoporum can. ita nos. 25. qu. 2.

Hoc tempore & Beatus Martinus Gallicienſis Epiſcopus obijt

Cap. 38. Nantinus Galliciæ Epiſcopus & Apoſtolus, quia Suevos qui ibi ſedes poſuerant, convertit ad fidem, ei carmen Chariſticum inſcripſit Fortunat. libr. 5. carm. 1.

Martino ſervata novo Gallicia, plaude
Sortis Apoſtolicæ vir tuus iſte fuit.

Ejuſdem meminit Aimoin. libr. 3. cap. 38.

Verſiculos qui ſuper oſtium ſunt à parte meridianâ, in baſilica ſancti Martini ipſe compoſuit. Martinus Gallicienſis Epiſcopus compoſuit verſus, qui inſcripti ſunt baſilicæ ſancti Martini Turonenſis Epiſcopi, Reliquiæ S. Martini tranſmiſſæ in Galliciam, Charraricus Rex Galliciæ baſilicam in honorem ſancti ædificavit. Gregor. de Mirac. B. Martin. libr. 1. cap. 11. idem lib. 4. cap. 7. Foribus Eccleſiarum ſolebant ſuperſcribi verſiculi pij. Iconicis ſeu imaginibus Sanctorum apponi ſolitæ & inſcrip-

inſcriptiones Gregor. de vit. Patr. cap. 12. *Videns autem ſæpiùs in oratorio litteras ſuper Iconicas Apoſtolorum, reliquorumque Sanctorum eſſe conſcriptas, exemplavit eas in codice.* Sepulchra etiam Sanctorum ſuas habebant inſcriptiones Gregor. de glor. confeſſ. cap. 36. *Habetur enim ibi tumulus, in hujus fronte ſuperiore habetur ſcriptum ſanctæ memoriæ Gallæ*, idem cap. 65. ejuſd. libr. *Cumque oratione facta ſancti tumulum admirarer, aſpicio in oſtio eſſe ſcriptum, qualiter ſepulchri violator, cadaver ſpoliarit exanime.* idemque cap. 105. ejuſd. libr. *Tumulus erat in vico Pariſiorum, haud procul à loco, in quo ſenior vt aiunt Eccleſia nuncupatur, ibique in lapide habebatur ſcriptum, hic requieſcit Creſcentia ſacrata Deo puella.*

Converſus eſt ad legem Catholicam, ac dum chriſmaretur Ioannes eſt vocitatus. Hermenigildus filius Leuvigildi Regis VViſigothorum ſtudio Ingundis uxoris converſus ad fidem Catholicam, erat enim Arrianus, in baptiſmo Joannis nomen ſuſcepit. Adulti in baptiſmo plerumque nomen mutabant, & nomen Sanctorum eis imponebatur & familiarius erat nomen Joannis Petri & Pauli. Euſebius ex Dionyſio Alexandrino libr. 7. cap. 20. Chryſoſtom. Homil. 12. in 1. ad Corinth. fusè Vicecomes de baptiſm. libr. 2. cap. 15. Herminigildus odio religionis catholicæ à patre necatus, ex quo inter martyres habetur de quo Gregor. infr. libr. 8. cap. 28. & Gregor. Pap. Dialog. 3. cap. 31. quod laudatur in can. ſuperveniente 1. qu. 1. & Sigebert. ad ann. 588. Cap. 39.

Ille vero hæc intelligens, ad partem ſe Imperatores jungit, ligans cum præfecto ejus amicitias, qui tunc Hiſpaniam impugnabat, Herminigildus ſentiens Leuvigildum patrem iratum ob converſionem, conjunxit ſe Imperatori qui tunc per præfectum armis Hiſpaniam vindicabat & hoc eſt quod tradit infr. & alio loco. *Herminigildus verò vocatis Græcis, contra patrem egreditur.*

Igitur poſt mortem filiorum Chilperici, Rex menſe Octobri in Cotia ſylva plenus luctu cum conjuge reſidebat. Cotia ſylva regia, venatione Regum nobilitata, eam ſitam prope Compendium indicat Gregor. ſupr. libr. 4. cap. 21. de Chlotario Rege, *Dum in Cotia ſylva venationem exerceret, à febre corripitur, &* Cap. 40.

exinde Compendium villam rediјt. Idem Fortunat. in vita S. Medardi. *Cum enim in Cotia ſylva venatu exerceretur valida proh dolor correptus febre, cum ad Compendij palatium repedaſſet, &c.*

Ipſe enim Rex Calam Pariſiacæ civitatis villam advenit. Cala villa fiſcalis prope Pariſios, in qua frequens erat mora Regum ob ſtudium venationis. Gregor. infr. libr. 6. cap. 46. *Chilpericus ad villam Calenſem, quæ diſtat ab vrbe Pariſiaca, quaſi centum ſtadijs accedit, ibique venationes exercet,* Hic cuſtodiæ causâ depoſiti fuére theſauri Chilperici Regis Gregor. libr. 10. cap. 19. *Quando interempto Chilperico, theſauri ejus de Calenſi Pariſiacæ vrbis villa, ad eundem delati ſunt.* Ibi ſurrexit Monaſterium puellarum diſciplinæ laude celeberrimum, in quo puellæ Anglicæ inſtitui ſolebant. Beda libr. 3. cap. 8. *Nam eo tempore nec dum multis in regione Anglorum monaſterijs conſtructis, multi de Britannia monaſticæ converſationis gratia Francorum vel Galliarum monaſteria adire ſolebant, ſed & filias ſuas eiſdem erudiendas, ac ſponſo cæleſti copulandas mittebant maximè in Brige & in Cale, & in Andilegum monaſterio.* Ejuſdem monaſterij meminit Frodoard. in Chronic. ad ann. 822. *Propter prædictum Haganonem, cui Rex Abbatiam Rothildis amitæ ſuæ, ſocrus autem Hugonis dederat nomine Calam.*

Tunc Regina adprehensâ puellâ, in quam oculos injecerat Clodoveus, & graviter verberatâ, incidi comam capitis ejus juſsit, abſciſſam ſudi impoſitam, defigi ante metatum præcipit Clodovei. Puellæ quam deperibat Clodoveus, Fredegundis Regina comam abſcindi, & ſudi impoſitam ante ædes Clodovei ſuſpendi juſſit. Abſciſſio veſtis & comæ eſt pœna adulterij Pelagius in can. De benedicto 32. qu. 1. *Iubemus experientiæ tuæ, vt eum cum ipſa quoque adultera, diſtrictè non differas mactare, & calvatos, ab invicem ſeparare,* & ibi gloſſ. in verb. calvatos *pannis abſciſsis, id eſt dehoneſtatos & tonſuratos, ſicut moris eſt in quibuſdam locis, quia veſtes & capilli inciduntur eis in ignominiam ante & retrò.* Calvatio ſeu decalatio apud Saxones pœna adulterij & ſtupri, fuit capitalis, & mortem præcedebat flagellatio & abſciſſio veſtis cingulo tenus Bonifacius epiſt. ad Ethelbaldum Regem Angelorum quæ integra extat apud

Bedæ Continuator. libr. 1. cap. 11. *Nam in antiqua Saxonia vbi nulla Chriſti cognitio, ſi virgo in paterna domo, vel maritata ſub conjuge fuerit adulterata, manu propria ſtrangulatam cremant, & ſupra foſſam ſepultæ corruptorem ſuſpendunt, aut cingulo tenus veſtibus abſciſsis flagellant eam caſtæ matronæ, & cultellis pungunt, & de villa in villam miſſæ occurrunt novæ, flagellantes, donec interimant.* Atrox injuria eſt veſtium abſciſſio l. 1. §. 6. ff. de effuſ. vel deject. l. 9. in princ. de injur. & ſi quis crines aut barbam alterius expilaverit decem libris multatur 2. feud. 27. §. ſi quis aliquem. Dagobertus Chlotharij patris offenſam contraxit, quod Sadregeſilum Ducem, & educatorem, flagellis cædi barbæque amputatione dehoneſtari juſſit Aimoin. libr. 4. cap. 17. Auctor vit. Dagoberti cap. 6. 7. & 35.

Matre quoque puellæ religata, & tormentis diù cruciata, elicuit ab ea profeſsionem, quæ hos ſermones veros eſſe firmaret. Impropriè vocat profeſſionem, confeſſionem tormentis elicitam, profeſſio eſt confeſſio ſpontanea, profiteri eſt ultro fateri Cyprian. epiſt. 83. *Siquidem in vobis Dominus poſitus illa hora loquatur, qui nos confiteri magis voluit, quam profiteri.* M. Tull. pro lege Manil. *Hic ego non ſolùm confiteor, verum etiam profiteor.* Idem pro Cæcinn. *vt non ſolùm fateri ſed etiam profiteri videatur.*

Servientes quoque illius per diverſa diſperſi ſunt. Serviens pro famulo, miniſtro. Gregor. de mirac. D. Mart. libr. 2. cap. 36. *Serviens hujus monaſterij diù contractus infeliciter trahebatur.* Idem de glor. confeſſ. cap. 3. *Donec expergefacta materfamilias, vocatis ſervientibus, aqua ſuperpoſita reſtinxit incendium.* Alias ſervientes ſunt ſcutiferi qui minora feuda tenent & eo nomine ſcuti ſervitium præſtant, & hoc diſtant à militibus, qui propter majus feudum præſtant munus militiæ, & equeſtris militiæ ornamentis donati ſunt. Robert. Montenſ. in Chronic. ad ann. 1160. *Rex verò Henricus obſedit prædictum caſtrum, & illico cepit, in quo erant xxv. milites, & quater viginti ſervientes.* idem ad ann. 1177. *Habentes paucos milites, & ſervientes.* Matth. Pariſ. ad ann. 1213. *Tunc Rex Francorum rem diu deſideratam intelligens, accinxit ſe ad pugnam, atque omnes ſuæ ditionis ho-*

mines, Duces videlicet Comites & Barones, milites & ſervientes, cùm equis & armis juſsit in octavis Paſchæ ſub nomine Culvertagij apud Rothomagum convenire. Idem ad ann. 1242. *erat numerus militum, eleganter ad unguem armatorum quatuor millia, Armigerorum autem & Servientium, ac Baliſtariorum numerus ad viginti millia æſtimabatur.* Gallis *Sergens*, inde ſergenteria eſt minus feudum, vel beneficiolum quod à ſervientibus tenetur, ſub onere militiæ. Math. Pariſ. ad ann. 1212. Ex charta Joannis Regis. *Nos non tenebimus cuſtodiam heredis vel terræ alicujus, quam tenet de alio per ſervitium militare occaſione alicujus parvæ ſerganteriæ, quam tenet de nobis per ſervitium reddendi cultellos, vel ſagittas, vel hujuſmodi.*

Theſaurarius Chlodovei à Cuppane ſtabuli Comite de Biturico retractus. Comes ſtabuli erat præfectus ſacri ſeu regij ſtabuli, cum dignitate Comitivæ, quæ attributa erat omnibus Palatinis officijs, ſed poſtea idem factus eſt Princeps militiæ. Annales Francorum ad ann. 807. de Carolo Magno. *Eodemque anno Burchardum Comitem ſtabuli ſui cum claſſe miſit in Corſicam.* Tum eliſo nomine idem dictus eſt Conſtabularius vel Conſtabulus Regino 2. Chronic. *Eodem anno Burchardum Comitem ſtabuli ſui, quem corruptè Conſtabulum appellamus cum claſſe miſit in Corſicam.* Gallis *Conneſtable.* Cuppa fuit Comes ſtabuli Chilperici Regis. Gregor. infr. libr. 10. cap. 6. *Cuppa quondam Comes ſtabuli Chilperici Regis fuerat.*

Cap. 42. *Mirus Rex Gallecienſis legatos ad Guntchramnum Regem direxit.* Ea tempeſtate Miro fuit Rex Galliciæ de Gente Suevorum, qui Galliciam occuparunt pulſis Vandalis, ejus meminit Gregor. de mirac. B. Martin. libr. 4. cap. 7.

Liger fluvius major ab anno ſuperiore fuit poſtquam ei Caris torrens ſe adjunxit, Carus Amnis Ligeri influit; *c'eſt le Chèr* de quo & Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 2. cap. 56. *Urgente quoque in veſperam die, prope amnis, Cari ripam, accepit manſionem.*

Cap. 43. *Sed cum Epiſcopatum ejus multi expeterent ipſe Urſicinum qui quondam Referendarius Ultrogothæ Reginæ fuerat, elegit quem dum adhuc viueret, benedici deprecans, migravit à ſeculo.* Maurilius Cadurcenſis Epiſcopus ſuperſtes, Urſicinum ſucceſſo-

rem elegit, eumque conſecrari curavit, ejuſdem meminit Aimoin libr. 3. cap. 33. Epiſcopus non poteſt eligere, vel deſignare ſucceſſorem ex ſententiâ Conc. Nicen. can. 8. nè in una eademque civitate admittantur duo Epiſcopi quòd vetat Synodus, & nominatim ex Conc. Antioch. can. 23. & ex Conc. Martini Papæ can. 8. can. Epiſcopo 1. & 2. 8. qu. 1. & quod Auguſtinus Eradium ſucceſſorem deſignavit, & ante ipſe à Valerio excuſat, dicendo ſe ignoraſſe vetitum Conc. Niceno, ut refert ipſe epiſt. 110. *Hic adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ patre & Epiſcopo meo ſene Valerio Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo, quod Concilio Niceno prohibitum fuiſſe neſciebam nec ipſe ſciebat*, quod Mauritius hic ſucceſſorem ſibi deſignavit, non jure factum eſt, ſed optimo conſilio, ut tollerentur varia ſtudia concertantium de Epiſcopatu ut teſtatur Gregor.

Leuvigildus vero Rex Agilanem legatum ad Chilpericum mittit. Gregorius noſter cum Agilane Arriano legato Leuvigildi Regis Vviſigothorum miſſo ad Chilpericum concertationem vel collationem habuit de fide ſanctæ Trinitatis, qui domum reverſus, valetudine correptus, Catholicam religionem amplexus eſt præter Gregorium Aimoin libr. 3. cap. 33. Cap. 45.

Ad hæc ille reſpondit legem quam non colis, blaſphemare noli, nos verò quæ creditis, etſi non credimus, non tamen blaſphemamus, quia non deputatur crimini, ſi & illa & illa colantur. Agila Arrianus ægrè tulit ſuam religionem à Gregorio blaſphemari, id eſt maledictis affici; dicens Catholicam religionem non blaſphemari ab Arrianis, nec vitio imputari ſi utraque colatur. Stultitiam Agilæ merito coërcuit Gregorius quia unus eſt Deus, unica vera fides. Tertullian. de baptiſm. cap. 15. *Vnus omninò baptiſmus eſt nobis, quoniam vnus Dominus, & vna Eccleſia in cælis.*

Quam Aaron portavit in Logio. Logium eſt rationale Sacerdotis Hebræorum quod geſtabant in pectore, in quo nomen Dei legebatur Gregor. libr. 3. epiſt. in proem. *& qualiter cum Aaron portat in Logio*, ubi dixi.

Per idem tempus Chilpericus Rex ſcripſit indiculum ut ſancta Trinitas, non in perſonarum diſtinctione, ſed tantùm Deus nominaretur. Indiculus eſt breve vel charta ſine ſigillo, Gregor.

infr. lib. 8. c. 2. *Pejeraſti mittens indiculos doloſitate plenos*, idem infr. h. libr. *Dum autem hic exercitus moveretur, indiculum à neſcio quibuſdam hominibus eſt repertum.* Fredegar. cap. 39. *poſt tergum judiculum direxit.* Indiculus hoc diſtat à ſigillo quod indiculus eſt charta non obſignata, ſigillum eſt epiſtola obſignata ut rectè obſervavit V. Cl. Bignon in Marculf. formul. libr. 1. cap. 6. ex capitul. libr. 3. cap. 58. *Iuſsione dominica, aut indiculo, aut ſigillo, ad palatium venire cogantur.* Alias indiculus eſt libellus, ut indiculus profeſſionis Judæorum Conc. Tolet. 12. can. 8 *Item profeſsio Iudæorum quomodo vnusquiſque ad fidem veniens, indiculum profeſsionis ſuæ conſcribere debeat.*

Adveniente Salvio Albigenſe Epiſcopo, hæc ei præcepit recenſeri, deprecans ut ſibi conſentaneus fieret. Chilpericus Rex Salvium Albigenſem Epiſcopum rogavit, ut indiculo ſeu præcepto à ſe ſcripto, nè ſancta Trinitas nominaretur, ſed tantùm Deus, conſentaneus eſſet. Conſentaneus eſt idem quod conſentiens à conſentiendo Gregor. de mirac. Martyr. libr. 2. cap. 15. *qui verò de conſentaneis, latentes Regem, in patria ſunt regreſsi, correpti à dæmone diverſis exitibus, hanc vitam crudeliter finierunt.* Idem de glor. confeſſ. cap. 63. *Satim huius conſilij effectus eſt conſentaneus.* Anaſtaſ. in Gregor. 2. *ita vt Anathemati Paulum Exarchum ejuſque conſentaneos ſubmittunt.* Idem in Adriano, *Reverti fecit judices illos hujus Romanæ urbis, qui in exilium miſsi fuerant à Paulo cubiculario, & alijs conſentaneis impijs ſatellitibus.* Salvius Epiſcopus Chilperico precibus tentanti, ut libello conſcripto in aſſertionem Sabellianæ hæreſis ſubſcriberet, acriter reſtitit ut refert Gregor. hic & Aimoin. libr. 3. cap. 40.

Scripſit alios libros idem Rex verſibus, quaſi Sedulium imitatus. Idem Gregor. infr. libr. 6. cap. 46. *confecitque duos libros quaſi Sedulium imitatus.* Sedulius poëta Chriſtianus ſub Theodoſio Romæ claruit. Hiſtoriam utriuſque teſtamenti ſcripſit carmine & proſâ, quem æmulatus dicitur Chilpericus fortè aliquo opere metro & proſa ſcripto, de Aldelmo idem Beda libr. 5. cap. 19. *Scripſit & de virginitate librum eximium, quem in exemplum Sedulij, geminato opere, & verſibus exametris, & proſâ compoſuit.*

Agroecula autem Cabilonenſis Epiſcopus hoc obijt tempore, idem vocatur Agricola Gregor. de glor. confeſſ. cap. 86. Cap. 46.

Fuitque homo valde elegans ac prudens. Elegans pro diſerto & prudente Terent. in Eunuch. *Regem elegantem narras*, ubi Donatus, *id eſt prudentem.* Alias elegans pro culto, & lauto victu & veſtitu. M. Tull. 2. de finib. *Nemo noſtrum iſtius generis aſotos jucundè putat vivere, mundos elegantes optimos, cocis piſtoribus piſcatu, aucupio, venatione &c.* Inde elegantia de cultu victus & veſtitus apud antiquos dicebatur. Aulus Gell. libr. 11. cap. 2. *Elegantem dictum antiquitus, non ob ingenij elegantiam, ſed qui nimis lecto, amœnoque cultu victuque eſſet*, & hoc ſenſu elegantiam accepit Gregorius de vit. Patr. cap. 12. *Video te fili dilectiſsime, in grandi elegantia compoſitum* &c. Elegans etiam pro perito in arte ſua Gregor. infr. libr. 10. cap. 31. *In alijs etiam operibus elegans fuit.*

Nam numquam prandio uſus eſt, niſi tantùm cœna ad quam ſic temporive reſidebat, vt ſole ſtante conſurgeret. Agricola Cabillonenſis Epiſcopus ferè imitatus eſt vitam veterum Monachorum, qui unica refectione utebantur, nec ante ſolis occaſum. Hieronym. in vit. Hilarion. *Sicque complens ordinem vitæ, numquam ante ſolis occaſum ſolvit jejunium.* Auguſtin. de morib. Eccleſ. Catholic. cap. 31. de monachis *vſque ad noctem inquit jejunant*, & idem cap. 33. *ad veſperam comedunt*, inde apud Theodorit. de vit. patr. cap. 5. Avitus Marciano invitanti ad cibum ſumendum οὐκ οἶδα inquit πώποτε πρὸ τῆς ἑσπέρας σιτίων μεταλαβών. *Non memini cibum me umquam ſumpſiſſe, ante veſperam*, ait temporive, id eſt breviuſculo tempore. Eadem analogiâ compendivè pro compendio dixit Auguſtin. de geſtis cum Felice Manich. libr. 2. *& vt compendive dicam, agnis dicet &c.*

Tranſobadus vero Presbyter, qui quondam Archidiaconus ejus fuerat, maximè in hoc intendebat, fidus quod filium ſuum cum Hogone, qui tunc Regis erat nutritius commendaverat. Tranſobadus ex Archidiacono presbyter. Archidiaconi ſc. munus non erat perpetuum, ambibat Epiſcopatum Ruthenenſem vacantem morte Dalmatij Epiſcopi, ſibi confidens de Epiſcopatu, quia filium ſuum Gogoni Childeberti Regis nutritio com-

mendare dicebantur qui ſe in clientes & ſuſceptos majoribus tradebant, vel qui ſe in vaſſos Regi tradebant. Nutritius Regis eſt quem recentiores bajulum vocarunt à bajulando, quaſi in ulnis geſtando. Auguſtin. de Geneſ. ad liter. libr. 8. cap. 16. *quis parvulum puerum adhæreſcere docuit bajulo ſuo, ſi eum fuerit ex alto jacere minitatus.* Aimoin libr. 4. cap. 15. *Inter primores Franciæ qui convenerant, quidam Hermarius gubernator palatij Ariberti filij Regis, ſimulque bajulus à pueritia Agniano ſuper ſe irruente perimitur.* Idem cap. 38. ejuſd. libr. *At verò quidam Otho Berone genitus à patre, ſperabat ſe Comitem palatij fieri poſſe, eo quod Baiulus fuerat Regis Sigeberti in ejus tenera ætate.* Anonymus auctor vit. Ludovic. P. de Carolo M. *Filiumque ſuum Ludovicum Regem regnaturum in Aquitaniam miſit, præponens illi Bajulum Arnaldum.* Et Lupus Ferrar. epiſt. 64. ad Carolum Calvum, *non admittentur ergo à vobis monitores, quos Bajulos vulgus appellat*, vulgò *Baillifs.*

Condiderat autem Epiſcopus teſtamentum in quo Regi Sexenium, qui poſt ejus obitum acciperet indicabat. Dalmatius Ruthenenſis Epiſcopus, teſtamento ſucceſſorem Regi indicavit, quondam nomine Sexennium, rogans & adjurans Regem, nè extraneus ordinaretur, id eſt nè Epiſcopus eligeretur de alia Eccleſia, nec conjugatus, ſed relecto id eſt ſemel atque iterum lecto teſtamento Epiſcopi, alius ordinatus eſt, nimirum Theodoſius Archidiaconus ejuſdem Eccleſiæ, & in hoc paritum eſt deſiderio Epiſcopi, quod extraneus non eſt ordinatus, & hoc eſt quod dicitur verbis quæ ſequuntur, *poſt hæc relecto teſtamento Antiſtitis &c.* Extraneus non eſt eligendus Epiſcopus, id eſt de alienâ Eccleſiâ, ſi in ipſa Eccleſiâ idoneus reperiatur can. nullus can. obitum. 61. diſt. cap. cum nobis extr. de elect.

Reſidentibus autem illis vnus Presbyterorum cœpit Antiſtitem memoratum impudicis blaſphemare ſermonibus. Blaſphemare propriè eſt maledicere in Deum vel Sanctos cap. 2. extr. de maledic. tamen in communi uſu loquendi blaſphemare eſt maledicere in Principem vel ſummum Pontificem, vel Epiſcopum. Bart. in l. item apud Labeonem §. ait Prætor. ff. de injurijs.

Cap. 48. *Cratina Pictavienſis inſula vocitatur, in qua à fiſcalis vinitoris*

ris ſervo Leocadio nomine naſcitur. Locum eſſe corruptum jam olim monui 1. Rer. Aquit. cap. 23. & pro Cracinâ legendum Eracina, ea eſt Herus vel Herio inſula, oræ Pictonicæ objacens unde Gregorio dicitur inſula Pictavienſis. Recentiores vocarunt Reacum inſulam, quod plerumque rei criminis in hanc inſulam pœnæ causâ deportarentur, vulgò *l'Iſle de Ré.* Hæc fuit patria Leudaſtis Comitis Turonenſis, quem Gregorius dicit natum è ſervo fiſcalis vinitoris, id eſt præfecti vinearum fiſcalium, qui præerat his colendis, & fiſcales vineas colebat opera ſervorum qui erant addicti huic operi. Et hoc eſt quod ait Aimoinus libr. 3. cap. 42. Leudaſtem de fiſcalinis ortum eſſe ſervis. *Nam de fiſcalinis*, inquit, *ortus ſervis.* Hic eſt quem Leodactum Comitem vocat Gregor. de mirac. B. Martin. lib. 2. cap. 58. *Audiens autem Leodactus qui tum Turonicum gerebat Domitatum*, &c.

Amotus à piſtillo, promovetur ad Cophinum, Leudaſtes è ſervo fiſcali natus, primum culinæ regiæ addictus, ſed quia lippientibus oculis fumi acerbitatē ferre non poterat, à piſtillo tranſlatus ad Cophinum. Locus eſt obſcurus, piſtillum eſt inſtrumentum coquinarium quo carnes contundi ſolebant, antiquis carnes contuſæ in delicijs erant Hieronym. epiſt. ad Euſtoch. *Revera non poterat ei Deus conditum merum mittere, & electos cibos & carnes contuſione mutatas*, inde piſtillum quaſi inſigne pro coqui officio, & Cophinus ſignat piſtoris officium, Cophinus enim eſt vas è virgultis textum in quo panis reponitur de quo pſalm. 80. *Manus ejus in Cophino ſervierunt*, & Math. 24. *Et tulerunt reliquias duodecim Cophinos fragmentorum plenos.* Vvillelm. Brito Philippid. libr. 10:

—— Cophinisque reperta feratis.
Copia nummorum, vena fabricata nitenti.

Sed dum inter fermentatas maſſas ſe delectari conſimulat. Leudaſtes è piſtrino ad Cophinum tranſlatus, fuga evaſit, dum ſimulat ſe delectari inter fermentatas maſſas, ſibi placere piſtoris officium, cujus ars eſt panem conficere fermento adhibito Tertull adverſ Valentinian. cap. 31. *Vbi totam meſſem Acamoth ſeminis ſui preſſerit, deinc colligere in horreum cœperit, vel cum ad molam delatum & defarinatum in conſperſionis aluearia*

abſconderit, donec totum confermentatur. Maſſas fermentatas appellat, panes fermentarios, qui compoſiti ſunt in modum maſſæ, & hæ ſunt quas tortas panis vocant Iſidor. Origin. libr. 20. cap. 2. *Cruſtula panis oleo conſperſus, in medio concavus, & tortus*, hæc eſt torta panis, diminutivum tortula. Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 17. *Prodit & ex monumento quo Dominicum jacuit corpus mira virtus, quod ſæpiùs terra naturali candore radiante repletur, & exinde iterum ablata aqua conſpergitur, de qua tortulæ parvulæ formantur.* Alij hujuſmodi panes paſtellos vel paſtillos vocant, paſtilli nomine honeſtè intelligebatur, quod dabatur per ſimoniam pro collatione beneficij can. nullus 1.qu.2.can.ſi quis præbendas 1.qu.3.inde paſtillarius qui panes dulciarios melle ſubactos conficit. Auguſt. de morib. Manichæor. *Paſtillarius mella diù ſubigit, ut ad illum candorem perveniant, & minus noxiam, mitioremque dulcedinem.* Servi transferri ſolebant de officio ad artificium, vel de uno artificio ad aliud, ſi expediret l. textoribus l. de legatis §. 1. de legat. 3.

Cumque bis aut tertio reductus à fugæ lapſu teneri non poſſet, auris unius inciſione multatur. Leudaſtes ſervus fiſcalis iterum & tertio è fugâ revocatus, auriculâ multatus, de eo idem Aimoin libr. 3. cap. 34. Servi fugitivi notis ſeu ſtigmatis & punctis inſcribi ſolebant, ut faciliùs agnoſci & recipi poſſent l. 1. §. ult. ff. de fugitiv. Auguſtin. ep. ad Galat. interpretans illa verba epiſt. ad Roman. *Ego enim Stigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore meo porto. Stigmata enim dicuntur notæ quædam pœnarum ſervilium, ut ſi quis verbi gratia ſervus in compedibus fuerit, propter noxiam, id eſt propter culpam, vel hujuſmodi aliquid paſſus fuerit, ſtigmata habere dicatur, & ideo in jure manumiſſionis inferioris eſt ordinis.* Servus pœnæ cauſa vinctus, manumiſſione civitatem Ro. non conſequitur ſed Deditiorum numero habetur Ulpian. in fragm. tit. 1.

Quæ libenter eum colligens provocat, equorumque meliorum deputat eſſe cuſtodē. Marcoveifa Regina Leudaſtem ſervum fugitivum ad ſe confugientem provocavit, id eſt promovit ad officium cuſtodis equorum, provocare eſt promovere Gregor. infr. h. libr. cap. 49. *Nam hic ſub Eufronio Epiſcopo de pau-*

peribus provocatus, Archidiaconus ordinatus eſt. Idem ſupr. hoc libr. cap. 3. *Siggo quoque Referendarius qui annulum Regis Sigeberti tenuerat, & ab Chilperico Rege ita provocatus erat, vt ſervitium quod tempore fratris ſui habuerat obtineret.*

Comitatum ambit ſtabulorum, Præfectus Regij ſtabuli dicebatur Comes ſtabuli, quia adjunctum habebat honorem Comitivæ. Apud Romanos, idem dictus eſt Tribunus ſtabuli quia adjunctam habebat tribuni dignitatem. Ammian. libr. 26. *Valentem fratrem ſtabulo ſuo cum Tribunatus dignitate præfecit.*

Multum ſe nobis humilem, ſubditumque reddebat, jurans ſæpius ſuper ſepulchrum ſancti Antiſtitis, numquam ſe contra rationis ordinem eſſe venturum. Leudaſtes Comes Turonenſis Gregorio noſtro infenſus, ei reconciliatur, juratque ſuper tumulum B. Martini, ſe ei numquam nociturum. Idem Aimoin lib. 3. cap. 42. Juramentum præſtari ſolebat ſuper tumulum Sanctorum, ut ſupra obſervatum eſt cap. 31. h. libr.

Iam ſi in judicio cum ſenioribus vel laïcis, vel clericis reſediſſet, Leudaſtes Comes Turonenſis jure magiſtratus præerat juri dicundo, & in judicio ſedebat cum ſenioribus, id eſt adſeſſoribus qui ei adſidebant laïcis vel clericis. Ea ætate clerici dicebantur qui erant periti litterarum, laïci verò qui earum erant imperiti, clerici dicebantur ſtudioſi litterarum cap. Quod clerici de for. compet. Orderic. Vital. libr. 3. *Radulfus autem quintus frater, clericus cognominatus eſt, quia peritia litterarum, aliarumque artium apprimè imbutus eſt.* Inde clerici dicti litterati, quod ſoli ferè clerici, vel qui cogitarent de clericatu, darent operam litteris Stephan. Tornacenſ. epiſt. 12. *In Gallicanis etiam partibus, ad hoc tantùm plerique litteras addiſcunt, ſive parvuli, ſive adulti, vt in Eccleſia Dei gradatim per ordines promoti, Deo ſerviant & miniſtrent.* Illiterati vero dicebantur laïci, quia plerumque id genus hominum erat rusticanum & expers litterarum, ætatis vitio ſeu barbarie. Otho Friſing. de geſt. Frideric. libr. 1. cap. 48. *Martianus præterea licet laïcus, Chriſtianiſſimus tamen Imperator.* Robert. Montenſ. in ſuppl. Sigebert. *Laïcis & illiteratis vix loqui dignabatur.* Guill. Neubrigenſ. rer. Anglic. lib. 4. cap. 3. *Laïci eſtis, ſi percipere non potuiſtis vim verbi.*

Sed poſt illata damna , iterat iterum ſacramenta , pallamque ſepulchri Beati Martini fidejuſſorem donat , ſe nobis numquam adverſaturum , Leudaſtes Comes fide ſacramenti fracta , iterum juratus promiſit ſe ei deinceps non adverſaturum, ac quò ſacramentum ſolemniùs eſſet,fidejuſſorem dedit, id eſt pro fidejuſſore dedit pallam ſepulchri B. Martini ſuper quâ jurabat. Palla ſeu pallio tegebatur tumulus B.Martini multis claro miraculis Gregor. de mirac. ipſ. libr. 2. cap. 10. *Factum eſt autem vt quadam die , accedens ad ſanctum ſepulchrum orans , & oſculans , de palla quæ ſuper eſt poſita aures & oculos ſibi tangeret.* idem cap. 54. ejuſd. libr. *ibique iterum proſtrata , de palla quæ ſanctum tegit tumulum oculos abſtergens, & valedicens diſceſsi.* Idem cap. 60. ejuſd. libr. *Orationi proſternor qua expletâ , doloris locum peto , quod ante beatum dependebat ſepulchrum attigi.* Pallâ pariter tectum ſepulchrum B. Remigij Rhemenſis Epiſcopi Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 79. *Adſumpta igitur palla de beati ſepulchro , componunt in modum feretri*, in lectulo Nicetij Lugdunenſis Epiſcopi idem Gregor. de vit. Patr. cap. 8. *Palla etiam ſpecioſa tegitur, Lychnique in ea jugiter accenduntur* de ſepulchro B. Magnegundis idem Gregor. de vit. Patr. c 19. *Cum pleriſque hoc fuit beneficium remedij , cum pallam tumuli ſunt fideliter oſculati* , de ſepulchro B. Edmundi Regis & martyris , idem VV. Malmesbur. de geſt. Reg. Angl. libr. 2. cap. 11. *Porro Cnuto Glaſtonienſem Eccleſiam, vt fratris ſui Edmundi manes inviſeret, ſic enim eum vocare ſolitus fuerat, feſtinavit factaque oratione ſuper ſepulchrum pallium miſit verſicoloribus figuris Pavonum vt videtur intextum.* Imperatorum ſepulchro impoſitum velamen purpureum ut Diocletiani ſepulchro Ammian libr. 16. *Suaſitque conſarcinatis mendacijs , læſæ majeſtatis arceſſere maritum inſontem , & fingere quod velamen purpureum à Diocletiani ſepulchro furatus , quibuſdam conſcijs occultabat* , nec modò Imperatorum , ſed & privatorum nobiliorum tumulo velum appoſitum Hieranym. ad Paulam : *Ex more parantur exequiæ. & nobilium ordine præeunte aureum feretro velamen obtenditur.* Palla ſepulchri B. Martini à Leudaſte data pro fidejuſſore, id eſt pro nexu & vinculo ſacramenti præſtiti , propter religionem & reverentiam pallæ , quæ varijs

clara erat miraculis & curationibus ægrorum. Palla eſt pallium ſeu velamen, diminutivum pallula Greg. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 47. *De quo infecta linteamina, vel pallulæ, ſive vela eccleſiaſtica, beatus cruor collectus eſt.*

Catenatoſque ac exutos veſte, jubet eos ad Reginam deduci. Cap. 49.
Leudaſtes Comes Turonenſis Platonem Archidiaconum Turonenſem & Gailenum captos & in vincula conjectos jubet veſte exui. Spoliatio veſtis ignominiæ cauſa in reos majeſtatis ſolita, Herminigildum a Leuvigildo Rege Gothorum patre ſuo captum veſte exutum & vili amictum refert Gregor. ſupr. h. lib. cap. 39. *& adprehenſum ſpoliavit eum indumentis ſuis, induitque illum veſte vili.*

Sed Rex recogitans abſolutos à vinculo, libera cuſtodia reſervat illæſos. Plato Archidiac. & Gallienus à Chilperico Rege vinculis ſoluti, & in libera cuſtodia poſiti. Libera cuſtodia dici ſolebat, cum reus Magiſtratui vel Senatori cuſtodiendus cõmittebatur Tacit. 3. Annal. *Gallio quia incuſabatur facilè toleraturus exilium Lesbo inſulâ nobili & amœnâ retrahitur in vrbem, cuſtoditurque domibus Magiſtratuum.* Salluſtius de conjurat. Catilin. *Senatus decrevit vt abdicato Magiſtratu Lentulus, itemque cæteri in liberis cuſtodijs habeantur*, quo pertinet locus M. Tullij 1. in Catilin *Quam longè videtur à carcere, atque à vinculis abeſſe, qui ſe ipſum jam dignum cuſtodia judicaverat.* Vel potiùs libera cuſtodia dicitur, laxior cuſtodia quæ erat tuta ſed mitior & tolerabilior, nempe non eſt in carcere, ubi tenebræ multæ lux nulla, aut tenuior, ſed in veſtibulo carceris l. 1. C. de cuſtod. reor. quod cuſtodiarium vocat Tertull. ad Martyres. *quo vos benedicti de carcere in cuſtodiarium, ſi fortè tranſlatos exiſtimetis.* Liberâ cuſtodia dicuntur teneri qui non in carcere, ſed in veſtibulo carceris tenentur, quod non ſint in vinculis & carceris tenebris. Hieronym. in Hierem. libr. 6. cap. 32. *Et Hieremias Propheta clauſus erat in atrio carceris qui erat in domo Regis Iuda. Ex parte aliqua illius clementia demonſtratur, quod nequaquam eum in carcere, ſed in veſtibulo recludi juſſerit carceris, libera videlicet cuſtodiâ nè poſſet effugere.*

Ad civitatem verò Turonicam Berulſus Dux cum Eunomio Comite fabulam fingit. Fabula hic pro commento ſeu figmento

Tertull. adverſ. Valentinian. cap. 2. *Iam ſi & in totam fabulam initietur nonne tale aliquid dabitur, te in infantia inter ſomni difficultates à nutricula audiſſe lamiæ turres & pectines ſolis.* Fredegar. cap. 38. *ruſtica fabula dicitur quod cum lupus aſcendiſſet in montem.* Aliàs fabula accipitur pro ſermone ſeu narratione rei veræ. Tertull, Apologetic. cap. 21. *Recipite interim hanc fabulam.* Senec. 3. de benef. cap. 23. *Sic ſervata nobilis fabula, & exemplum duarum vrbium fuit*, inde fabulari eſt ſermonem habere etiam de rebus ſerijs Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 4. cap. 41. *Cumque in quodam convivio, de Beati Martini virtutibus fabularentur*, idem ſupr. hoc libr. cap. 19. *Nos collecti in vnum ſedebamus in ſecretario baſilicæ Beati Petri, confabulantibuſque nobis ſubitò advenit Ætius Archidiaconus Pariſiacæ Eccleſiæ* Fabulari etiam eſt loqui de jucundis Plaut. in Ciſtellariâ. *Atque iſtuc mihi cibus eſt quod fabulare*, hac de re plura in libr. 3. cap. 7.

Cumque inter duos cuſtodes catenis & cippo teneretur vinctus. Modeſtus faber lignarius vinctus inter duos cuſtodes poſitus, vinctis addebatur cuſtodia militaris l. 3. ff. de cuſtod. reor. eadem catena vinciebat cuſtodem, id eſt reum qui erat in cuſtodia & militem Senec. epiſt. 5. *Eadem catena militem & cuſtodiam copulat.* Act. Apoſtolor. cap. 12. *In ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus.*

Congregati igitur apud Brennacum villam Epiſcopi in vnam domum reſidere juſsi ſunt. Anno Chriſti 580. Synodus apud Brennacum villam fiſcalem congregata in cauſa Gregorij Epiſcopi Turonenſis, qui à Leudaſte Comite falſo apud Chilpericum Regem accuſatus erat, quaſi Fredegundi Reginæ oblocutus eſſet de turpi conſuetudine cum Bertramno Burdegalenſi Epiſcopo. Ejuſdem Synod. meminit Fortunat. lib. 9. epiſt. 1. Brennacum vulgò *Brenne en Champagne.*

Dehinc adveniente Rege, data omnibus ſalutatione ac benedictione acceptâ, reſedit. Chilpericus ſedit in Concilio Epiſcoporum, priùs ſalutatis Epiſcopis, & benedictione ab his accepta, Epiſcopi priuſquam ſederent in concilio ſe invicem ſalutabant his verbis Deo gratias, Optat. lib. 1. adv. Donatiſt. *Ij dixerunt talem cauſam Domino debere reſervari, & dixit ſecundus ſedete*

Tunc dictum eſt ab omnibus Deo gratias, & ſederunt. Epiſcopi benedicebant Principi vel majoribus qui concilio aderant hac formulâ Pax vobis Chriſoſtom. Homil. 36. in 1. Cor. 1. Iſidor. Peluſ. libr. 1. epiſt. 122. Gregor. infr. h. libr. 6. c. 5. *ad me converſus poſtulat, vt acceptâ benedictione diſcederet.* Reges capita ſubmittebant benedictioni Epiſcoporum. Hilar. Pict. libr. contr. Conſtantium. *oſculo ſacerdotes excipis, caput benedictioni ſubmittis, vt fidem calces.*

Tunc cunctis dicentibus non poteſt perſona inferior, ſuper Sacerdotem credi. Riculfus Subdiaconus non eſt admiſſus in teſtem adverſus Gregorium Epiſcopum, quaſi minores clerici non ſint audiendi adverſus Epiſcopum, laïci quoque non admittuntur ad accuſandum Epiſcopum, quia oppido eis infenſi exiſtunt can. laïcos. can. laïci 2. qu. 7.

Reſtitit ad hoc cauſa, vt dictis miſsis in tribus altaribus me de his verbis exuerem ſacramento, & licet Canonibus eſſent contraria, pro cauſa tamen Regis impleta ſunt. Gregorius ex decreto Synodi Epiſcoporum ſe purgavit de objectis ſacramento poſt tres miſſas celebratas in tribus altaribus. Epiſcopo accuſato, deficiente probatione indicitur purgatio canonica per ſacramentum ſuper reliquijs Sanctorum. can. Mennam. 2. qu. 5. quæ indicta eſt Gregorio per ſacramentum dictis tribus miſſis in tribus altaribus, dicitur indicta contra canones, quod ſacramento adiectum eſſet illud quod ſacramentum præſtaretur poſt tres miſſas celebratas tribus in altaribus, quod erat novum & inſolens, ſed Gregorius paruit, ut ſeſe Regi reconciliaret, quia agebatur cauſa Regis.

Iejunium cum omni domo ſua celebravit. Riguntis Regina cum ſuis jejunat pro cauſa Gregorij. Oratio cum jejunio adhiberi ſolita Gregor. libr. 2. cap. 3 Ex epiſtola Eugenij Epiſcopi ad Carthaginenſes. *Dico tamen vobis valete, & orate pro nobis, & jejunate.*

Tunc placuit omnibus Sacerdotibus, vt ſator ſcandali, inficiator Reginæ, accuſator Epiſcopi, ab omnibus arceretur Eccleſijs, eo quod ſe ab audientia ſubtraxiſſet. Leudaſtes Comes in Synodo Brennacenſi ab Epiſcopis excommunicatus ob contumaciam, quod fugâ ſe ſubduxiſſet, ab audientia id eſt judicio Epiſcoporum.

Excommunicatio eſt pœna contumaciæ cap. cum non ab homine de judicijs. Ait inficiator Reginæ, id eſt obtrectator, qui detractione inficit, fœdat, decolorat famam alterius. Petr. de Vineis libr. 1. epiſt. 21. *Famæ præloquium frequenter in maximis virginibus aurium deflorat auditum.* Symmach. libr. 10. epiſt. 34. *Qui ſummi loci judices decolorant.*

Ab hora tertia diei, revinctis poſt tergum manibus, ſuſpenſus ad arborem dependebat. Riculfus Subdiaconus, vinctis poſt tergum manibus, ſuſpenſus ad arborem, quæſtionis causâ, ſuſpendium ad arborem tormenti genus.

Extenſus ad trocleas cædebatur ſuſtibus. Vario genere quæſtionis tortus eſt Riculfus clericus, & cæſus fuſtibus, virgis loriſque duplicibus, extenſus ad trocleas. Trocleæ genus tormenti uſu frequens in paſſione Martyrum, de quo & Gregor. infr. libr. 6. c. 8. *In terrâ extenditur ad trocleas virgis ac fuſtibus cæditur,* idem lib. 7. cap. 22. *Tunc Rex furore ſuccenſus juſsit eos ad trocleas extendi, & fortiſsime cædi.* Troclea eſt rota è qua funes ſuſpenduntur, per quos rei in ſublime elevantur, inde precipites in imum mittuntur, extenſi inter ſtipites quæſtionis causâ fuſtibus cædebantur Gregor. infr. lib. 9. cap. 38 *Nec mora extenſi inter ſtipites cum vehementiùs cæderentur*, noſtri tracleam vocant *Vne Poulie*, quâ utimur etiam ad ſuſpendendam lampadem. Beda libr. 5. cap. 18. *Pendente deſuper in trochleis magnâ lampade.*

Chlodoveus regnum acciperet, Leudaſtes Ducatum. Riculfus clericus, inter tormenta confeſſus eſt, Fredegundi Reginæ crimen adulterij objectum, ut eâ amotâ, ſublato Chilperico Rege, & alijs liberis Clodoveus regnaret, Ludaſtes Ducatum Regni obtineret, id eſt ſummam rerum adminiſtrationem, ſic vocatur poteſtas ejus cui ſumma rerum credita erat poſt Regem. Gregor. ſupr. h. libr. cap. 14. *Meroveus incluſis fratribus omne capiat regnum, tu vero Ducatum totius regni ejus annis quinque tenebis.*

Nam hic ſub Eufronio Epiſcopo de pauperibus provocatus Archidiaconus ordinatus eſt, exinde ad Presbyteriū admotus receſsit ad propria. Riculfus de pauperibus, id eſt unus à pauperibus, qui erant in matricula Eccleſiæ ad ordines promotus, Archidiaconus

nus ordinatus eſt, inde ad Presbyterium, quia munus Archidiaconi non erat perpetuum Sidon. lib.4.ep.25. *Archidiaconus in quo ſeu gradu ſeu miniſterio, multum retentus propter induſtriã, diu dignitate non potuit augeri, nè poteſtate poſſet abſolvi.* Presbyter ordinatus ad propria receſſit, id eſt in propriam Eccleſiam in qua ordinatus eſt, quia ordinatio non fiebat ſine certo titulo can. neminem can. Sanctorum 70. diſt.

Hic quaſi jam eſſet Epiſcopus, in domum Eccleſiæ ingreditur impudenter, argentum deſcribit Eccleſiæ. Riculfus Presbyter Gregorio accuſato apud Chilpericum Regem ſpe Epiſcopatus, domum Eccleſiæ occupavit, argentum Eccleſiæ deſcripſit, inventario ſc. argenti & rerum Eccleſiæ confecto. Inventarium rerum vacantis Eccleſiæ ſtatim fieri ſolebat, nè res interim amoverentur can. hæc hujus. can. charitatem 12. qu. 2. Et Epiſcopus electus ab initio ſolebat etiam conficere inventarium rerum Eccleſiæ, imò & ſi uxorem haberet, & liberos, rerum propriarum inventarium conficere tenebatur, ut pateret quid in bonis haberet tempore adepti Epiſcopatus can. de Syracuſanæ 28. diſt. Balſam. in can. 22. Conc. Calced.

Illud ſæpe ſuis familiaribus dicere erat ſolitus, quod hominem prudentem, non aliter niſi in perjurijs quis decipere poſsit. Sapiens perjurio plerumque decipitur, propter fidem quam præſtat jurijurando. Notat Riculfum Presbyterum, quod perjurio gauderet. Eadem de turpitudine gloriatur Ballio leno apud Plaut. in Pſeudolo. *conceptis hercle verbis ſatis certò ſcio. Ego perjurare mavellem me millies quam mihi illum verba per deridiculum dare.*

Cum concilio comprovincialium, eum in monaſterium removeri præcipio, Riculfus Presbiter ob falſam accuſationem in Gregorium Epiſcopum, pœnitentiæ cauſa deportatus in monaſterium. Clerici pœnæ cauſa ſolebant deportari in monaſterium quod moleſtum erat Abbatibus & Monachis, monaſterio fuga elapſum Riculfum, intercedentibus Felicis Nannetenſis Epiſcopi miſſis, circumvento perjurijs Abbate acceſſiſſe ad Felicem Epiſcopum, & ab eo acceptum queritur Gregorius.

Intercedentibus Felicis Epiſcopi miſsis. Miſſi dicuntur legati

ſeu nuntij Principis. Gregor. infr. libr. 8. cap. 18. *compellentibus miſsis imperialibus.* Ijdem dicuntur paſſim miſſi Dominici, miſſi dicti etiam nuntij ſeu vicarij Epiſcoporum. Burchard. lib. 18. *Illa autem ſi prior ad Epiſcopum aut ejus miſſum provocaverit* cap. 1. ext. de Frigid. & maleficiat. miſſi etiam dicti nuntij privatorum. Gregor. de Mirac. Martyr. lib. 1. cap. 44. *Et ad Epiſcopum miſſos dirigunt, vt eis quid agant jubeat ordinare.*

Cap. 50. *Igitur cum vale poſt Synodum memoratam Regi jam dicto, ad propria redire vellemus.* Finitâ Synodo Epiſcopi diſcedunt vale dicto Regi. Abeuntes vale dicebant hoc verbo ſimplici vale Gregor. infr. libr. 6. cap. 5. *Igitur Chilpericus Rex Pariſius venire diſponit, ad quem, cum jam vale dicturus accederem*, & infr. *Hauſtoque mero vale dicentes diſceſsimus.* Idem cap. 6. ejuſd. lib. *Omnes ſtupefacti, & vale dicentes, cum magna admiratione ad propria ſunt regreſsi.*

Non ante diſcedere placuit, niſi hunc virum libatis oculis linqueremus. Gregorius finita Synodo Brennacenſi, cui aderat Salvius Albienſis Epiſcopus non ante domum recedere ſuſtinuit, quam cum ſalutaſſet libato oſculo, Chriſtiani ſolebant in occurſu ſe invicem ſalutare oſculo pacis, id eſt in ſignum pacis & dilectionis, ſeu communionis Eccleſiaſticæ Optat. Milevit. libr. 4. adverſ. Donatiſt. *Nam & vos ipſi aliqui in perfunctoria ſalutatione oſcula denegatis ſolita, & docentur multi nè Ave dicant cuiquam noſtrum.* Hieronym. 3. adverſ. Rufin. *Antequam Sanctus Epiphanius veniſſet Hieroſolymam, & ore quidem & oſculo tibi pacem daret*, & infr. *vt hæreticum ſcriberet quem oſculis orthodoxum comprobavit*, quæ ſalutandi formula ducta videtur ex ritu apoſtolico. Paul. Rom. 16. 1. Cor. 13. 1. Theſſ. 5. *ſalutate invicem in oſculo ſancto.* ait libatis oſculis, oſcula libare dixit, ut vini poculum libare pro haurire ſupr. hoc lib. cap. 20. *Hi pocula poſcerent & vina libarent.*

In atrio Brennacenſis domus. Atrium regiæ vel Auguſtæ domus vel caſtri eſt ſpatium liberum quod eſt ante edificium domus Gregor. de vit. Patr. cap. 7. de caſtro Lingonenſi, *ingreſsi autem portam caſtri cùm ad atrium perveniſſent*, idem infr. lib. 7. cap. 42. *Nam ingrediente me atrium domus, vidi virum ſenem exhibentem arborem in manu ſua, quæ mox extenſis ramis*

omne atrium texit. Atrium eſt area ante ædes jacens, quam Græci αὐλὴν noſtri aulam vocabant Auguſtin. lib. 2. quæſt. in Exod. cap. 173. *Sicut autem in lingua latina invenimus aulæa, quæ Græci aulæas vocant, ita quam illi appellant αὐλὴν noſtri aulam vocarunt, ſed jam non atrium iſto nomine ſed domus regia ſignificatur in latina lingua, apud Græcos autem atrium,* inde atriarij vel atrienſes ſervi, qui in atrio Mediaſtinorum operâ funguntur l. 1. §. Caupones. Nautæ caupon. Horum officium erat atrium ſcopis verrere, ſupellectilem mundâre Columell. de re ruſtic. lib. 12. cap. 13. *Tum inſiſtere atrienſibus ut ſupellectilem exponant, & ferramenta deterſa nitidentur, atque rubigine liberentur.* Cujac. obſerv. lib. 10. cap. 24. & ad l. 203. de V. S. Atrium Eccleſiæ eſt area circa Eccleſiam 40. paſſum in majoribus Eccleſijs. 30. in capellis vel minoribus Eccleſijs, intra quam confugientibus erat plena ſecuritas can. Sicut. can. ſiquis in atrio. can. ſi quis contumax. can. quiſquis 17. qu. 4.

LIB. VI.

Cap. 1. APVD Lugdunum Synodus Epiſcoporum conjungitur, diverſarum cauſarum altercationes incidens, negligentioreſque judicio damnans. Conc. Lugdunenſe III. celebratum ſub Guntrano Rege anno Domini 583.

Cap. 2. *Agathen vrbem, quæ in Gothorum regno ſita eſt advenerunt.* Agathe eſt urbs Septimaniæ, quæ eo tempore erat adhuc ditionis Gothorum. Gregor. infr. lib. 8. cap. 28. *Quibus de cauſis commotus Guntchramnus Rex exercitum in Hiſpaniam deſtinat ſcilicet vt prius Septimaniam, quæ adhuc infra Galliarum terminum habetur, ejus dominationi ſubderent*, idem cap. 30. ejud. libr. *Prius Septimaniam Provinciam ditioni noſtræ ſubdite, quæ Gallijs eſt propinqua, indignum eſt vt horrendorum Gothorum terminus in Gallia ſit extenſus.* Idem libr. 9. cap. 7. *Gothi verò propter ſuperioris anni devaſtationem, quam in Septimania Regis Guntchramni exercitus fecit, in Arelatenſem Provinciam proruperunt.* Septimania jam olim tradita Gothis. Sidon. libr. 3. epiſt. 1. *vel Gothis credite qui ſæpenumero etiam Septimaniam ſuam faſtidiunt, vel refundunt, modo invidioſi hujus anguli, etiam deſolata proprietate potiantur*, unde Septimania dicta eſt Gothia, quaſi reſidua ſedes Gothorum jam amiſſa Aquitania. Gregor. ſupr. libr. 4. cap. 51. *ibique Sigilla, qui quondam ex Gothia venerat, multùm laceratus.*

Tunc ego Novigentum villam ad occurſum Regis abieram. Novigentum, vel Novingentum, vel Nongentum aliud eſt oppidum in Pertico, ſeu Perticenſi pago, vulgò Nongentum

Rotroci, *Nogent le Rotrou.* Guill. Brito de geſt. Philipp. A. ad ann. 1189. *apud Nongentum oppidum in Perticenſi pago*, aliud eſt cognomine Novientum vel Nongentum ſuburbanum Pariſiorum in vit. S. Remigij. *Villam verò Novientum in pago Pariſiaco*, locus celebrior ſepultura S.Clodoaldi Geſta Franc cap.24. *Noviento villa Pariſiaci ſuburbano, depoſitus requieſcit*, c'eſt S. Cloud.

Ibique nobis Rex miſſorium magnum, quod ex auro gemmiſque fabricaverat in quinquaginta librarum pondere oſtendit. Miſſorium eſt majus vas aureum vel argenteum, pretioſis gemmis diſtinctum quod inter Reges & Principes doni cauſa mitti ſolebat. de quo Gregor. infr. libr. 7. cap. 4. *Reliquos vero theſauros qui apud villam Calam remanſerant, in quibus erat miſſorium illud aureum, quod nuper fecerat theſaurarij levaverunt.* Aimoin. libr. 4. cap. 25. *Miſſorium aureum ex theſauris Gothorum.* Miſſorium etiam dictum quod oblatum erat Eccleſiæ à Principe vel optimate. Flodoard. Hiſt. Rhem. libr. 1. cap. 4. *Miſſorium argenteum* VI. *librarum.*

Aureos etiam ſingularum librarum pondere, quos Imperator miſit oſtendit, habentes ab una parte Iconem Imperatoris pictam, & ſcriptum in circulo Tiberij Conſtantini perpetui Auguſti, ab alia vero parte habentes quadrigam & aſcenſorem continenteſque ſcriptum gloria Romanorum. A Tiberio Imp. Chilperico Regi dono miſſi ſunt aurei ſinguli pondo libræ auri habentes ex una parte inſculptam imaginem Imperatoris, ex altera quadrigam & vectorem, unde id genus nummi dicti quadrigati. Aurei Romani inſcripti imagine Imperatoris. Cedren. in Niceph. Phoca. νόμȣ δὲ καὶ ἔθȣς ὄντων πάντα χαρακτῆρα βασιλέως, εἰ μὴ τῷ ςάθμῳ ἐλαττοῖτο δύναμιν εἰσφέρειν, καὶ ἔχειν ἰσότιμον. *Cumque eſſet lege, & conſuetudine receptum, ut omnes nummi imagine alicujus Imperatoris notati, modo ponderi juſto nihil decederet, idem valerent.* Soli Imperatores Romani aureis nummis ſuam imaginem apponebant, Rex Perſarum argenteis tantum. Primi omnium Francorum Reges, ſpreta Imperij majeſtate, nummos aureos ſua imagine percuſſerunt. Procop. 3. de bell. Gothic.

Cap. 3. *Qui dato ſuſceptoque de pace ſacramento, pactionibuſque firmatis, munerati regreſsi ſunt*, Pactum pacis inter Chilpericum

Regem, & Childebertum filium Sigeberti Regis jurejurando firmatum ut infr. libr. 7. cap. 6. pactum inter Charibertum, Guntranum & Chilpericum Reges jurejurando pariter ſancitum, hoc addito ut Polieuctus martyr cum Hilario & Martino Confeſſoribus eſſet perjurij vindex.

Lupus vero Dux Campanenſis. Comites præerant ſingulis civitatibus & pagis, Duces Provinciæ, quæ eſt ſyntheſis plurium civitatum & pagorum. Gregor. ſupr. libr. 8. cap. 18. *Nicetius per emiſsionem Eulalij à Comitatu Arverno ſubmotus Ducatum à Rege expetijt, datis pro eo immenſis muneribus & ſic in vrbe Arverna, Ruthena, atque Vceticâ Dux ordinatus eſt.* Idem libr. 9. cap. 7. *Ennodius cum Ducatum vrbium Turonicæ atque Pictavæ miniſtraret, adhuc & Vici Iulienſis, atque Benarnæ vrbium principatum accepit.*

Tutatâ infra vrbis Lugduni Clavati muros conjuge ſua, ad Guntchramnum Regem confugit. Rectius alij Codices Lauduni Clavati, Laudunum Clavatum urbs Campaniæ, in qua Lupus Dux Campaniæ conjugem in tuto poſuit ab hoſtibus, ejuſdem meminit Fredegar. cap. 97. *ad Laudunum Clavatum nuncios dirigit.* Aimoin libr. 4. cap. 45. *Martinus per fugam elapſus, Laudunum Clavatum ingreſſus illic ſe recluſit.* Flodoard. Hiſt. Rhem. lib. 1. c 14. *non modicam nec non earumdem rerum partem Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Lauduni Clavati Remenſis parochiæ caſtri, vbi nutritus fuerat tradidit*, ſic dictum à Clabis populis, quaſi urbs Claborum, ut Virdunum dicta eſt urbs Claborum Sigebert. ad ann. 1043. *Odofredus ad vrbem quoque Claborum, quæ Virdunus dicitur, cum maiori ſanctæ Mariæ Eccleſiâ incendit.*

Cap. 5. *Iudæus quidam Priſcus nomine, qui ei ad ſpecies coëmendas familiaris erat.* Hac ætate Judæi maximè negotiationem exercebant in Gallia, & Syri etiam, de Syris Gregor. infr. libr. 10. cap. 26. *Euſebius quidam negotiator genere Syrus, datis multis muneribus in locum ejus ſubrogatus eſt.* Salvian Gallus de Gubern. Dei libr. 4. *Conſideremus ſolas negotiatorum, & Syrorum omnium turbas, quæ majorem fermè civitatum vniverſarum partem occupaverunt.* Adeoque Syri per totum orbem ſparſi negotiationis cauſa. Hieronym. in Ezech. lib. 8. cap. 26. *Vſque*

autem permanet in Syris ingenitus, negociationis ardor, qui per totum mundum lucri cupiditate diſcurrunt, & tantam mercandi habent veſaniam, vt occupato nunc orbe Romano inter gladios, & miſerorum neces, quærant divitias, & paupertatem periculis fugiant. Idem ad Lætam. *Negotiatoribus, & avidiſsimis mortalium Syris.* Hinc mulieres Syras, quod continenter ferant abſentiam virorum, diu abſentium negotiandi cauſa, laudat Auguſtin. de adulterin, conjugijs libr. 2. cap. 20. *Et plurimæ pudiciſsimè tranſigunt, & maximè Syræ, quarum mariti negociandi quæſtibus occupati, juvenes adoleſcentulas deſerunt, & vix aliquando ſenes ad aniculas revertuntur*, & ut apud Ravennam omnia perverſa intelligantur, clericos fœnerari, Syros pſallere per ludum ſcribit Sidon. libr. 1. epiſt. 8. *Fœnerantur clerici, Syri pſallunt.* Judæi etiam ut plurimum erant conductores vectigalium in Galliâ. Gregor. infr. libr. 7. cap. 23. *Præſenti quoque anno Armentarius Iudæus, cum vno ſectæ ſuæ ſatellite, & duobus chriſtianis ad exigendas cautiones, quas ei propter tributa publica Injurioſus ex Vicario, ex Comite vero Eunomius depoſuerant Turonis advenit.*

Et hæc dicens aquam manibus percipi jubet, veteres diſcumbebant lotis prius manibus. Plaut. in Amphitr. *Laviſti A. quid poſtquam lavi accubuiſti.* Idem in Stych. *quam mox cocta eſt cœna, impranſus ego ſum E. Abi intro ad me & lava.* Petron. in Satyr, *Tandem ergo diſcubuimus pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus.* Gregor. ipſe de vit. Patr. cap. 4. *Sigivaldus ut ablutis aqua manibus, merum dignaretur accipere deprecatur.* Imo & convivæ manus lavabant ad ſingula fercula. Lamprid. in Heliogabal. *Quum per ſingula fercula & manus quaſi comediſſent lavarent.* Sidon. libr. 1. epiſt. 11. *Retrorſumque converſus tamquam aquam manibus poſcerem, cubitum toro reddidi.*

Quibus ablutis facta oratione accepto pane gratias Deo agentes, & ipſi accepimus, & Regi porreximus. Benedictio menſæ ante refectionem antiqui moris eſt Hieronym. ad Euſtoch. *nec cibi ſumantur, niſi oratione præmiſſa, nec recedatur à menſa, niſi referatur Creatori gratia*, imo & veteres benedicebant ſingula fercula Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 80. *Dixitque vir*

ad Presbyterum hæreticum ſi conſenſeris dictionibus meis, exerceamus hodie cachinnum, de hoc Romanorum Presbytero, ut ſcilicet appoſita ferculo, tu celerius ſignare feſtines, notatur virgo ſanctimonialis, quæ lactucam ori injecit, omiſſa benedictione ſigno crucis ſtatim arrepta à dæmone. Gregorius Papa Dialog. 1. cap. 4. *Quadam vero die una Dei famula ex eodem monaſterio virginum, hortum ingreſſa eſt, quæ lactucam conſpiciens concupivit, eamque ſigno crucis benedicere oblita, avidè momordit, ſed arrepta à diabolo protinus cecidit.*

Rex verò aſcenſo equo Pariſius eſt regreſſus. Priores Reges Francorum equo ut plurimum vehebantur, etiam in ſolemni pompa. Gregor. libr. 2. cap. 38. de Clodoveo 1. *Tunc aſcenſo equo aurum argentumque in itinere illo, quod inter portam atrij & Eccleſiam civitatis manu propria ſpargens.*

Fuit autem apud urbem Nicenſem eo tempore Hoſpitius Reclauſus. Alij Codic. legunt Recluſus. Ejuſdem meminit Aimoin. libr. 3. cap. 38. Paul. Diac. de geſt. Longobard. libr. 3. cap. 1. ex fide Gregorij.

Conſtrictus catenis ad purum corpus ferreis, induto deſuper cilicio. Hoſpitius Recluſus ferreis catenis vinctus, quas ad imum corpus geſtabat, ſuperiecit cilicium nè appareret, ſciens Patribus diſplicuiſſe in monachis manifeſtam catenarum geſtationem de quibus Hieronym. ad Euſtoch. *Viros quoque fuge, quos videris catenatos, quibus fœminei contra Apoſtolum crines hircorum barba, nudum pallium.* Idem ad Marcum Presbyterum. *Quid facit ſub tunica pœnitentis regius animus, catenæ ſordes, & comæ non ſunt diadematis ſigna, ſed fletus.* de ijſdem Epiphanius in calce Panarij in expoſitione fidei Catholic. cap. 23. ἀπρεπὲς δὲ καὶ τὸ κλοιοῖς προϊέναι. *Indecens eſt vinculis collo inditis incedere.* plura de his Chryſoſtom. libr. 3. adv. vituper. vit. monaſtic. Gregor. Nazianz. orat. 27. Pallad. Hiſt. Lauſiac. cap. 52. Theodorit. de vit. Patr. cap. 3. 4. 24. Gregor. ipſe de vit. Patr. cap. 15. de Senoch. Abbate. Caſſian. Collat. 8. cap. 3. Cæſari. de mirac. libr. 11. cap. 26. & trib. ſeqq.

Nihil aliud quam purum panem, cum paucis dactylis comedebat. Hoſpitius Recluſus veſcebatur ſolo pane, & aqua cum paucis dactylis, hi ſunt fructus palmarum, quos alij palmulas

vel

vel caricas vocant, Monachi alij victitabant ſolo pane, & oleribus, & leguminibus Hieronym. epiſt. ad Paulin. de inſtit. Monach. *Sit vilis & veſpertinus cibus, olera & legumina, interdumque piſciculos pro ſummis ducas delitijs*, idem ad Euſtoch. *vivitur pane leguminibus, & oleribus, quæ ſale ſolo condiuntur.* Idem Caſſian. de inſtit. cœnobitar. libr. 5. cap. 23. Evagr. libr. 1. cap. 21. alij vivebant pane & aqua cum paucis dactylis.

In diebus autem quadrageſimæ, de radicibus herbarum Ægyptiarum, quibus Eremitæ vtuntur, exhibentibus ſibi negociatoribus alebatur. Hoſpitius in quadrageſima vivebat radicibus herbarum Ægyptiarum, quæ ei ſubminiſtrabantur, à negotiatoribus Maſſylienſibus. Inter Monachos Ægyptios, alij vivebant pane, oleribus, & leguminibus, alij radicibus herbarum unde Βόσκοι id eſt pabulatores nomen. Evagr. libr. 1. cap. 21.

Non decimæ dantur, non pauper alitur. Hoſpitius Recluſus cladem Galliarum per Longobardos prædixit, ejuſque cauſam inter alias tribuit, decimarum detrectationi. Hoc tempore vitio ſeculi decimarum præſtatio in deſuetudinem abierat, ideò pro decimis inſtaurandis diligentiùs elaboratum Conc. Matiſc 2. Can. 5. Moguntin. Can. 38. de quo plura diſſ. Jur. Can. libr. 3. cap. 9.

Ipſo vero impoſito ſalutis ſigno, brachium ſanitati reſtituit. Longobardi militis dextera, quæ librando gladium in caput Hoſpitij diriguit, ſigno crucis à ſancto reſtituitur. A ſanctis curationes fiunt, impoſito ſigno crucis Gregor. infr. libr. 10. cap. 29. *Interea ad ſanctum Aredium cœperunt infirmi confluere, quos manus ſingulis, cum vexillo crucis imponens ſanitati reddebat.*

Ille autem in eodem loco converſus, tonſurato capite fideliſsimus Monachus nunc habetur. Monachi tonſurati Dionyſ. de Hier. Eccleſ. cap. 6. Epiphan. Hæreſ. 80. Hieronym. epiſt. ad Sabinian. Auguſtin. de oper. Monach. cap. ult. Pallad. Hiſt. Lauſiac. cap. 21. Beda Hiſt. libr. 1. cap. 13. & 20. libr. 5. cap. 22.

Igitur Diaconus ex Provincia illa Romam directus eſt, vt Beatorum Apoſtolorum pignora, vel reliquorum Sanctorum qui

vrbem illam muniunt, exhiberet. Ea ætate frequens fuit peregrinatio religionis cauſa ad limina Apoſtolorum. Sidon. libr. 1. epiſt. 5. *vbi priuſquam vel pomeria contingerem triumphalibus Apoſtolorum liminibus affuſus, omnem protinus ſenſi membris malè fortibus exploſum eſſe languorem.* Beda Hiſt. libr. 5. cap. 7. *Abeunte autem Romam Ceadualla ſucceſsit in regnum Hun de ſtirpe regia, qui cum 37. annis imperium tenuiſſet gentis illius, & ipſe relicto regno, ac junioribus commendato, ad limina Beatorum Apoſtolorum Gregorio Pontificatum tenente profectus eſt, quod his temporibus plures de gente Anglorum nobiles ignobileſque laïci & clerici, viri ac fœminæ certatim facere conſueverunt.* Theodulf. Aurelian. epiſt. ad Modoinum de exilio ſuo.

Oratum hæc Turone, Romam petit inde reverſa.

Inde Romei dicti, qui voti cauſa Romam peterent. Odo Cluniacenſ. vit. S. Geraldi Comitis lib. 1. cap. 27. *Cum vero dehinc quoſdam Romeos ſibi notos obviam reperiſſet*, & cap. 29. ejuſdem libr. *Nam ſicut illic mos eſt lucroſum nimis naulum à Romeis expectabat*, ob id variæ conſtitutiones à Gregorio & alijs Pontificibus editę pro ſecuritate, & immunitate peregrinorũ Romam euntium can. ſi quis Romipetas & dd. ſeqq. 24. qu 3. Conſtitutionem Gregorij laudat Continuator Bedæ libr. 2. cap. 26. præmiſſa oratione Pontificis ſuper ea habita ad Cardinales. *Securi peregrini inſuetas viarum terebant orbitas, lætique per vrbem antiquis oculos paſcebant miraculis, cantantes donis factis repatriabant, &c.* & quia obtentu Turonicæ vel Romanæ peregrinationis potentiores novos cenſus à colonis ſuis exactitabant, id vetuit Syn. Cabillonenſ. can. 45. & quia multis peregrinatio erat occaſio vagandi, idcirco ſtatutum nè quis Romam iret ſine licentia ſui Epiſcopi, vel ejus Vicarij Conc. Salegunſtad. Can. 16.

Seſe his qui ſancto viro de Naucleris amici eſſent commendari depoſcit. Diaconus Andegavenſis, apud Niceam urbem ſalutato Hoſpitio Recluſo, navigio inde Romam petiturus à ſancto viro petijt ſe commendari naúcleris, id eſt gubernatoribus navium qui ejus amici eſſent.

Quo ſalutato ac deoſculato. Oſculum ſalutationi conjungi ſolebat pro ſimplicitate ſeculi. Auguſtin. in Geneſ. cap. 87. *Con-*

ſuetudinis quidem fuit maximè in illa ſimplicitate antiquorum vt propinqui propinquos oſcularentur, & hoc hodie fit in multis locis. Optat. Milevit. libr. 4. *Nam & vos ipſi aliqui in perfunctoria ſalutatione oſcula ſolita denegatis.*

Adſumptoque oleo benedictione ſanctificato. Hoſpitius Recluſus mutum & ſurdum natum curavit oleo ſigno crucis benedicto, eodem oleo cæcum curatum ſubjungit Gregor. *Tunc cum oleo benedicto ſuper oculos ejus, crucem ſanctam faciens oleo ſigno crucis benedicto.* Gratia curationum fulſére patres Aſctici ut Hoſpitius hic Maxentius & alij de quibus dictum eſt ſupr. libr. 2. cap. 36. quibus addatur Beda libr. 3. cap. 15. *Qui benedicens illis, ac Domino commendans, dedit etiam oleum ſanctificatum,* &c.

Vocavit ad ſe Præpoſitum Monaſterij. Hoſpitius Recluſus ſentiens ſe morti proximum vocavit Præpoſitum Monaſterij Præpoſitus Monaſterij eſt idem qui prior, qui præeſt Monaſterio ſub Abbate, Græcis ἡγούμενος. Synod. Nicen. 2. Can. 13. 14.

Et mitte nuncios ad Epiſcopum civitatis, vt veniat ad me ſepeliendum. Hoſpitius Recluſus ſentiens ſe morti proximum vocavit ad ſe Præpoſitum Monaſterij, & per eum ſeu ejus nuntium, commendavit ſepulturam ſuam Epiſcopo civitatis, hic fuit Euſtaſius Epiſcopus, qui audita morte advenit, & ſancti corpus ſepulturæ mandavit ut mox ſubjungit Gregor. *Adveniens autem Auſtadius Epiſcopus beatum corpus ſtudioſiſſimè ſepulturæ mandavit.*

Eo tempore Ferreolus Vcecenſis, Epiſcopus magnæ vir ſanctitatis obijt. Ferreolus Uccetienſis Epiſcopus filius Ansberti Senatoris & Blitildis, ea fuit filia Clotarij I. Epiſcopus Uccticenſis ſucceſſit Firmino patruo ſuo. Cap. 7.

Regium de Epiſcopatu præceptum accipit. Mortuo Ferreolo Uccetienſi Epiſcopo, Albinus per Dinamium Rectorem Provinciæ, citra Regis conſilium, ſeu conſenſum ſuſcepit Epiſcopatum, quo intrà tres menſes morte ſublato, Jovinus Regium de Epiſcopatu præceptum accepit, quia ea ætate Epiſcopi non adſumebantur ſine præcepto Regis, ſed præventus eſt à Marcello, qui à comprovincialibus conſilio Dinamij

Epiſcopus ordinatus eſt, & tandem muneribus vicit apud Regem.

Cap. 8. *Obijt & Eparchius Reclauſus Engoliſmenſis.* Eparchius Recluſus apud Engoliſmam vitæ ſanctitate claruit, is fuit de genere Comitum Petrocorienſium ejus geſta apud Sur. I. Jul. vulgò *S. Cibar.*

Et judicibus plerumque, vt culpabilibus ignoſcerent, dulcedine profusâ, imperavit potius, quam rogavit. Eparchius Recluſus pro reis damnatis ſæpius intercedebat apud Judices. Paſſim numerantur interceſſiones, Monachorum pro damnatis, vel oppreſſis. Chryſoſtom. Homil. 17. ad Antiochen. Caſſian. Collat. 1. cap. 20. Collat. 14. cap. 14. de quo in Aſceticis.

Quodam verò tempore dum pro furto quis ad pendendum deduceretur. Laqueus ſeu ſuſpendium pœna furti. Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 1. cap. 21. *Quodam loco vnus propter furti ſcelera comprehenſus ductus eſt ad patibulum, vt condemnaretur ſuſpendio.* Innocent. III. in cap. ex litteris de Exceſſ. prælat. *In quorum præſentia prædictus fur eſt ſuſpenſus.* Senec. epiſt. 7. *Latrocinium fecit aliquis, quid ergo meruit vt ſuſpendatur.* Famoſi latrones his locis, ubi graſſati ſunt, furcâ figendi l. capitalium §. ult. ff. de pœn.

Cap. 9. *Dum ſe cerneret morbo regio, calculoque gráviſsimè fatigari.* Regius morbus, eſt morbus caducus ſeu comitialis. Gregorius de mirac. D. Martin. libr. 2. cap. 27. *Ipſe vero Ruccolenus vlteriorem ripam aggreſſus, morbo confeſtim regio ſauciatur.*

Qui tonſuratus, gradus quos clerici ſortiuntur aſcendens, poſt 40. dies migrante Sacerdote ſucceſsit. Badegiſilus Major domus Regiæ, deſignatus Epiſcopus Cenomannenſis, vivo adhuc Domnolo tonſuratus, & intra paucos dies promotus ad omnes ordines, paulo poſt migranti Epiſcopo ſucceſſit. Hoc factum contrà canones, manu regiâ.

Cap. 10. *Qui ponentes ad feneſtram abſidæ cancellum, qui ſuper tumulum cujuſdam defuncti erat.* Fures baſilicam D. Martini ingreſſi ſunt per feneſtram vitream abſidæ, nitentes in altum per cancellum tumuli cujuſpiam defuncti. Abſis vel abſida erat pars anterior baſilicæ. Gregorius libr. 2. cap. 16 *In ante abſidem ro-*

tundam habens, ab vtroque latere aſcellas eleganti conſtructas opere. Idem de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 63. *denique in latere baſilicæ, id eſt in pariete qui à parte erat oratorij, in abſida collegit, præſtolans domini miſericordiam, quid juberet de martyre revelari.* Anaſtaſ. in Benedict. 3. *Et impetu facto abſidam, in qua Epiſcopi pſallentes reſidebant cum clero conſcenderunt.* Tumuli Sanctorum vel majorum cancellis includebantur ut ſepulchrum S. Petri Gregor. de mirac. Martyr. libr. 3. cap. 18. *Hoc enim ſepulchrum ſub altari collocatum valde rarum habetur, ſed qui orare deſiderat, reſeratis cancellis, quibus locus ille ambitur accedit ſuper ſepulchrum.* Idem de mirac. D. Martin. lib. 4 cap. 2. *Acceſsi autem ad tumulum ſancti, ac per lignum cancelli linguam impeditam traxi.* Cancellis incluſus videbatur lectulus S. Martini, ſic vocant nudam humum, in quâ cubabat apud Condatenſem vicum. Greg. de mirac. D. Martin. lib. 1. cap. 35. *Quidam ex noſtris lignum venerabile de cancello lectuli à monaſterio ſancti me neſciente detulerat,* idem libr. 2. cap. 19. *Proſtratuſque ad ejus lectulum nocte tota lachrymis, & orationibus deductâ immobilis madefecit terram fletibus, tepuitque ſuſpirijs ejus venerabile lignum cancelli.*

Ac de hoſpitali eorum argentum communitum, & pallia ſunt extracta. Hoſpitale hic pro hoſpitio, ſive caupona in qua latebat argentum, & aliæ res quæ furto ſubreptæ erant è baſilica ſancti Martini. Alias hoſpitale pro Xenodochio peregrinis excipiendis deſtinato. Gregor. de mirac. libr. 1. cap. 53. *Idemque apud baſilicam ſancti Martyris Marcelli hoſpitale habebat,* ab Abbate loci victus ſtipendia capiens.* Aimoin libr. 3. cap. 45.

Apud Maſſilienſem vero vrbem Dinamius Rector Provinciæ, Dinamius fuit Rector Arelatenſis Provinciæ, quæ ab eo tempore ſimpliciter Provincia dicta eſt Gregor. ſupr. h. libr. cap. 7. Cap. 11. *Albinus ex Præfecto, per Dinamium Rectorem Provinciæ extra Regis conſilium ſuſcepit Epiſcopatum.* Adhuc tamen eadem non deſijt vocari Arelatenſis Provincia Gregor. libr. 4. cap. 39. *Et Amo quoque Arelatenſem debellavit Provinciam,* Idem libr. 8. cap. 30. *Hac audiens Rex Leudegiſilum in locum Calumnioſi Ægilanis Ducem deligens omnem ei Provinciam Arelatenſem commiſit.* Maſſilienſem, vel Arelatenſem Provinciam promiſ-

cuè accipere videtur. Gregor. infr. libr. 8. cap. 45. *Nicetius Arvernus Rector Maſſilienſis Provinciæ.*

Domos Eccleſiæ adprehendunt, miniſteria deſcribunt, regeſtoria reſerant, promptuaria expoliant, omneſque res Eccleſiæ tamquam ſi jam mortuus eſſet Epiſcopus pervadunt. Pulſo Theodoro Epiſcopo Maſſilienſi, clerici ejus Eccleſiæ, quaſi jam mortuo Epiſcopo, res omnes Eccleſiæ occupant, miniſteria deſcribunt, id eſt vaſa eccleſiaſtica, regeſtoria reſerant, id eſt regeſta Eccleſiæ. Regeſta ſunt tabularia, ſeu archiva quibus continentur codices ſeu inſtrumenta vel acta Principis, Reipublicæ, univerſitatis vel eccleſiæ, his uſus conſcribendis vitis aliquot principum Vopiſcus, teſtis ipſe de ſe in Probo. *Vſus etiam ex regeſtis ſcribarum porticus porphyreticæ.* Alias regeſtum eſt locus ubi gaza regia, ſeu ærarium habetur Gregor. infr. libr. 9. cap. 9. *Pueri verò qui miſſi à Rege fuerunt, ad requirendas res ejus, tanta in theſauris illius reperiunt, quanta nec in ipſo ærarij publici regeſto, poterant inveniri.* Idem cap. 10. ejuſd. libr. *Multitudo autem auri argentique, ac diverſarum ſpecierum, in ejus regeſtis reperta eſt.* Idem cap. 34. ejuſd. lib. *Et ingreſſa in regeſtum, reſeravit arcam, monilibus ornamentiſque preciosis refertam.* Promptuaria expoliant id eſt cellaria de quo dixi ſupr. libr. 5. cap. 1.

Gundulfum ex domeſtico Ducem factum. Gundulfus ex domeſtico, id eſt Comite domeſticorum à Childeberto Dux factus. Domeſticus eſt Comes domeſticorum qui in palatio adſcripti ſunt cuſtodiæ Imperatoris Suidas δομέστικοι οἱ τῶν ῥωμαίων ἱππεῖς, οἱ κατὰ ῥωμαίους οἰκειακοὶ στρατιῶται. Qui pręerat illis Comes domeſticorum. Greg. ſupr. lib. 2. cap. 9. *Eodem tempore Caſtinus domeſticorum Comes, expeditione in Francos ſuſcepta ad Gallias mittitur.* Dignitatis cauſa præfectus domeſticorum μέγας domeſticus dictus Nicet. in Joanne Comneno, ὑποθήκη τοῦ μεγάλου δομεστίκου Ἰωάννου & alio loco μέγας τιμηθεὶς δομέστικος. *Monitu magni domeſtici Ioannis. Magni domeſtici dignitate ornatus.* VVillelm. Tyr. de bell. ſacro libr. 2. cap. 5. *Et Megadomeſtici dignitate, quem nos majorem Seneſcallum appellamus.* Inde Domeſticatus eſt dignitas ejus qui præeſt domeſticis ſeu cuſtodibus corporis. Gregor. ſupr. libr. 2. cap. 8. *Gaudentius pater, à domeſticatu exorſus*

militiam, vſque ad Magiſterij equitum culmen provectus eſt. Præfectus domeſticorum paſſim ſimpliciter Domeſticus, Gregor. infr. libr. 10. cap. 15. *Adfuit autem diebus illis Flavianus nuper Domeſticus ordinatus.*

Dum diverſa inter ſe, ſuper altarium conferunt, recedentes ab altario ſalutatorium ingrediuntur. Gundulfus Dux & Dinamius dum diverſos inter ſe ſerunt ſermones intra altarium id eſt ſanctuarium ſeu ſpatium quod eſt circa altare, recedentes ab altario, ſalutatorium ingrediuntur. Salutatorium eſt hoſpitium ſeu metatum Epiſcopi, proximum baſilicæ Græcis ἀσπάςικον de quo dixi ſupr. lib. 2. cap. 21.

Tunc reſeratis tam portarum, quam ſacrarum ædium valuis ingrediuntur vtrique civitatem, Dux ſcilicet & Eiſcopus, cum ſignis & laudibus, diverſiſque honorum vexillis. Capto Dinamio Gundulfus Dux & Theodorus Epiſcopus Maſſilienſis unà ſolemni pompâ urbem ingreſſi cum ſignis, id eſt ſignorum Eccleſiæ ſonitu. Signa ſunt campanæ Eccleſiæ, inde nomen, quod ſignentur baptiſmo, id eſt oleo & chriſmate, & nomen eis imponatur Helgald. in Roberto R. de capella regiâ. *Signa quinque vnum ex his ſatis mirabile, in quo vndecim millenaria metalli, & ſexcentæ libræ fuerunt, cui inprimi juſsit ſignum baptiſmi, ſicut ordo depoſcit Eccleſiaſticus, & vt vocaretur Robertus attribueret Spiritus ſanctus*, vel etiam ſigna hic accipe pro ſignis crucis quæ à clero præferuntur cum ſolemniter occurrit Principi. Gregor. libr. 10. cap. 9. *Ebraccharius verò vſque Venetias vrbem acceſsit, miſerat enim ad eum obviam Epiſcopus Regalis clericos ſuos cum crucibus, & pſallentio, qui eos vſque ad vrbem deduxerunt.* Ait cum laudibus id eſt cum varijs plauſibus & adclamationibus, laudes ſunt adclamationes quæ fiunt Principi imperium vel regnum, vel Epiſcopo Pontificatum ineunti. Gregor. libr. 5. cap. 30. de Tiberio II. Imp. *Dehinc indutus purpura, diademate coronatus, throno imperiali impoſitus, cum immenſis laudibus imperium confirmavit.* Idem infr. hoc libr. cap. 30. *Igitur celebrato juſtitio Mauricius indutus diademate, & purpura ad Circum proceſsit, adclamatiſque ſibi laudibus, largitus populo munera imperio confirmatur.* Cum ſignis vexillis & laudibus varijs linguis Guntrano Regi obvia occurrit plebs

Aurelianenſis Gregor. libr. 8. cap. 1. *Proceſsitque in obviam ejus, immenſa populi turba, cum ſignis atque vexillis canens laudes, &c.* Theodorus Epiſcopus Maſſilienſis à civibus cum magna laude ſuſceptus. Gregor. ipſe infr. hoc cap. *Epiſcopus verò ad Regem deductus, nec culpabilis inventus, ad civitatem ſuam redire permiſſus, cum grandi eſt à civibus laude ſuſceptus.* Signa id eſt cruces & vexilla præferuntur à Sacerdotio in ſolemnibus litis vel pompis. Conſtantinopoli commota ſeditio, ducibus quibuſdam Presbyteris, quorum unus imaginem Chriſti, alter ſignum crucis, alius ſacrum vexillum in forum attulit. Nicet. in Alexio Comnen. cap. 6. καὶ τις τῶν ἱερέων ἐκτυπον τοῦ χριστοῦ ἐπ' ἀγορᾶς ἐνεγκὼν, καὶ ἄλλος ἄρας σταυρὸν ἐπωμάδιον, καὶ ἕτερος σημείαν ἱερὰν ἀνωμόσας, ὡς γλάγγος μύιας τοὺς στασιαστὰς ἐπεσπάσαντο. *Et quidam Sacerdos Chriſti imagine in forum allatâ, alter cruce in tergum ſublatâ, alter ſacro vexillo arrepto ſeditioſos attraxerunt ut Cæcias nubes.*

Quorum caput Anaſtaſius Abbas, & Proculus Presbyter erant. Principes ſeditionis commotæ adverſus Theodorum Epiſcopum Maſſilienſem, fuere Anaſtaſius Abbas, is fuit Abbas S. Victoris, & Proculus Presbyter. Caput ſeditionis dicitur hic, ut caput belli ſupr. libr. 5. cap. 2. *Godinus autem qui à ſorte Sigiberti ſe ad Chilpericum tranſtulerat, caput belli iſtius fuit.*

Multi tamen eorum per idoneos fidejuſſores dimiſsi, ad Regem juſsi ſunt ambulare. Rei ſoluti datis fidejuſſoribus, judicio ſiſti, fidejuſſor judicio ſiſti admittitur, etiam in criminalibus cauſis. l. ſi adulterium in fin. ff. ad leg. Jul de adulter. Gregor. infr. libr. 8. cap. 7. *Diſcedentes itaque à Regis præſentia, cautiones & fidejuſſores dederunt, ut decimo Calendas menſis novi ad Synodum convenirent.* idem cap 12. ejuſd libr. *Epiſcopum vallat fidejuſſores requirit, & ad præſentiam Regis Guntchramni direxit, ut ſcilicet ad Synodum quæ Matiſcone futura erat, quaſi ab Epiſcopo damnandus abeſſet.* Idem eod. libr. cap. 43. *Anteſtius vero acceptis fidejuſſoribus ab Epiſcopo, ut in præſentia Regis adeſſet Santonos venit* & infra. *Et ſic datis fidejuſſoribus de præſentia ſua ante Regem in civitatem ingredi permiſſus eſt.* Idem de glor. Confeſſ. cap. 71. *Et dicto citius conve-*

nitur

nitur Epiſcopus, datiſque fidejuſſoribus in præſentia Regis adſiſtit. Idem infr. h. libr. cap. 12. *Datis fidejuſſoribus Toloſam dirigitur.*

At ille ira commotus jubet contra fas religionis, vt Pontifex ſummi Dei arctatus vinculis ſibi exhiberetur. Guntranus Rex Theodorum Maſſilienſem Epiſcopum contra fas jubet vinctum ſibi exhiberi. Epiſcopi dicunt cauſam ſoluti, Illuſtres in criminalibus cauſis audiuntur ſedentes l. 3. §. eo qui in crimen C. ubi Senator. vel clariſſ. Sidon. libr. 1. epiſt. 7. de Arvando. *Arvandus jam tunc infælici impudentia, concito greſſu medijs propè judicum ſinibus ingeritur.*

Advenit feſtivitas dedicationis oratorij, ruris ſuburbani. Dedicatio Eccleſiæ vel oratorij fit ſolemni ritu per Epiſcopum Sidon. libr. 4. epiſt. 15. *Epulum multiplex & capaciſsima lectiſternia para, ad te venitur, quippe poſtquam omnibus tempus futuræ dedicationis inclaruit, nam baptiſterium, quod olim fabricamini ſcribitis poſſe jam conſecrari, ad quæ feſta vos voti, nos miniſterij, officij multos, fidei totos cauſa ſollicitat.*

Cumque per Aquenſem præterirent vrbem, Piencus Epiſcopus loci. Piencus Aquenſis Epiſcopus, Pientium vocat Aimoin libr. 5. cap 45.

Ipſumque ſuper miſerabilem imponentes caballum. Caballus eſt vilior equus, vel equus ſagmarius Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 1. cap. 36. *Crederes eos fuſtibus agi, aut invitos contra poſsibilitatem Caballorum ſuorum currere cogi.* Idem libr. 4. de mirac. ejuſd. cap. 35. *Exilienſque de Caballo in quo ſedebat, pedes noſtros arripuit* Idem libr. 3 cap. 33 *In Burdigalenſi autem regione, hoc anno gravis Caballorum extitit morbus*, & infra *Addiderunt vt de clave ferreâ, quæ oſtium oratorij recludebat caracteres Caballis imponerent.* Inde feretrum Caballarium pro vehiculo quod trahitur Caballis Beda libr. 4. cap. 6. *Etenim vſque hodie feretrum ejus Caballarium, quo infirmus vehi ſolebat, ſervatum à diſcipulis ejus.*

Regnovaldo Duce fugato, Petrogoricum pervadit. Petrogoricum civitas Petrogoriorum *Perigueux*. Olim Veſunna Itinerar. Antonin. *Aginnum exciſum, Trajectus Veſunna*, Inde Petrocorij Veſunnici Sidon. libr. 8. epiſt. 11 *Quid agunt Nitiobri-* Cap. 12.

ges, quid Veſunnici tui. Petrocorij Aquitaniæ ſecundæ populi idem libr. 7. epiſt. 6. *Burdegala Petrogorij Rutheni, Lemovices Gabalitani Heluſani Vaſates, Convenæ Auſcenſes.* Regnovaldus fuit Dux Aquitaniæ ſub Guntrano Rege de quo memini Rer. Aquit. libr. 6. cap, 10.

Exactoque ſacramento Aginnum pergit, Aginnum civitas ſecundæ Aquitaniæ amœniſſima ad Garumnam flumen ſita, veteribus Aginnum Nitiobrigum, quia eſt caput Nitiobrigum. Nitiobriges ſunt Aginnenſes, malè Antobroges Plinio libr. 4. cap. 19. *Rurſus Narbonenſi Provinciæ contermini Rutheni Cadurci, Antobroges, Tarneque amne diſcreti à Toloſanis Petrogori.* Rectè Nitiobriges reſtituit Scaliger in Auſon. libr. 2. cap. 10.

Baſilicam ſancti Martyris Capraſij expetijt. Uxor Regnovaldi Ducis audiens Petrocorium & Aginnum, quæ urbes erant ditionis Guntrani Regis à Deſiderio Duce redactas in poteſtatem Chilperici Regis, pulſo Regnovaldo, præſidij cauſa expetijt baſilicam S. Capraſij martyris quæ eſt apud Aginnum, Capraſius martyr, unà cum B. Fide virgine Aginni martyrium paſſus ſub Maximiano. Martyr. 20. Octobris, & hæc eſt baſilica in ejus honorem illic poſita à Dulcidio Epiſcopo Aginnenſi ex geſt. martyrij Capraſ. apud Surium 20. Octobr.

Ibique iterum in baſilica ſancti Saturnini ingreſſa reſidebat. Regnovaldi uxor pulſa è baſilica S. Capraſij perfugit baſilicam S. Saturnini, quæ eſt apud Toloſam, eandem latuiſſe in baſilica S. Mariæ Toloſæ refert Gregor. libr. 7. cap. 10. *Rigundis vero in baſilica S. Mariæ Toloſæ in qua Regnovaldi uxor Chilpericum metuens confugerat reſidebat.* Eccleſia ſancti Saturnini eſt exempta, inſignis collegio Canonicorum Regularium unde Canonicam ſancti Saturnini vocat Gregorius VII. libr. 9. epiſt. 29.

Bladaſtes vero Dux in Vaſconiam abijt, maximamque partem exercitus ſui amiſit. Bladaſtes Dux Vaſcones è jugis pyrenei crebris excurſionibus Novempopuloniæ infeſtos, bello aggreſſus, maximam partem copiarum amiſit. Vaſconiæ nomine hic accipio veterem Vaſconiam ſeu Vaſconum ſedem quæ erat in Pyrenei jugis, Plin. libr. 3. cap. 5. *Perque Pyreneum*

Cerctani, dein Vaſcones. Nondum ea pars Aquitaniæ quæ jacet ad imum Pyrenei, quæ poſtea Vaſconiæ nomen accepit à Vaſconibus, qui eam occuparunt, deſierat vocari Novempopulania, eratque in ditione Regum Francorum. Teſtis ipſe Gregorius libr. 2. cap. 25. *Maximè tunc Novempopulanæ, geminæque Germaniæ urbes, ab hac tempeſtate depopulatæ ſunt.* Hic poſtea ſecutus eſt partes Gundobaldi, quo extincto, ope Gregorij noſtri in gratiam redijt cum Guntrano de quo Gregor. infr. libr. 7. cap. 34. & libr. 8. cap. 6.

Et diem in quo ad ſponſalia donanda conjungerent, malè ſuaſus frater indicit. Dies à Lupo indicitur ad ſponſalia donanda, id eſt contrahenda, quia die ſponſalium fiebant dona inter ſponſum & ſponſam. Et hoc eſt donum quod Francis & alijs dicebatur Morganegiba donum matutinale, quia fiebat mane ante nuptias Gregor. infr. libr. 9. cap. 20. *tam in dote quam in Morganegiba, hoc eſt matutinali dono.* Feudiſtis Morganatica 4. Feudor. 32. Albert. Argentinenſ. in Chronic. *Cui ſorori dominium de Ryburg, quod ipſe Rex ſibi retinuerat, Morganatico jure donavit.*

In Pariſiaco vero termino verus ſanguis ex nube defluxit, & ſuper veſtimenta multorum hominum cecidit, & ita tabè maculavit, ut ipſi propria indumenta horrentes abnuerent. In agro Pariſienſi ſanguis de cœlo decidit, & ita veſtes maculavit, ut qui geſtabant horrore eas abjicerent. Maculæ ſanguinis quæ veſtibus hærebant vulgò dicebantur lepræ, id eſt maculæ veſtium. VVitichindus Saxon. Hiſt. libr. 3 *Peracta cæde barbarorum eo anno prodigioſæ res apparuerunt, notæ ſcilicet cruoris in veſtimentis plurimorum, fuerunt & qui lepras veſtium interpretarentur, eo quod ſubſequens lepra multos mortales corrumperet.* Cap. 14.

Burgundio quaſi annorum viginti quinque, id eſt proximus ætati 25. annorum, quaſi idem ſonat ac ferè de quo dictum eſt ſupr. libr. 3 cap. 19. ſic & Gregor. de vit. Patr cap. 8 *Cum primum litterarum elementa cæpiſſem agnoſcere, & eſſem quaſi octavi anni ævo.* Idem infr. libr 9. cap. 24. *Audivit Leuvieldus quaſi hic Epiſcopus ei conſilium dediſſet.* Cap. 15.

Quod ego abnui, quia Canonibus non convenire cognovi, Fœlice Nannetenſi Epiſcopo graviùs ægrotante, Burgundio ejus ne-

pos qui erat ferè annorum viginti quinque, acceſſit ad Gregorium Epiſcopum Turonenſem, qui eſt Metropolitanus Britanniæ, & petijt ab eo tonſuratum, in locum avunculi qui adhuc ſuperſtes erat, Epiſcopum conſecrari, quod abnuit Gregorius quaſi canonibus contrarium. Ex Nicen. Synod. can. 8. viventi Epiſcopo non poteſt adjungi alius Epiſcopus, nè Eccleſia ſcindatur in diverſos Epiſcopos, & unum corpus diverſa capita habeat, monſtro ſimile, & Epiſcopo non licet ſibi ſucceſſorem eligere Conc. Antioch. Can. 23. Can. Epiſcopo 8. qu. 1.

Habemus ſcriptum in Canonibus fili, non poſſe quemquam ad Epiſcopatum accedere, niſi prius Eccleſiaſticos gradus regulariter ſortiatur. Burgundione poſtulante à Gregorio ut tonſuratus mox in locum Fœlicis Nannetenſis Epiſcopi avunculi in Epiſcopum ordinaretur, Gregorius ei dixit non poſſe quemquam in Epiſcopum ordinari, niſi priùs ad ſingulos ſacros ordines regulariter promotus fuerit, id eſt ſervatis intervallis. Zozim. ad Hiſchium epiſt. 1. *Si officia ſecularia principem locum, non veſtibulum actionis ingreſsis, ſed per ſingulos gradus examinatis temporibus deferunt, quis ille tam arrogans tam impudens invenitur, vt in cœleſti militia, quæ propenſius ponderanda eſt, & ſicut aurum repetitis ignibus oxploranda, ſtatim dux eſſe deſideret, cum tyro ante non fuerit, & priùs velit docere quam diſcere. Aſſueſcat in domini caſtris in lectorum primitus gradu, divini rudimenta ſervitij nec illi vile ſit Exorciſtam, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum per ordinem fieri, nec hoc ſaltu ſed ſtatutis majorum ordinatione temporibus. Iam vero ad Presbyterij faſtigium talis accedat, vt & nomen ætas impleat, & meritum probitatis ſtipendia ante acta teſtentur, jure inde ſummi Pontificis locum ſperare debebit.* can. ſi officia 59. diſt. Et hoc eſt quod repetit Gregorius. *Tu ergo dilectiſsime revertere illuc, & pete, vt ipſe te qui elegit debeat tonſurare, cumque Presbyterij honorem acceperis ad Eccleſiam aſsiduus eſto, & eum cum Deus migrare voluerit, tunc facilè Epiſcopalem gradum aſcendes.* Sicut honores civiles deferuntur gradatim & per ordinem l. ut gradatim ff. de mun. & honor. l. 1. C. de offic magiſtr. offic. ita & Sacerdotium per ſingulos gradus probatis deferri debet.

Cui Nonnichius conſobrinus, Rege ordinante ſucceſſit. Nonnichius ſucceſſit Fœlici Nannetenſi Epiſcopo, ejuſdem meminit Gregor. de Mirac. D. Martin. libr. 4. cap. 27. *Adveniente autem feſto Beati Martius Nonnichius Nanneticorum Pontifex, ad baſilicam ſancti advenit.* Ejuſdem meminit & Gregor. libr. 8. cap. 43.

Ab oratorio puellam abſtraxit. Bappolenus deſponſatam habebat neptem Fœlicis Nannetenſis Epiſcopi, ſed eo de nuptijs diſsimulante, id eſt nuptijs moras nectente, hic puellam vi abduxit ab oratorio, id eſt à monaſterio puellarum ubi ab avunculo poſita erat ſecuritatis cauſa. Monaſteria utriuſque ſexus dicuntur oratoria, quia monachi non habebant Eccleſiam, ſed oratorium tantum in quo non erat conventus populi Gregor. de mirac. B. Martin. libr. 1. cap. 16. *Similiter in prædicta urbe* (Ravennâ) *dum Placidus Procurator deſperatus à medicis, ad illud puellarum oratorium ſibi vicinum confugeret, & in atrio decubaret.* Cap. 16.

Interea oritur intentio inter illum, & Phatiren ex Iudæo converſum, qui jam Regis filius erat ex lavacro. Intentio id eſt contentio orta eſt inter Priſcum Judæum, & Phatiren ex Judæo converſum, qui erat filius ſeu filiolus Chilperici Regis, uti ab eo ſuſceptus de baptiſmo. Chilpericus enim multos Judæos baptizari præcepit, è quibus plures ſuſcepit de ſacro fonte baptiſmi ut præfatus eſt Gregor. hoc cap. Intentio pro contentione Gregor. de mirac. martyr. libr. 1. cap. 81. *Quid longis ſermocinationum intentionibus fatigamur.* Idem infr. h. libr. cap. 38. *In qua Eccleſia in tantum pro Epiſcopatu intentiones, & ſcandala orta convaluerunt.* Idem infr. libr. 7. cap. ult. *Metuimus nunc nè & alijs in hac intentione careamus.* In libris juris intentio eſt actoris petitio quæ fit in jure & judicio l. ſi quis intentione ff. de judic. §. ſi minus inſt. de act. l. generaliter de except. Cap. 17.

Cumque die ſabbathi Priſcus præcinctus orario Moſaicas leges quaſi impleturus, ſecretiora competeret. Hic locus expoſitus eſt ſupra libr. 3. cap. 5.

Mittit nuncios Comitibus Ducibuſque, & reliquis agentibus. Agentes ſunt actores ſeu officiales Gregor. infr. libr.

7. cap. 42. *Sed agens domus illius reſiſtere fortiter cœpit.*

Cap. 22. *Rex igitur Chilpericus pervaſis civitatibus fratris ſui, novos Comites ordinat, & cuncta jubet ſibi urbium tributa deferri,* Chilpericus Rex Deſiderij Ducis opera Petrocorium Aginnum & alias civitates Aquitaniæ quæ parebant Guntrano fratri invaſit de quo ſupr. hoc libr. cap. 12. his invaſis novos Comites impoſuit, & cuncta earumdem civitatum vectigalia fiſco ſuo juſſit inferri.

Cap. 23. *Ex hoc jubet Rex omnes cuſtodias relaxari, vinctos abſolvi, compoſitioneſque negligentium fiſco debitas, præcipit omninò non exigi.* Ob nativitatem filij, à Chilperico Rege vincti ſoluti, & reliqua vectigalium remiſſa. Idem Aimoin. libr. 3. cap. 54. à Conſtantino ob Criſpi & Helenæ partum indulgentia criminum tributa omnibus, præterquam veneficis, homicidis, & adulteris l. 1. C. Th. de indulgent. crim. l. 1. C. de pœn. In natali liberorum Regis ſervi tres in unaquaque villa fiſcali manumitti, & vincti abſolvi ſoliti. Marculfi form. libr. 1. form. 39. & libr. 2. form. ult. Compoſitiones vocat vectigalia vel tributa quæ fiſco penduntur, quia pro modo prædiorum componuntur ſeu deſcribuntur, alias compoſitio eſt multa ſeu pœna pecuniaria. Conc. apud Theodon. villam. *Et trecentos ſolidos cum ſua compoſitione, & Epiſcopalibus bannis componat.* Gregor. de mirac. B. Mart. lib. 4. cap. 26. *Affirmavit Rex, quoſdam ex his qui abſoluti fuerunt, ad ſe veniſſe compoſitionemque fiſco debitam, quam illi fredum vocant, à ſe indultam.* Alias compoſitio pro cura ſeu curatione, ut compoſitio lychni ſeu lucernæ. Eidem de mirac. martyr. libr. 1. cap. 104. *Ille autem cui hoc erat officium contueri ad ejus compoſitionem.*

Cap. 24. *Vt Regum iſtorum mos eſt, crinium flagellis per terga demiſſis.* Gundovaldus qui ſeſe dicebat filium Clotarij Regis, nutritus eſt regio more, flagellis crinium per tergum demiſſis. Flagella crinium vocat cincinnos capillorum in humeros demiſſos, quos ex more geſtabant Reges noſtri & eorum liberi. Sic Clodoveus unus è liberis Childerici Regis dolo Fredegundis occiſus, & in alveum Matronæ amnis projectus à piſcatore agnitus eſt ex flagellis capillorum Gregor. infr. libr. 8. cap. 10. *Sed cum ignorarem quiſnam eſſet, à cæſarie prolixâ cognovi*

Clodoveum eſſe & infra. *Una tantum pars capillorum quæ ſubter fuerat jam defluxerat, alia vero cum ipſis crinium flagellis intacta durabat*, idem de vit. Patr. cap. 20. *nec ille ut quidam dimiſſis capillorum flagellis, aut barbarum dimiſsione plaudebat.*

Quo viſo Chlotarius juſsit tonderi comam capitis ejus. Gundobaldus à Chlotario invitus tonſus, ut ſpes regni adimeretur.

Et miſit eum in Agripinenſem civitatem, quæ Colonia dicitur. Agripina colonia Vbiorum ſic dicta ab Agripina Julia ibi genita, Tacit. 12. Annal. *Agripina quo vim ſuam ſocijs quoque nationibus, in oppidum Vbiorum, in quo genita erat, Veteranos, coloniamque deduci imperat, cui nomen inditum ex vocabulo ipſius.*

Guntchramnus vero Dux adprehenſum Theodorum Epiſcopum in cuſtodiam pro hac cauſa detruſit, reputans cur hominem extraneum intromiſiſſet in Gallias, voluiſſetque Francorum Regnum Imperialibus per hæc ſubdere ditionibus. Theodorus Epiſcopus Maſſilienſis à Guntrano Duce miſſus in cuſtodiam, quod ab eo ſuſceptus eſſet Gundobaldus homo extraneus, id eſt qui pro extraneo habebatur, quia diu fuerat in aula Conſtantinopolitana, & ſi regno potiretur ſuſpectus erat, nè regnum Francorum ſubjiceret imperiali ditioni, ut Imperatoris ope & armis uteretur.

At ille epiſtolam ut aiunt manu majorum Childeberti Regis ſubſcriptam protulit. Majores ſubſcribebant epiſtolis & præceptis regijs. Donationem factam à Pipino Eccleſiæ S. Petri confirmavit Carolus M. adhibita ſubſcriptione optimatum utriuſque ordinis. Leo Oſtienſ. Chronic. Caſſ. libr. 1. cap. 14. *Scripturamque ipſam donationis, manu propria Rex ipſe corroboravit, Epiſcopos omnes & Abbates, Duceſque & Graſiones, ac plures qui ſecum venerant Honoratos, ibi ſubſcribere mandans, ſuper altare ſancti Petri manu propriâ poſuit*, &c.

Cuſtodiebatur igitur Sacerdos in cellulâ, cella vel cellula eſt cuſtodia Clericorum Conc. Tarrac. 1. can. 1. *Si clericus eſt loci ſui dignitate privetur, ſi vero Religioſus vel Monachus in cellâ Monaſterij incluſus pœnitentiæ lamentis incumbat.* Conc. Turonenſ. 2. can. 20. *Illi vero Archipresbyteri, ab Epiſcopo ſuo in ci-*

vitate retrudantur in cellam, ibique menſe integro, panem cum aquâ manducent. Alij cellarium ut cellarium Lateranenſe Anaſtaſ. in Stephan. 4. *Sergius vero in Monaſterium Clivi Scauri deportatus, & poſtmodum in cellarium Lateranenſe deductus, illicque vſque ad tranſitum prænominati Pontificis extitit.* Idem in Adrian. *Quomodo ipſe Sergius ab eodem cellario abſtractus fuiſſet.*

Cum Epiphanio Epiſcopo qui tunc Longobardos fugiens Maſſiliæ morabatur. Hic fuit Epiphanius Patriarcha Gradenſis, cujus meminit Paul. Diacon. de geſt. Longobard. libr. 4. cap. 34.

Cap. 26. *At ille adſumptis ſecum Arvernis, atque Vellavis Avenionem abijt.* Comes Arvernorum pexerat Arvernis atqur Vellavis. Vellavi ſunt Vellauni, quorum caput eſt Anicium. Gregor. infr. lib 10. cap. 24. *Ingreſſus autem Vellaunæ vrbis terminum ad locum quem Anicium vocitant accedit.* Alijs Podium Velaunorum, *le Puy en Velay*, unde Anicienſis Epiſcopus vocatur & Podienſis Epiſcopus.

Hoc enim brachium fluminis inter vtrumque erat poſitum. Brachium fluminis eſt rivus flluminis diviſi in duos alveos. Abbo de obſid. Pariſ. libr. 1.

Inſula te gaudet, fluvius ſua fert tibi giro
Brachia complexo muros.

Et vt maledicto quod in pactione ſua & fratrum ſuorum conſcriptum erat. Pactum inter Chilpericum & fratres Reges, nè quis eorum invitis alijs Pariſios urbem ingrederetur maledicto id eſt diris in tranſgreſſorem ſancitum.

Cap. 27. *Reliquijs Sanctorum multorum præcedentibus vrbem ingreſſus eſt.* Chilpericus Rex ut eluderet religionem & vim pacti initi cum fratribus, nè quis eorum Pariſios urbem ingredererur, ſine conſenſu alterius, urbem ingreſſus eſt prælatis reliquijs Sanctorum, quaſi magis videretur religionis cauſa proſequi reliquias Sanctorum, quam urbem ingredi Diebus ſolemnibus Epiſcopi ſolebant procedere ad Eccleſiam, præeuntibus reliquijs Sanctorum, quæ per Diaconos humeris vectarentur, quod eis conceſſum eſt, damnata præſumptione quorumdam Epiſcoporum, qui in diebus feſtis Martyrum ad Eccleſiam procc-

procedentes, appenſis collo reliquijs, per albatos Diaconos ſubvchebantur Conc. Brachar. 3. can. 25. *Et ideo antiqua in hac parte, & ſolemnis conſuetudo ſervabitur, vt in feſtis quibuſque diebus arcam domini cum reliquijs, non Epiſcopi ſed Levitæ in humeris geſtent, quibus in veteri lege onus idem impoſitum novimus eſſe præceptum* Reges Francorum, quocumque procederent cappam ſancti Martini religionis & tutelæ cauſa circumferebant. Sangallenſis de geſt. Carol. M. libr. 1. cap. 4. *De pauperibus ergo ſupradictis quendam optimum dictatorem, & ſcriptorem, in capellam ſuam aſſumpſit, quo nomine Reges Francorum, propter cappam ſancti Martini, quam ſecum ob ſui tuitionem, & hoſtium oppreſsionem, jugiter ad bella portabant, ſancta ſua appellare ſolebant.* S.S. Corpus Domini quocumque iret vehiculo circumferre ſolebat Robertus Rex pijſſimus Helgald. in ejus vit. *Quocumque illi erat eundum, præparabatur vehiculum, quod deportaret divini myſterij tentorium, quo in terram fixo deponebantur ibi ſancta*, de quodam Rege Orientis, quod in expeditione portitaret pollicem ſancti Sergij martyris narrat Gregor. infr. libr. 7. cap. 31. *Narravit quidam, quod aliquis in partibus Orientis, Rex ablato ſancti Sergij martyris pollice, in dextro brachio corporis ſui ſerviſſet*, id eſt inſeruiſſet.

Caput totondit, atque pœnitentiam accipiens ſpiritum exhalavit. Marcus Referendarius pleuritide ictus caput totondit pœnitentiæ cauſa, & accepta pœnitentia, id eſt abſolutione delictorum vita exceſſit. Pœnitentes veſtem mutabant, comam deponebant, & cilicio caput operiebant Syn. Agath. can. 9 & 15. can. pœnitentes can. in capite 50. diſt. Morientes pariter in ſignum pœnitentiæ tonderi ſolebant. de Ludovico Duce Borbonio teſtatur auctor vernaculus ejus vit. cap. 96. *Alors requiſt le Duc que ſes cheveux fuſſent oſtez, ſi feurent tondus, & quand il les tint, il parla en cette maniere, Beau Sire Dieu Ieſus-Chriſt*, &c. Cap. 28.

Ecce jam leviorem me ſentio. Diſciola virgo profeſſa monaſterij S. Radegundis apud Pictavum, neptis B. Salvij Albigenſis Epiſcopi, in extremis ſorores ita affatur, quod ſe leviorem id eſt dolore levatam ſentiret, levior pro levato. Gregor. de mirac. Martyr. libr. 2. cap. 17. *Innocens enim dehinc manu, judicat*

ſe eſſe leviorem, mox illis recedentibus, hic ſpiritum exhalavit. Idem de vit. Patr. cap. 2. *Illatuſque manibus puerorum ad ejus tumulum, fusâ oratione, cum lachrymis, leviorem ſe ſenſit eſſe, quam cum venerat.* Eadem analogia leviùs habere dixit Beda libr. 4. cap. 19. *quod dum facerem, videbatur illa per biduum aliquanto leviùs habere, ita vt multi putarent, quod ſanari poſſet à languore.*

Inter quos primus erat Egidius Rhemenſis Epiſcopus. Ea ætate claruit Ægidius Rhemenſis Epiſcopus, cujus meminit & Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 3. cap. 17.

Atque ad Mecledonenſe caſtrum abijt. Mecledonenſe caſtrum Gregorio eſt Meludunum, Milidunum vocat Aimoin libr. 1. cap. 14. *Vnde cum Clodoveus regnum ſuum vſque Sequanam, atque poſtmodum vſque Ligerim fluvios ampliaſſet, Milidunum caſtrum Aureliano, cum totius ducatu regionis jure beneficij conceſsit.* Mecledonenſe caſtrum rursùs Gregorius infr. hoc cap. *Biturici vero cum quindecim milibus, ad Mecledonenſe caſtrum confluunt.* Miliodunenſe caſtrum eidem libr. 10. cap. 18. *Vnde factum eſt vt commotus exercitus Biturigas vrbem pagum Stampenſem, vel Miliodunenſe caſtrum attererent.* Megledunenſe caſtrum infr. h. libr. cap. 32. *in Pago Megledunenſi.* Alijs Meldunum. VV. Malmesbur. digeſt. Pontif. Angl. libr. 2. *DANIEL Melduni quantum vixit Monachum exercens, ibidem ſepultus aſſeveratur.* vulgò *Melun.*

Mane autem concurrentibus legatis, pacem fecerunt, pollicentes alterutrum, vt quicquid Sacerdotes, vel ſeniores populi judicarent, pars parti componeret. Chilpericus, & Guntranus Reges pacem ineunt, collatis conditionibus in arbitrium Sacerdotum, id eſt Epiſcoporum, & ſeniorum, id eſt optimatum utriuſque Tetrarchię, ij ſunt quos ſeniores Francos Gregor. infr. libr. 8. cap. 31. *Magnus tunc omnes Rotomagenſes cives, & præſertim ſeniores loci illius Francos mæror obſedit.*

Chilpericus verò Rex, cum exercitum à prædis arcere non poſſet Rothomagenſem Comitem gladio trucidavit. Comites civitatum militaribus copijs præerant, ideo Chilpericus ſua manu Comitem Rothomagenſem ferro necavit, quod milites à prædis non coërceret.

Ante paucos autem menſes Leudaſtes in Turonicum cum præcepto Regis advenit, vt vxorem acciperet. In Gallia nuptiæ nobilium vel ditiorum puellarum ſolebant peti à Principe contra voluntatem parentum, quod vetuit Conc. Aurelian. 4. can. 22. *Vt nullus per imperium poteſtatis, filiam competere audeat nè conjugium, quod contra parentum voluntatem piam copulatur, velut captivitas judicetur*, quod deſumptum eſt ex l. unic. C. ne nupt. ex reſcript. pet. Cap. 32.

Nunc autem rogo vt pacem tuam non mereatur, neque Eulogias de manu tua ſuſcipiat, donec à nobis quid agi debeat, pleniùs pertractetur. Fredegundis uxor Chilperici Regis rogat Gregorium, nè Leudaſtes Comes Turonenſis ab eo Eulogias accipiat, priuſquam ab ea deliberatum eſſet, quidnam agendum eſſet. Eulogiæ dantur fidelibus in ſignum communionis Eccleſiaſticæ Gregor. infr. lib. 7. cap. 1. *Vt cum quiſque veniſſet extraneus, & orationem tribueret, & Eulogias gratiâ pleniſsimâ miniſtraret.* Ideò Regina interceſſit ne Leudaſtes eulogias acciperet, nè admitteretur ad communionem Eccleſiaſticam, quia is proferebat epiſtolam Epiſcoporum, ut in communionem admitteretur ut ſubjungit Gregorius, *ſed & vobis epiſtolam Sacerdotum manu ſubſcriptam detulit, vt in communionem reciperetur.*

Poſitoque ad cervicem ejus vecte immenſo, ab alio ei gulam verberant. Leudaſti Comiti gula fracta, poſito ad cervicem vecte. Vectis eſt major baculus quo ruſtici & fabri utuntur ad onera promovenda, *vn levier*, vel peſſulus ſeu ferrum quo oſtium clauditur *vn verrouil.* Gregor. de glor. Confeſſ. cap 60. *ita vt conjunctis ampliùs trecentis vires, cum funibus trahere, & vectibus impellere conaretur.* Idem infr. libr. 10. cap. 16. *Vectibus ac ſecuribus confractis poſticis.* Idem ſupr. lib. 2. cap. 33. *multis cum ferreis vectibus præcedentibus.*

Reſiſtente præcipuè beata Radegunde, & dicente, non eſt enim dignum, vt puella Chriſto dicata iterum ad ſeculi voluptates revertatur. Chilperico Rege volente filiam ſuſceptam ex Audovera, quæ erat poſita in monaſterio Pictavienſi nuptijs tradere filio Leuvigildi Regis VViſigotorum, acriter interceſſit B. Radegundis, dicens ferendum non eſſe, ut puella ſemel Deo Cap. 34.

dicata nubat viro inter bigamos habentur quæ ἀθετοῦσι τὴν ἐπαγγελίαν. *Virginitatem pollicitam prævaricatæ ſunt.* Syn. Ancyr. can. 8. can. quotquot ·27. qu. 1. Syn. Arauſican. 1. can. 28. *In vtroque ſexu deſertores profeſſæ caſtitatis, prævaricatores habendi.*

Cap. 35. *Addentes illud quod nulla ratione credi patior, filium aiunt tuum, pro Mummoli Præfecti vita donavimus.* Maleficæ ſeu Sagæ Pariſienſes tormentis traditæ faſſæ ſunt, ſe filium Chilperici ex Fredegunde ſuſceptum, maleficijs ſuſtuliſſe, eo tradito pro ſalute Mummoli. Sagæ transferunt morbos de uno corpore ad aliud, nec curant ægrum niſi morte melioris, dæmonum ſc. beneficia non ſunt gratuita. Hoc medendi genere præcordiorum dolore laborantibus, admotis catellis lactentibus, morbus transfertur in catellum, ita ut mox necatus humandus ſit, Seren. Sanmonicus de medicina, de præcord. ſanand.

Mummoli meminit, & Greg. de mirac. Mart. libr. 1. cap. 31.

Tunc Regina tormentis gravioribus, mulieribus adfectis aliàs enecat, aliàs incendio tradit, aliàs rotis oſsibus confractis innectit, Sagarum pœnæ variæ crematio Rota ut hic, vel ſubmerſio Aimoin. libr. 5. cap. 15. *Sed & Herberga filia quondam VVillelmi Comitis, tamquam venefica aquis præfocata eſt.* Idem in vit. Ludovici Pij.

Cap. 36. *Ad vlciſcendam humilitatem generis ſui, velociùs properant.* cognati mulieris quæ adulterio abducta fuerat à Clerico properant ad ulciſcendam humilitatem ſvam, id eſt humiliationem acceptam ex injuria Clerici. Humilitas eſt humiliatio Gregor. ſupr. libr. 2. cap. 40. *Cumque Chararicus de humilitate ſua conquereretur.* Idem libr. 3. cap. 32. *Belliſſarium vero Comitem ſtabuli, quaſi pro humilitate, quod priùs fuerat poſuit.*

Gaviſus auditu Sacerdos, pueros civitatis collegit, ipſique delegat ad docendum. Atherius Lixoenſis ſive Lexovienſis Epiſcopus, pueros docendi cauſa tradidit Clerico Cenomannenſi, qui ſe profitebatur litterarum Doctorem ſeu Magiſtrum. Idem Aimoin. libr. 3. cap. 53. Epiſcopi munus eſt docere, per ſe, vel per Clericos ad hoc ſtatutos, ideò ut ſcholæ inſtituantur ab Epiſcopis in Eccleſijs ſuis juſſit Capitulare Caroli M. libr. 1, cap. 72. unde libatus eſt can. 3 Conc. Cabillonens 2. *oportet etiam vt ſicut Dominus Imperator Carolus præcepit, Epiſ-*

copi ſcholas conſtituant, in quibus & litteraria ſolertia diſciplinæ, & ſacræ ſcripturæ documenta diſcantur, quod repetitum eſt Conc. Pariſ. can. 30. Valentin. can. 18.& Conſtit. Eugenij II. can. de quibuſdam 38. diſt. In Gallijs ante Conc. Lateranenſe ſcholas fuiſſe in ſingulis Eccleſijs Epiſcopalibus conſtat ex cap. 3. de Magiſtr. in ſecunda collect. Quandoque docendi officio functus eſt ipſe Archidiaconus. Gregor. de mirac. martyr. libr. 1. cap. 78. *Interroganteſque de Archidiacono, digito eis oſtenſus eſt. Erat enim hic Ioannes nomine valdè religioſus, & in Archidiaconatu ſuo ſtudium docendi parvulos habens.* Delegare eſt mandare committere, inde delegatum, pro delegatione ſeu mandato. Auguſtin. de tempor. ſerm. 76. *Cæterum diſpendium magnum eſt, ſi cum tibi Dominus ad hæc dederit, vt diſpenſes, ejus delegata non ſerves.*

In ſtrato ſuo quievit, habens circa lectum ſuum, multos lectulos Clericorum. Ætherius Lexovienſis Epiſcopus non cubuit ſolus, ſed habuit circa lectum plures lectulos Clericorum diſpoſitos, ut haberet ſc. teſtes converſationis. Synod. Romanâ habitâ ſub Gregorio I. jubetur ut clerici vel Monachi electi, ſint cubicularij Pontificis, nè careat idoneis teſtibus privatæ converſationis can. cum paſtoris 2. qu. 7. qui deſumptus eſt ex Gregorio libr. 4. epiſt. 44. Et Synodus Romana habita in cauſa Symmachi Papæ cavit, Epiſcopos & Presbyteros ſecum ſemper contubernales habere, quos concellaneos ſeu cellulanos appellat.

Nova argumenta machinantur, argumenta, ſunt inventa, ſeu artes nocendi, vel agendi. Gregor. de glor. confeſſ. in præf. *qui nullum argumentum vtile in literis habes*, de quo plura ſupr. libr. 1. cap. 44.

Dans etiam epiſtolas per omnes Epiſcopos regni ſui, vt peregrinum aliquo pro Dei intuitu conſolarentur. Ætherio Lexovienſi Epiſcopo ſede ſuâ pulſo, & tranſeunte in Guntrani Regnum. Guntranus eum muneribus ornavit, datis etiam epiſtolis commendatitijs ut ab omnibus Epiſcopis regni ſui, hoſpitalitatis officijs foveretur. Epiſcopis ſede ſua pulſis alimoniæ præſtabantur, ab alijs Epiſcopis, ut Quintiano Ruthenenſi Epiſcopo à Gothis ſede ſua pulſo, vitæ ſubſidia data

ſunt ab Euphraſio Arvernenſi Epiſcopo teſte Gregorio ſupr. libr. 2. cap. 36. ubi dixi. Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus exulans, à Ludovico juniore Rege Francorum comiter ſuſceptus, & ſumptu fiſci exhibitus Joann. Saresber. epiſt. 195. & 203. & Vit. & proceſſ. ejuſd. libr. 2. cap. 9. Epiſtolæ etiam commendatitię pauperibus dabantur ab Epiſcopis, ut à devotis eleëmoſynæ eis tribuerentur. Gregor. de vit. Patr. cap. 8. de Nicetio E. Lugdunenſi. *Quidam viro pauper, vivente ſancto litteras ab eo elicuit, manu ejus ſubſcriptas, qualiter ſibi per devotorum domos eleëmoſynam flagitaret, poſt cujus obitum adhuc cum ipſa circuiens epiſtola, non pauca ab eleëmoſynarijs pro ſancti memoria capiebat.*

Cap. 37. *Lupentius vero Abbas baſilicæ ſancti Privati martyris urbis Gabalitanæ*, civitas Gabalorum eſt Mimate vulgò *Mende em Gevandan*, ubi eſt baſilica S. Privati Martyris. Inde Gregorius infr. libr. 10. cap. 28. *Ecce adeſt Iulianus à Brivate, Privatus ex Mimate, Martinus à Turonis.*

Innocentius Gabalitanorum Comes, eligitur ad Epiſcopatum opitulante Brunichilde Regina. Epiſcopi deſignabantur præcepto Regum, quandoque Regina ſe in his interponebat, ut Innocentium electum Ruthenenſem Epiſcopum, ſuffragio Brunichildis Reginæ teſtis eſt Gregorius. Sua ætate mulierum poteſtatem invaluiſſe in electione Epiſcoporum doluit Chryſoſt. libr. 3. de Sacerdot. cap. 38. & ob id de tollenda electione Epiſcoporum ipſum Chryſoſtomum cogitaſſe refert. Niceph. libr. 13. cap. 9.

Cap. 83. *Sed adſumpto Epiſcopatu, confeſtim Vrſicinum Cadurcinæ urbis Epiſcopum laceſſere cœpit, dicens quia Dioceſes Ruthenæ Eccleſiæ retineret.* Innocentius Ruthenenſis E. ſuſcepto Epiſcopatu, ſtatim ab Urſicino Cadurcenſi Epiſcopo vindicavit, certas dioceſes, id eſt Parochias, quas intendebat eſſe Ruthenenſis Eccleſiæ. Diœceſis hic pro Parochia ſumitur, ut mox expoſuit ipſe Gregorius, *ſcilicet ut Parochias quas numquam Ruthena Eccleſia tenuiſſe recolebatur reciperet.* Sic Condatenſis Diœceſis pro Parochia vici Condatenſis, quæ eſt Turonenſis Diœceſis eidem de miracul. B. Martin. libr. 1. cap. 22. *Quid etiam in Condatenſi Deœceſi actum ſit non prætEribo.* Idem ſupr.

libr. 5. cap. 5. *Et apud Ariſitenſem vicum Epiſcopus inſtituitur, habens ſub ſe, plus minus Diœceſes quindecim, quas primum Gothi quidam tenuerant.*

Vnde factum eſt vt poſt aliquot annos conjunctus Metropolitanus cum ſuis Provincialibus apud vrbem Arvernam reſidens, judicium emanaret ſcilicet vt Parochias quas numquam Ruthena Eccleſia, tenuiſſe recolebatur reciperet. Anno Chriſti 588. Synodus Arvernenſis habita pro Parochijs Cadurcinis, Præſide Sulpitio Bituricenſi Epiſcopo & Metropolitano, de quo Gregor. prox. cap. *Hic Synodum illam cujus ſupra meminimus, pro Parochijs Cadurcinis fieri commonuit.*

Nam cum multi munera offerrent, hæc Rex Epiſcopatum quærentibus reſpondiſſe fertur, non eſt principatus noſtri conſuetudo, Cap. 39. *Sacerdotium venundare ſub precio.* Mortuo Remigio Bituricenſi Epiſcopo, Guntranus Rex ſucceſſorem ei deſignavit Sulpipitium, ſpretis muneribus multorum, qui Epiſcopatum ambiebant, dicens moris ſui non eſſe Sacerdotia pretio venundare. Ea ætate malè audivit Gallia de labe ſimoniæ, quo pertinent plures epiſtolæ Gregorij M. libr. 4. epiſt. 51. 53. & libr. 7. epiſt. 114. de tollendâ eâ labe. Guntranus Rex à ſimoniæ vitio valdè alienus fuit, ejus pietatem, & largitatem in Eccleſias & pauperes commendat Gregor. de mirac. Martyrum libr. 1. cap. 79. *Cum autem Guntchramnus Rex ita ſe ſpiritalibus actionibus mancipaſſet, vt relictis ſeculi pompis theſauros ſuos Eccleſijs, & pauperibus erogaret, accidit vt miſſo Presbytero munera fratribus, qui ſanctis Agannenſibus deſerviunt ex voto tranſmitteret.*

Ipſa muliere cum Græcis relicta. Leuvigildus Rex Vviſigothorum Herminigildum filium, qui uxorem duxerat ſororem Cap. 40. Childeberti Junioris Regis miſit in vincula, ejus uxore depoſita apud Græcos, id eſt apud Duces Tiberij Imperatoris qui bellum gerebant in Hiſpania de quo ſupr. h. libr. cap. 18.

Miſſarum ſolemnia tenuit, ſed neque pacem cum noſtris fecit, neque de ſacrificijs communicavit. Oppila legatus Leuvigildi Regis Hiſpaniæ fingens ſe eſſe Catholicum una cum Gregorio acceſſit ad Eccleſiam, & miſſarum ſolemnibus interfuit, ſed neque pacem id eſt oſculum pacis, quod eſt ſym-

bolum communionis fidelium, neque ſacram communionem ſuſcepit. Pax dicitur oſculum pacis, quod porrigitur fidelibus in ſignum pacis, id eſt fraternitatis, & communionis Eccleſiaſticæ. Tertullian. de virginib. veland. *Non poſſumus reſpuere conſuetudinem, quam damnare non poſſumus, vt potè non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus ſcilicet communicamus, jus pacis & nomen fraternitatis.* Idem de præſcript. adverſ. hæretic. cap. 20. *Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & conteſſeratio hoſpitalitatis.* Oſculum pacis vocat idem 2. ad uxor. *Iam vero alicui fratrum ad oſculum convenire, aquam Sanctorum pedibus offerre*, idem de orat. cap. 14. *Alia jam conſuetudo invaluit, jejunantes habitâ oratione cum fratribus ſubtrahunt oſculum pacis, quod eſt ſignaculum orationis*, quia ſc. hujuſmodi oſculum erat quaſi ſigillum & ſignaculum orationis, & in fine orationis præbebatur. Oſculum in ſacris myſterijs unitatis ſymbolum eſſe notat Chryſoſtom. in Joann. cap. 78. διὰ τοῦτο καὶ ἐν τοῖς μυστηρίοις ἀσπαζόμεθα ἀλλήλους, ἵνα οἱ πολλοὶ γενώμεθα ἕν *Ideo in myſterijs invicem ſalutamus, vt multi vnum efficiamur.*

Cap. 41. *His diebus ei filius natus eſt, quem in villa Victoriacenſe nutrire præcepit, dicens, nè fortè dum publicè videtur, aliquid mali incurrat & moriatur.* Chilpericus Rex filium ſibi natum apud Victoriacum caſtrum nutriri præcepit, nè ſi publicè videretur noxijs maleficorum expoſitus eſſet. Pueri obnoxij maleficijs Larvarum Auguſtin. contr. Julian. lib. 6. cap. 9. *Huc accedunt quidem illa, quæ non quidem omnes parvulos, ſed tamen plurimos cernimus perpeti, multa & varia mala, vſque ad dæmonum incurſus.* Imperij ſignum Mauricio fuit, quod mater narrabat Larvam, quam Græci ἐμπύσαν vocant, infantem de loco in locum tranſtuliſſe, tamquam illum voraturam, minimè tamen ei nocere potuiſſe Evagr. libr. 5. cap. 21. Nicephor. lib. 18. cap. 9. ἐμπύσα ſpectrum Lamiæ Philoſtr. de vit. Apoll. libr. 2. cap. 2. Veterum etiam medicorum opinio fuit ſtriges ſeu lamias infeſtas eſſe infantibus. Seren. Sammonicus de Medecin.

Præterea ſi fortè premit, ſtrix atra puellos.

Cap. 42. *Sed hic fidus à ſolatijs.* Mauritius repetebat à Childeberto Rege quinquaginta millia ſolidorum ſeu aureorum. quæ acceperat

perat, ut Longobardos Italiæ finibus pelleret, ſed Childebertus, nè petenti quidem reſpondere dignatus eſt, confiſus ſuis viribus & opibus, è quibus ſolatium ſeu fiducia, Gregorius prox. cap. *Solatio fretus Imperatoris.* Idem libr. 5. cap. 14. *Cumque parvum ſolatium qui eum ducebant haberent ab ipſo Gauleno.* Idem libr. 9. cap. 38. *Droctulfum qui ad adſolatium Septiminæ, ad nutriendum Regis parvulum fuerat datus.*

Multi vero meliores natu, qui vi compellebantur abire teſtamenta condiderunt, reſque ſuas Eccleſijs deputantes atque petentes, ut cum in Hiſpanias puella introiſſet, ſtatim teſtamenta illa, tamquam ſi jam eſſent ſepulti reſerarentur. Riguntis filia Chilperici Regis per legatos deſponſata Leuvigildi Regis Vviſigothorum filio, Fiſcalini id eſt ſervi fiſcales inviti electi, ut eam proſequerentur in Hiſpaniam, & hoc eſt quod v[illegible]it ſupra Gregorius his verbis. *Familias multas de domibus fiſcalibus, auferre præcipit.* Apertius Aimoin. libr. 3, cap. 53. *Fiſcalinorum multos à parentibus ſegregatos, cum filia Hiſpanias petere vi compellebat.* Fiſcalini ſunt ſervi fiſcales. Aimoin. libr. 3. cap. 43. *Leudaſtis de fiſcalinis ortus ſervis.* Multi ex his deſperatione vitam laqueo finierunt, alij teſtamento condito cavérunt, ut quamprimùm Hiſpaniæ fines attigiſſent, teſtamenta eorum aperirentur, quaſi jam mortui eſſent. Idem Aimoin. loco modo laudato. *Multi etiam violentia illuc ire coacti, teſtamenta condiderunt, quaſi in proximo vita carituri.* Noſtros ea ætate ſervaſſe ſolemnia legis Romanæ in apertione & recitatione teſtamentorum ſatis indicat Gregorius, apertiùs vero idem de vit. Patr. cap. 8. *Poſt dies autem quos lex Romana ſancivit, ut defuncti cujuſpiam voluntas publicè relegatur, hujus Antiſtitis teſtamentum in foro delatum turbis circumſtantibus à judice reſeratum, recitatumque eſt.*

Interea legati Regis Childeberti Pariſius advenerunt, conteſtantes Chilperico Regi, ut nihil de civitatibus, quas de regno patris ſui tenebat auferret, aut de theſauris ejus in aliquo filiam muneraret. In Gallia res fiſci diſtrahi non poſſunt, nè quidem in dotem filiarum. Et hæc lex ſervatur in cæteris regnis, ut in Hungaria cap. intellecto ex. de jurejurand. idcircò filia Chilperici Regis nubente, cum immenſa dote, Childebertus Ju-

que ipſos etiam paranymphos, & quoſcumque ingredi quælibet neceſsitudo permiſerat, ante mittit foras, quam vel blandiri conjux conjugi incipiat. Idem ſponſam cuſtodit camque offert benedicendam Sacerdoti can. 1. can. qualiſ. can. ſponſus 30. qu. 5. Idem & pronubus dictus. Lamprid. in Heliogabal. *Nupſit & coïjt vt & pronubum haberet, & clamaret concide magire.*

Major domus VVado, qui olim Santonicum rexerat Comitatum. Major domus erat præfectus ſeu Curator domus regiæ, alius à Comite palatij, ad quem pertinebat notio cauſarum, quę ad palatium deferebantur. Gregor. de mirac. D. Martin. lib. 4. cap. 6. *Adveneratetiam in hac feſtivitate & Florentianus major, cum Temulpho Palatij Comite.* Majorem domus etiam Comitem domus vocat. Aimoin. libr. 3. cap. 4. *Cum in infantia Sigeberti, omnes Franci de regno ejus, Chrodinum majorem domus elegiſſent*, & infra, *Comitem me deſtinaverunt fore domus regiæ.* Vvado fuit major domus reginæ Riguntis Gregor. infr. libr. 7. cap. 27. *Vado autem qui erat major domus Regiæ Riganthis.* Reginæ habebant Majorem domus & alios majores officiales ut Reges ipſi Gregor. infr. libr. 9. cap. 31. *Childebertus vero Rex deſcriptores in Pictavos inuitante Maroveo Epiſcopo juſsit abire, id eſt Florentianum Majorem domus Reginæ, & Romulfum palatij ſui Comitem.* Idem libr. 8. cap. 32. *Contentionem de vineis cum Boboleno Referendario Fredegundis habebat.* Idem libr. 5. cap. 43. *Vrſicinum qui quondam Referendarius Vltrogothæ Reginæ fuerat.*

Vineas devaſtabant, ita vt inciſis caudicibus, cum vuis auferrent. Caudices ſeu Codices, ſunt ſurculi vitium vel arborum. Virgil. Georgic. 1.

Quin & caudicibus ſectis mirabile dictu
Truditur è ſicco radix oleagina ligno.

Ubi Servius caudicibus poſuit, pro codicibus. Et Gregorius ipſe de mirac. Martyr. libr. 2. cap. 35. *Sed tamen hic novo magis exuberat fructu, cum ſine codicibus falerna porrigit adhibenda*, idem infr. libr. 7. cap. 11. *Tunc adparuerunt in caudicibus vinearum palmites novi cum vvis deformatis.*

Cap. 36. *Sacerdotes Domini aſsiduè blaſphemabat.* Blaſphemare eſt exſecrare, inde blaſphemium pro blaſphemia ſeu execratione

Gregor. infr. libr. 8. cap. 41. *Tu hoc plaſphemium ſuper me intuliſti.* Papias. *Blaſphemia detractio.*

Teſtamenta quæ in Eccleſijs conſcripta erunt, plerumque diſrupit. Chilpericus Rex notatur reſcidiſſe teſtamenta multorum quæ erant ſcripta in gratiam Eccleſiæ, Guntranus poſt ejus mortem ea reſtituit Gregor. infr. libr. 7. cap. 7. *Teſtamenta quoque defunctorum, qui Eccleſias heredes inſtituerant, & ab Chilperico compreſſa fuerant reſtauravit.*

dicata nubat viro inter bigamos habentur quæ ἀθετοῦσι τὴν ἐπαγγελίαν. *Virginitatem pollicitam prævaricatæ ſunt.* Syn. Ancyr. can. 8. can. quotquot 27. qu. 1. Syn. Araul can. 1. can. 28. *In vtroque ſexu deſertores profeſſæ caſtitatis, prævaricatores habendi.*

Cap. 35. *Addentes illud quod nulla ratione credi patior, filium aiunt tuum, pro Mummoli Præfecti vita donavimus.* Maleficæ ſeu Sagæ Pariſienſes tormentis traditæ faſſæ ſunt, ſe filium Chilperici ex Fredegunde ſuſceptum, maleficijs ſuſtuliſſe, eo tradito pro ſalute Mummoli. Sagæ transferunt morbos de uno corpore ad aliud, nec curant ægrum niſi morte melioris, dæmonum ſc. beneficia non ſunt gratuita. Hoc medendi genere præcordiorum dolore laborantibus, admotis catellis lactentibus, morbus transfertur in catellum, ita ut mox necatus humandus ſit, Seren. Sanmonicus de medicina, de præcord. ſanand.

Mummoli meminit, & Greg. de mirac. Mart. libr. 1. cap. 31.

Tunc Regina tormentis gravioribus, mulieribus adfectis aliàs enecat, aliàs incendio tradit, aliàs rotis oſsibus confractis innectit, Sagarum pœnæ variæ crematio Rota ut hic, vel ſubmerſio Aimoin. libr. 5. cap. 15. *Sed & Herberga filia quondam VVillelmi Comitis, tamquam veneſica aquis præfocata eſt.* Idem in vit. Ludovici Pij.

Cap. 36. *Ad vlciſcendam humilitatem generis ſui, velociùs properant.* cognati mulieris quæ adulterio abducta fuerat à Clerico properant ad ulciſcendam humilitatem ſvam, id eſt humiliationem acceptam ex injuria Clerici. Humilitas eſt humiliatio Gregor. ſupr. libr. 2. cap. 40. *Cumque Chararicus de humilitate ſua conquereretur.* Idem libr. 3. cap. 32. *Belliſſarium vero Comitem ſtabuli, quaſi pro humilitate, quod priùs fuerat poſuit.*

Gaviſus auditu Sacerdos, pueros civitatis collegit, ipſique delegat ad docendum. Atherius Lixoenſis ſive Lexovienſis Epiſcopus, pueros docendi cauſa tradidit Clerico Cenomannenſi, qui ſe profitebatur litterarum Doctorem ſeu Magiſtrum. Idem Aimoin. libr. 3. cap. 53. Epiſcopi munus eſt docere, per ſe, vel per Clericos ad hoc ſtatutos, ideò ut ſcholæ inſtituantur ab Epiſcopis in Eccleſijs ſuis juſſit Capitulare Caroli M. libr. 1, cap. 72. unde libatus eſt can. 3. Conc. Cabillonens 2. *Oportet etiam vt ſicut Dominus Imperator Carolus præcepit, Epiſ-*

capi ſcholas conſtituant, in quibus & litteraria ſolertia diſciplinæ, & ſacræ ſcripturæ documenta diſcantur, quod repetitum eſt Conc. Pariſ. can. 30. Valentin. can. 18. & Conſtit. Eugenij II. can. de quibuſdam 38. diſt. In Gallijs ante Conc. Lateranenſe ſcholas fuiſſe in ſingulis Eccleſijs Epiſcopalibus conſtat ex cap. 3. de Magiſtr. in ſecunda collect. Quandoque docendi officio functus eſt ipſe Archidiaconus. Gregor. de mirac. martyr. libr. 1. cap. 78. *Interroganteſque de Archidiacono, digito eis oſtenſus eſt. Erat enim hic Ioannes nomine valdè religioſus, & in Archidiaconatu ſuo ſtudium docendi parvulos habens.* Delegare eſt mandare committere, inde delegatum, pro delegatione ſeu mandato. Auguſtin. de tempor. ſerm. 76. *Cæterum diſpendium magnum eſt, ſi cum tibi Dominus ad hæc dederit, vt diſpenſes, ejus delegata non ſerves.*

In ſtrato ſuo quievit, habens circa lectum ſuum, multos lectulos Clericorum. Ætherius Lexovienſis Epiſcopus non cubuit ſolus, ſed habuit circa lectum plures lectulos Clericorum diſpoſitos, ut haberet ſc. teſtes converſationis. Synod. Romanâ habitâ ſub Gregorio I. jubetur ut clerici vel Monachi electi, ſint cubicularij Pontificis, nè careat idoneis teſtibus privatæ converſationis can. cum paſtoris 2. qu. 7. qui deſumptus eſt ex Gregorio libr. 4. epiſt. 44. Et Synodus Romana habita in cauſa Symmachi Papæ cavit, Epiſcopos & Presbyteros ſecum ſemper contubernales habere, quos concellaneos ſeu cellulanos appellat.

Nova argumenta machinantur, argumenta, ſunt inventa, ſeu artes nocendi, vel agendi. Gregor. de glor. confeſſ. in præf. *qui nullum argumentum vtile in literis habes*, de quo plura ſupr. libr. 1. cap. 44.

Dans etiam epiſtolas per omnes Epiſcopos regni ſui, vt peregrinum aliquo pro Dei intuitu conſolarentur. Ætherio Lexovienſi Epiſcopo ſede ſuâ pulſo, & tranſeunte in Guntrani Regnum. Guntranus eum muneribus ornavit, datis etiam epiſtolis commendatitijs ut ab omnibus Epiſcopis regni ſui, hoſpitalitatis officijs foveretur. Epiſcopis ſede ſua pulſis alimoniæ præſtabantur, ab alijs Epiſcopis, ut Quintiano Ruthenenſi Epiſcopo à Gothis ſede ſua pulſo, vitæ ſubſidia data

ſunt ab Euphraſio Arvernenſi Epiſcopo teſte Gregorio ſupr. libr. 2. cap. 36. ubi dixi. Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus exulans, à Ludovico juniore Rege Francorum comiter ſuſceptus, & ſumptu fiſci exhibitus Joann. Saresber. epiſt. 195. & 203. & Vit. & proceſſ. ejuſd. libr. 2. cap. 9. Epiſtolæ etiam commendatitię pauperibus dabantur ab Epiſcopis, ut à devotis eleëmoſynæ eis tribuerentur. Gregor. de vit. Patr. cap. 8. de Nicetio E. Lugdunenſi. *Quidam viro pauper, vivente ſancto litteras ab eo elicuit, manu ejus ſubſcriptas, qualiter ſibi per devotorum domos eleëmoſynam flagitaret, poſt cujus obitum adhuc cum ipſa circuiens epiſtola, non pauca ab eleëmoſynarijs pro ſancti memoria capiebat.*

Cap. 37. *Lupentius vero Abbas baſilicæ ſancti Privati martyris urbis Gabalitanæ,* civitas Gabalorum eſt Mimate vulgò *Mende en Gevaudan*, ubi eſt baſilica S. Privati Martyris. Inde Gregorius infr. libr. 10. cap. 28. *Ecce adeſt Iulianus à Brivate, Privatus ex Mimate, Martinus à Turonis.*

Innocentius Gabalitanorum Comes, eligitur ad Epiſcopatum opitulante Brunichilde Regina. Epiſcopi deſignabantur præcepto Regum, quandoque Regina ſe in his interponebat, ut Innocentium electum Ruthenenſem Epiſcopum, ſuffragio Brunichildis Reginæ teſtis eſt Gregorius. Sua ætate mulierum poteſtatem invaluiſſe in electione Epiſcoporum doluit Chryſoſt. libr. 3. de Sacerdot. cap. 38. & ob id de tollenda electione Epiſcoporum ipſum Chryſoſtomum cogitaſſe refert. Niceph. libr. 13. cap. 9.

Cap. 83. *Sed adſumpto Epiſcopatu, confeſtim Urſicinum Cadurcinæ urbis Epiſcopum laceſſere cœpit, dicens quia Dioceſes Ruthenæ Eccleſiæ retineret.* Innocentius Ruthenenſis E. ſuſcepto Epiſcopatu, ſtatim ab Urſicino Cadurcenſi Epiſcopo vindicavit, certas dioceſes, id eſt Parochias, quas intendebat eſſe Ruthenenſis Eccleſiæ. Diœceſis hic pro Parochia ſumitur, ut mox expoſuit ipſe Gregorius, *ſcilicet ut Parochias quas numquam Ruthena Eccleſia tenuiſſe recolebatur reciperet.* Sic Condatenſis Diœceſis pro Parochia vici Condatenſis, quæ eſt Turonenſis Diœceſis eidem de miracul. B. Martin. libr. 1. cap. 22. *Quid etiam in Condatenſi Deœceſi actum ſit non præteribo.* Idem ſupr.

libr. 5. cap. 5. *Et apud Ariſitenſem vicum Epiſcopus inſtituitur, habens ſub ſe, plus minus Diœceſes quindecim, quas primum Gothi quidam tenuerant.*

Vnde factum eſt vt poſt aliquot annos conjunctus Metropolitanus cum ſuis Provincialibus apud vrbem Arvernam reſidens, judicium emanaret ſcilicet vt Parochias quas numquam Ruthena Eccleſia, tenuiſſe recolebatur reciperet. Anno Chriſti 588. Synodus Arvernenſis habita pro Parochijs Cadurcinis, Præſide Sulpitio Bituricenſi Epiſcopo & Metropolitano, de quo Gregor. prox. cap. *Hic Synodum illam cujus ſupra meminimus, pro Parochijs Cadurcinis fieri commonuit.*

Nam cum multi munera offerrent, hæc Rex Epiſcopatum quærentibus reſpondiſſe fertur, non eſt principatus noſtri conſuetudo, Sacerdotium venundare ſub precio. Mortuo Remigio Bituricenſi Epiſcopo, Guntranus Rex ſucceſſorem ei deſignavit Sulpipitium, ſpretis muneribus multorum, qui Epiſcopatum ambiebant, dicens moris ſui non eſſe Sacerdotia pretio venundare. Ea ætate malè audivit Gallia de labe ſimoniæ, quo pertinent plures epiſtolæ Gregorij M. libr. 4. epiſt. 51. 53. & libr. 7. epiſt. 114. de tollendâ eâ labe. Guntranus Rex à ſimoniæ vitio valdè alienus fuit, ejus pietatem, & largitatem in Eccleſias & pauperes commendat Gregor. de mirac. Martyrum libr. 1. cap. 79. *Cum autem Guntchramnus Rex ita ſe ſpiritalibus actionibus mancipaſſet, vt relictis ſeculi pompis theſauros ſuos Eccleſijs, & pauperibus erogaret, accidit vt miſſo Presbytero munera fratribus, qui ſanctis Agannenſibus deſerviunt ex voto tranſmitteret.* Cap. 39.

Ipſa muliere cum Græcis relicta. Leuvigildus Rex Vviſigothorum Herminigildum filium, qui uxorem duxerat ſororem Childeberti Junioris Regis miſit in vincula, ejus uxore depoſita apud Græcos, id eſt apud Duces Tiberij Imperatoris qui bellum gerebant in Hiſpania de quo ſupr. h. libr. cap. 18. Cap. 40.

Miſſarum ſolemnia tenuit, ſed neque pacem cum noſtris fecit, neque de ſacrificijs communicavit. Oppila legatus Leuvigildi Regis Hiſpaniæ fingens ſe eſſe Catholicum una cum Gregorio acceſſit ad Eccleſiam, & miſſarum ſolemnibus interfuit, ſed neque pacem id eſt oſculum pacis, quod eſt ſym-

bolum communionis fidelium, neque ſacram communionem ſuſcepit. Pax dicitur oſculum pacis, quod porrigitur fidelibus in ſignum pacis, id eſt fraternitatis, & communionis Eccleſiaſticæ. Tertullian. de virginib. veland. *Non poſſumus reſpuere conſuetudinem, quam damnare non poſſumus, vt potè non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus ſcilicet communicamus, jus pacis & nomen fraternitatis.* Idem de præſcript. adverſ. hæretic. cap. 20. *Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & conteſſeratio hoſpitalitatis.* Oſculum pacis vocat idem 2. ad uxor. *Iam vero alicui fratrum ad oſculum convenire, aquam Sanctorum pedibus offerre*, idem de orat. cap. 14. *Alia jam conſuetudo invaluit, jejunantes habitâ oratione cum fratribus ſubtrahunt oſculum pacis, quod eſt ſignaculum orationis*, quia ſc. hujuſmodi oſculum erat quaſi ſigillum & ſignaculum orationis, & in fine orationis præbebatur. Oſculum in ſacris myſterijs unitatis ſymbolum eſſe notat Chryſoſtom. in Joann. cap. 78. διὰ τοῦτο καὶ ἐν τοῖς μυστηρίοις ἀσπαζόμεθα ἀλλήλους, ἵνα οἱ πολλοὶ γενώμεθα ἕν *Ideo in myſterijs invicem ſalutamus, vt multi vnum efficiamur.*

Cap. 41. *His diebus ei filius natus eſt, quem in villa Victoriacenſe nutrire præcepit, dicens, nè fortè dum publicè videtur, aliquid mali incurrat & moriatur.* Chilpericus Rex filium ſibi natum apud Victoriacum caſtrum nutriri præcepit, nè ſi publicè videretur noxijs maleficorum expoſitus eſſet. Pueri obnoxij maleficijs Larvarum Auguſtin. contr. Julian. lib. 6. cap. 9. *Huc accedunt quidem illa, quæ non quidem omnes parvulos, ſed tamen plurimos cernimus perpeti, multa & varia mala, vſque ad dæmonum incurſus.* Imperij ſignum Mauricio fuit, quod mater narrabat Larvam, quam Græci ἐμπούσαν vocant, infantem de loco in locum tranſtuliſſe, tamquam illum voraturam, minimè tamen ei nocere potuiſſe Evagr. libr. 5. cap. 21. Nicephor. lib. 18. cap. 9. ἐμπούσα ſpectrum Lamiæ Philoſtr. de vit. Apoll. libr. 2. cap. 2. Veterum etiam medicorum opinio fuit ſtriges ſeu lamias infeſtas eſſe infantibus. Seren. Sammonicus de Medecin.

Præterea ſi forte premit, ſtrix atra puellos.

Cap. 42. *Sed hic fidus à ſolatijs.* Mauritius repetebat à Childeberto Rege quinquaginta millia ſolidorum ſeu aureorum, quæ acce-

perat

perat, ut Longobardos Italiæ finibus pelleret, ſed Childebertus, nè petenti quidem reſpondere dignatus eſt, confiſus ſuis viribus & opibus, è quibus ſolatium ſeu fiducia, Gregorius prox. cap. *Solatio fretus Imperatoris.* Idem libr. 5. cap. 14. *Cumque parvum ſolatium qui eum ducebant haberent ab ipſo Gauleno.* Idem libr. 9. cap. 38. *Droctulſum qui ad adſolatium Septiminæ, ad nutriendum Regis parvulum fuerat datus.*

Multi vero meliores natu, qui vi compellebantur abire teſtamenta condiderunt, reſque ſuas Eccleſijs deputantes atque petentes, ut cum in Hiſpanias puella introiſſet, ſtatim teſtamenta illa, tamquam ſi jam eſſent ſepulti reſerarentur. Riguntis filia Chilperici Regis per legatos deſponſata Leuvigildi Regis Vviſigothorum filio, Fiſcalini id eſt ſervi fiſcales inviti electi, ut eam proſequerentur in Hiſpaniam, & hoc eſt quod v[illegible]it ſupra Gregorius his verbis. *Familias multas de domibus fiſcalibus, auferre præcipit.* Apertius Aimoin. libr. 3, cap. 53. *Fiſcalinorum multos à parentibus ſegregatos, cum filia Hiſpanias petere vi compellebat.* Fiſcalini ſunt ſervi fiſcales. Aimoin. libr. 3. cap. 43. *Leudaſtis de fiſcalinis ortus ſervis.* Multi ex his deſperatione vitam laqueo finierunt, alij teſtamento condito cavérunt, ut quamprimùm Hiſpaniæ fines attigiſſent, teſtamenta eorum aperirentur, quaſi jam mortui eſſent. Idem Aimoin. loco modo laudato. *Multi etiam violentia illuc ire coacti, teſtamenta condiderunt, quaſi in proximo vita carituri.* Noſtros ea ætate ſervaſſe ſolemnia legis Romanæ in apertione & recitatione teſtamentorum ſatis indicat Gregorius, apertiùs vero idem de vit. Patr. cap. 8. *Poſt dies autem quos lex Romana ſancivit, ut defuncti cujuſpiam voluntas publicè relegatur, hujus Antiſtitis teſtamentum in foro delatum turbis circumſtantibus à judice reſeratum, recitatumque eſt.*

Interea legati Regis Childeberti Pariſius advenerunt, conteſtantes Chilperico Regi, ut nihil de civitatibus, quas de regno patris ſui tenebat auferret, aut de theſauris ejus in aliquo filiam muneraret. In Gallia res fiſci diſtrahi non poſſunt, nè quidem in dotem filiarum. Et hæc lex ſervatur in cæteris regnis, ut in Hungaria cap. intellecto ex. de jurejurand. idcircò filia Chilperici Regis nubente, cum immenſa dote, Childebertus Ju-

nior Rex per legatos obteſtatus eſt Chilpericum, nè filiam dotaret de civitatibus quas de regno patris ſui tenebat.

Omnia enim quæ cernitis de mea proprietate ablata ſunt, & de domibus mihi conceſsis. Fredegundis Regina ut amoveret ſuſpicionem, quæ animos Francorum movere poterat, dotem filiæ quæ immenſa videbatur in everſionem fiſci de rebus coronæ & regni conflatam eſſe, ad Francos converſa ait ſe dotem dediſſe ex proprijs rebus quæ ei ſc. conceſſæ erant tam in dote, quam in Morganegiba, id eſt donis nuptiarum. Reginæ habebant proprium fiſcum, & eis dabantur civitates id eſt vectigalia & reditus certarum civitatum, vel villarum ob ſumptum domus ſuæ ut Gaileſuindæ, & Brunichildi Reginis datas certas civitates patet infr. ex Gregor. libr. 9. cap. 11. & 20. Reginis Perſarum ſingulæ civitates tributæ in ſingulas partes cultus muliebris. M. Tull. Verr. 3. *Solere aiunt Barbaros Reges Perſarum ac Syrorum plures vxores habere, his autem vxoribus, civitates attribuere hoc modo, hæc civitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crinem, ita populos habent vniverſos, non ſolùm conſcios libidinis ſuæ, verum etiam adminiſtros.*

Franci vero multa munera obtulerunt, alij aurum alij argentum nonnulli equos, plerique veſtimenta, & vnusquiſque vt potuit donativum dedit. Regiæ puellæ nubentes accipiebant munera à Francis id eſt à majoribus. Apud Romanos nubentibus puellis nuptiale munus dabatur à cognatis & propinquis l. tutor ſecundum ff. de adminiſtr. tutor l. 1. §. præterea de tutel. & rat. diſtrah.

Cum de porta egrederetur, vno carrucæ effracto axe, omnes mala hora dixerunt. Carruca eſt genus vehiculi tectum lecticæ ſimile, quo Honorati vehebantur l. 1. C. de Honorat. vehicul. libr. 11. Hieronym. in Eſaïam libr. 18. cap. 68. *Qui autem ſenatoriæ fuerint dignitatis, & locum Principum obtinuerint de Britannis, Hiſpanis Galliſque extremis hominum Morinis, & vbi bicornis finditur Rhenus in carrucis veniunt.* Malum omen itineris erat fractio axis currus in ingreſſu itineris, idcirco cum filia Chilperici iter iniret effracto uno axe carrucæ, quâ vehebatur, ab omnibus dictum eſt malâ horâ. Cum malè omi-

namur, malâ horâ ſolemus dicere. Anaſtaſ. in Leone III. *Increpabat Campulus Paſchalem dicendo, malâ horâ faciem tuam vidi, eo quod tu me miſiſti in iſtud periculum.* Et Simon Comes Legriæ de Monteforti apud Matth. Paris in Henrico III. ad ann. 1255. *Erupit in hæc verba inſana in Regem, malâ horâ ipſum tale verbum à faucibus ejus emiſiſſe*, è diverſo benè ominantibus familiare eſt illud bonâ horâ, ut in Querolo. *Bonâ horâ hoc exaudiat.*

Denique hæc de Pariſius progreſſa, octavo ab vrbe miliario tentoria figi præcepit. Viri nobiles in itinere tentorijs utebantur rariore tum hoſpitiorum uſu, metati, ſeu hoſpitij vice Gregor. ſupr. h. lib. cap. 37. *Dimiſſuſque iterum vt rediret, cum ſuper Axonam fluvium tentorium tetendiſſet, iterum irruit ſuper eum inimicus ejus.* Idem infr. h. libr. cap. ult. *Madulfus autem Silvanectenſis Epiſcopus, qui jam tertia die in tentorio reſidebat, & ipſum videre non poterat.* Idem de vit. Patr. cap. 17. *Verumtamen cum propinqui ad vrbem cadente ſole fixis tentorijs manſionem pararent, illi confeſtim laxatos equos per ſegetes pauperum dimiſerunt.* Fredegar. c. 90. *Poſt tergum ejus Auguſtudunum acceſsit, ibique tentoria cum ſuis, nec procul ab vrbe poſuit*, Frodoard. in Chronic. ad ann. 931. *Robertus Epiſcopus Turonenſis Eccleſiæ Româ remeans ſub Alpibus noctu intra tentoria, cum comitantibus ſecum interimitur à latronibus.* Beda libr. 5. cap. 6. *Et quia moveri non poterant, tetenderunt ibi papilionem in quo jacerent.*

In quo nihil de fiſco ſuo Rex dari præcepit, niſi omnia de pauperum conjecturis. Sumptum itineris filiæ nubentis, non de fiſco, ſed de pauperum conjecturis parari juſſit Chilpericus. Conjectura eſt collatio ſeu tributum, quod extraordinem confertur ob publicam cauſam, putà ob nuptias filiæ principis. Conjectum in Capitulis Carol. Calvi tit. 5. cap. 4. *Presbyteri tale conjectum faciant, vt & Epiſcopi ſolatium habeant, & ipſi non graventur.*

Bobo Dux filius Mummoleni, cum vxore quaſi paranymphus. Paranymphus à Græco παράνυμφος eſt qui ſponſo adhibetur, & ſponſum deducit in cubiculum, primâ nocte nuptiarum. Auguſtin. de civit. Dei libr. 14. cap. 17. *Nonne omnes famulos, at-*

que ipſos etiam paranymphos, & quoſcumque ingredi qualibet neceſsitudo permiſerat, ante mittit foras, quam vel blandiri conjux conjugi incipiat. Idem ſponſam cuſtodit eamque offert benedicendam Sacerdoti can. 1.can. qualiſ. can.ſponſus 30.qu. 5. Idem & pronubus dictus. Lamprid. in Heliogabal. *Nupſit & coïjt vt & pronubum haberet, & clamaret concide magire.*

Major domus VVado, qui olim Santonicum rexerat Comitatum. Major domus erat præfectus ſeu Curator domus regiæ, alius à Comite palatij, ad quem pertinebat notio cauſarum, quę ad palatium deferebantur. Gregor. de mirac. D. Martin. lib. 4. cap. 6. *Advenerat etiam in hac feſtivitate & Florentianus major, cum Temulpho Palatij Comite.* Majorem domus etiam Comitem domus vocat. Aimoin. libr. 3. cap. 4. *Cum in infantia Sigeberti, omnes Franci de regno ejus, Chrodinum majorem domus elegiſſent*, & infra, *Comitem me deſtinaverunt fore domus regiæ.* Vvado fuit major domus reginæ Riguntis Gregor. infr. libr. 7. cap. 27. *Vado autem qui erat major domus Regiæ Rigunthis.* Reginæ habebant Majorem domus & alios majores officiales ut Reges ipſi Gregor. infr. libr. 9. cap. 31. *Childebertus vero Rex deſcriptores in Pictavos inuitante Maroveo Epiſcopo juſsit abire, id eſt Florentianum Majorem domus Reginæ, & Romulfum palatij ſui Comitem.* Idem libr. 8. cap. 32. *Contentionem de vineis cum Boboleno Referendario Fredegundis habebat.* Idem libr. 5. cap. 43. *Vrſicinum qui quondam Referendarius Vltrogothæ Reginæ fuerat.*

Vineas devaſtabant, ita vt inciſis caudicibus, cum vuis auferrent. Caudices ſeu Codices, ſunt ſurculi vitium vel arboborum. Virgil. Georgic. 1.

Quin & caudicibus ſectis mirabile dictu
Truditur è ſicco radix oleagina ligno.

Ubi Servius caudicibus poſuit, pro codicibus. Et Gregorius ipſe de mirac. Martyr. libr. 2. cap. 35. *Sed tamen hic novo magis exuberat fructu, cum ſine codicibus falerna porrigit adhibenda*, idem infr. libr. 7. cap. 11. *Tunc adparuerunt in caudicibus vinearum palmites novi cum vvis deformatis.*

Cap. 36. *Sacerdotes Domini aſsiduè blaſphemabat.* Blaſphemare eſt exſecrare, inde blaſphemium pro blaſphemia ſeu execratione

Gregor. infr. libr. 8. cap. 41. *Tu hoc plaſphemium ſuper me intuliſti.* Papias. *Blaſphemia detractio.*

Teſtamenta quæ in Eccleſijs conſcripta erunt, plerumque diſrupit. Chilpericus Rex notatur reſcidiſſe teſtamenta multorum quæ erant ſcripta in gratiam Eccleſiæ, Guntranus poſt ejus mortem ea reſtituit Gregor. infr. libr. 7. cap. 7. *Teſtamenta quoque defunctorum, qui Eccleſias heredes inſtituerant, & ab Chilperico compreſſa fuerant reſtauravit.*

LIBR. VII.

Cap. 1. IN quo monaſterio, diù ſub Regulâ à Patribus inſtitutâ verſatus eſt. Ea tempeſtate ſingula monaſteria propriam habuére regulam, regulam Lirynenſium, & Griniacenſium commendat Sidon. epiſt. 17. libr. 7. ad Voluſianum. *Fluctuantemque regulam fratrum deſtitutorum ſecundum ſtatuta Lirinenſium Patrum, vel Griniacenſium feſtinus informa.* Regulam à patribus inſtitutam, id eſt deſumptam ex regulis patrum habuit monaſterium, in quo S. Salvius primum fuit Monachus, inde Abbas: ut refert Gregorius hic, propria etiam fuit regula monaſterij S. Urſini, poſteà Bituricenſis Epiſcopi. Gregor. de vit. Patr. cap. 80. *Deinde conlectis ſecum paucis Monachis, ſub regula monaſterij degens ſemper orationi vacabat.*

Vt cum quiſque veniſſet extraneus, & orationem tribueret, & Eulogias gratiâ pleniſſimâ miniſtraret. S. Salvius tum Abbas poſteà Albigenſis Epiſcopus advenientes ad communionem precum admittebat, & Eulogias eis miniſtrabat. Eulogia eſt panis ſeu refectio quæ benedictionis cauſa datur. Gregor. infr. libr. 10. cap. 15. *De convivijs ait ſe nullam novam feciſſe conſuetudinem, niſi ſicut actum eſt ſub Domna Radegunde, ſe chriſtianis fidelibus Eulogias obtuliſſe.* Auguſtin. contr. litt. Petiliani libr. 3. cap. 16. *Eulogias panis ſimpliciter, & hilariter datas ridiculo nomine & venenoſæ turpitudinis, ac furoris infamet.*

Cap. 3. *Compoſuit tamen filijs Saxo ille mortem ejus.* Apud Francos pœna homicidij erat ferè pecuniaria, idcirco dixit pœnam mortis componere, quia luebatur pecunia, eadem analogia

dicimus bannum componere ut in can. ſtatuimus 16. qu. 1. *Bannum noſtrum componat*, & compoſitio eſt pœna pecuniaria Gregor. infr. libr. 9. cap. 19. *Magnas mihi debes referre grates, ô dulciſsime frater, eo quod interfecerim parentes tuos, de quibus accepta compoſitione, aurum argentumque ſuperabundant in domo tuâ.*

Eſſetque Polioctus Maryr, cum Hilario atque Martino Confeſſoribus. Inter Charibertum Guntranum, & Chilpericum Reges Germanos, pactum eſt ut qui ex his ſine conſenſu fratrum Pariſios urbem ingrederetur, amitteret partem ſuam, & pactum jurejurando ſancitum, ita ut perjurij judex & arbiter eſſet Polyoctus martyr cum Hilario, & Martino Confeſſoribus. Perjurij judex electus eſt inter cæteros Polyoctus ſeu Polyeuctus, quia erat præſens ultor perjurij teſtis ipſe Gregorius de Mirac. Martyr. libr. 1. cap. 103. *Apud Conſtantinopolim vero magno cultu Polyoctus martyr colitur, pro eo precipuè quod cum magnis virtutibus polleat, in perjuris tamen præſens vltor exiſtit.* Pacta inter Reges jurejurando firmari mos fuit ſupr. libr. 6. cap. 3. ubi dixi. Cap. 6.

Vnde factum eſt vt quadam die dominica, poſtquam Diaconus ſilentium populis, vt miſſæ auſcultarentur indixit. Diaconi officium eſt indicere ſilentium plebi ad audiendas miſſas ut probatur hic. Syneſ. ep. 67. κατασιγαζόντων δὲ τῶν ἱεροκηρύκων εἰς θρῆνον αὐτοῖς ἀπετελεύτησεν ἡ βοή. *Cum autem ſacri pracones, audientiam facerent, deſijt in fletum clamor.* Ejuſdem eſt indicere preces populo Auguſtin. epiſt. 119. *Quando autem non eſt tempus, cum in Eccleſia fratres congregantur ſancta cantandi, niſi cum legitur, aut diſputatur, aut Antiſtites clarâ voce deprecantur, aut communis oratio voce Diaconi indicitur.* Ejuſdem munus eſt, in ſacris myſterijs ſub tempus conſecrationis Dominici corporis, alta voce clamare ſurſum corda Chryſoſt. Homil. 29. ad Antiochen. καὶ γὰρ αὐτὸ τοῦτο παρακελεύεσθαι τὸν διάκονον ἅπασι, καὶ λέγειν, ὀρθοὶ στῶμεν καλῶς, οὐκ ἁπλῶς οὐδὲ εἰκῆ νενομοθέτηται. *Haud enim illa Diaconi exhortatio, ſic omnes alloquentis erecti ſtemus, honeſtè fruſtrà inſtituta eſt.* Conc. Tolet. 4. can. 3. *Sedentibuſque in diuturno ſilentio Sacerdotibus, & cor tantum habentibus ad Deum, dicat Archidiaconus, orate ſtatimque omnes in terram proſternantur.* Cap. 8.

Hæc eo dicente, omnis populus orationem, pro Rege fudit ad Dominum. Populus publicè orat pro Rege Guntrano. Etiam pro Paganis Imperatoribus preces fudére Chriſtiani. Tertull. Apologetic. cap. 30. *Illuc ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubèſcimus denique ſine monitore, quia de pectore oramus, precantes ſumus ſemper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum orbem quietum, quæcumque hominis & Cæſaris vota ſunt,* ait ſine monitore, quia Pagani orabant ex formula dictante Pontifice. Quint. Curt. libr. 4. cap. 13. *Alexander non alias magis territus, ad vota, & preces Ariſtandrum vocari jubet, ille in candida veſte, verbenas manu præferens, capite velato, præibat preces Regis* Antiquum uſum precum pro Regibus & Magiſtratibus commendat & Arnob. 4. adverſ. gentes. *Nam noſtra quidem ſcripta, cur ignibus meruerint dari, cur immaniter conventicula dirui, in quibus ſummus oratur Deus, pax cunctis & venia poſtulatur, magiſtratibus exercitibus Regibus, familiaribus inimicis adhuc vitam degentibus, & reſolutis corporum vinctione,* & Gregorius ipſe infr. libr. 8. cap. 4. *Hæc Rege dicente omnes orationem fuderunt ad dominum, vt vtrumque Regem* (Guntranum & Childebertum nepotem ex Sigeberto fratre) *ejus miſericordia conſervaret.*

Cap. 9. *Et cernens ſe jam ad terminum Gothorum, eſſe propinquum,* Riguntis filia Chilperici Regis, deſponſata Regi Hiſpaniæ cum perveniſſet Toloſam, cernens ſe jam proximam eſſe finibus Gothorum, quia Septimania adhuc erat ditionis Gothorum, Gregor. ſupr. lib. 6. cap. 2. *Agathen vrbem, quæ in Gothorum regno ſita eſt advenerunt,* moras nectere cœpit.

Repertoſque theſauros abſtulit de poteſtate Reginæ, & in domum quandam ſub ſigillorum munitione mancipat. Audita morte Chilperici, theſauri Riguntis Reginæ, à Deſiderio Duce tolluntur, & in domo quadam ſub ſigillorum munitione à Deſiderio Duce deponuntur. Theſauros Riguntis ſigillo obſignatos animadvertendum eſt, nè viderentur furto rapi, ſed cuſtodiæ cauſa ſeponi. Moris veterum fuit ſecuritatis cauſa nummos

nummos in ſacculo deponere, & obſignare ſigillo Chryſoſt. in Matth. Homil. 5. δηνάρια μὲν γάρ τις ὀλίγα λαβὼν, καὶ εἰς βαλλάντιον ἀποτίθεται, καὶ σφραγῖδα ἐπιτίθησιν. *Paucos enim plerumque nummos, cum aliquis accipit, & ſollicitè reponit in ſacculo, & diligenter obſignat ſigillo.* Unde ſigillum ſolidorum nihil aliud eſt quàm ſigillum ſacculi pecuniæ, ſic obſignati ſigillo. Auguſtin. de verb. Apoſt. ſermon. 9. *Quæſivit ſigna, interrogavit ſacculi qualitatem, ſigillum ſolidorum etiam & numerum.* Moris fuit res quæ capiebantur auctoritate judicis ſigillo obſignari Gregor infr. libr. 8. cap. 12. *Nam egrediente Epiſcopo à civitate, ſtatim res Eccleſiæ recipit, & alia quidem ſibi vindicat, alia ſub ſigillorum munitione concludit.*

Qui conjunctus cum ſupradictis Ducibus, Lemovicinum accedens Brivam Curretiam vicum, in quo ſanctus Martinus, noſtri vt aiunt Martini diſcipulus, requieſcit, advenit. Gundobaldus qui ſe Clotharij Regis filium dicebat, ex pacto fœdere conjunctus cum Deſiderio & Mummolo Ducibus, Brivam Curretiam vicum, qui eſt in Lemovicum finibus, ubi quieſcit Martinus diſcipulus Martini Turonenſis Epiſcopi acceſſit, ubi Parmæ ſeu clypeo ſuperpoſitus Rex eſt ſalutatus, infelici omine, quia cum tertium circumduceretur, in terram corruit. Idem Aimoin. libr. 3. cap. 60. Briva Curretia vicus nunc oppidum non ignobile in Lemovicibus, ſic dictum à Correzia amne, qui id allabitur, hodie *Brive la Gaillarde* ex incolarum ingenio qui ſemper læti, & hilares gaudent choreis & tripudijs. Nè dubitemus vicum ſeu oppidum Lemovicum eſſe, quod hic locus notatur inſignis tumulo B. Martini diſcipuli Martini Turonenſis, corpus ibi in hunc diem magna cum veneratione & cultu quieſcit, & hic videtur alius à Martino Santonenſi Abbate æquè diſcipulo Martini Turonenſis quem quieſcere apud Santonas refert Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 57. *Martinus Santonicæ vrbis Abbas, Martini vt ferunt noſtri diſcipulus, apud vicum vrbis ipſius in monaſterio, quod ipſe poſt magiſtri dogmata ædificauit in pace quieſcit.* Cap. 10.

Riguntbis vero in baſilica ſanctæ Mariæ Toloſæ, in quam Ragnovaldi uxor Chilpericum metuens confugerat, reſidebat Riguntbis Regina, acceptâ morte Chilperici patris, ſecuritatis cau-

Kk

ſâ amiſſis theſauris confugit in baſilicam , ſanctæ Mariæ , quæ eſt Toloſæ , in qua & Ragnovaldi uxor metu Chilperici ſe continebat. Baſilica S. Mariæ Toloſæ eſt antiquiſſima , & vetuſtatis imagine veneranda , opere muſivo adornata , cujus reliquiæ viſuntur circa latera altaris , olim fuit Prioratus Monachorum Moyſiacenſium Cluniacenſis ordinis , ſed in melius mutatus hodie tranſijt ad Benedictinos reformatos , qui cum magna laude & reformationis læta propagatione ibi verſantur.

Sed ita hæc ædes in poſterum à Ferreolo Epiſcopo reparata eſt, Baſilica S. Martini quæ erat apud Brivam Curretiam vicum , infelici Gundovaldi adventu igni cremata , inſtaurata eſt à Ferreolo Epiſcopo, is fuit Epiſcopus Lemovicenſis cujus ante meminit Gregor. libr. 5. cap. 29.

Cap. 12. *Pallulæ quæ ſuper altarium fuerant poſitæ.* Pallæ altaris ſunt pallia quibus tegitur ſeu velatur altare can. altaris de conſecr. diſt. 1. Gregor. infr. libr. 10. cap. 15. *Interea Iuſtina Præpoſita , cum alijs ſororibus palla altaris ,quod erat ante crucem dominicam, extincto cereo Abbatiſſam operit* , vel ſepulchrum Sanctorum. Idem de mirac. D. Martin. libr. 2. cap. 54. *Ibique iterum proſtrata de palla quæ ſanctum tegit tumulum , oculos abſtergens , & valedicens diſceſsit.* Idem de glor. confeſſ. cap. 79 *adſumpta igitur palla de beati ſepulchro , componunt in modum feretri.* Inde deminutivum pallulæ præter hunc locum Gregorius de mirac. Martyr. libr. i. cap. 47. *de quo infecta linteamina vel pallulæ , ſive vela eccleſiaſtica , beatus cruor collectus eſt.* Pallia altaris vocat idem Gregor. infr. h. libr. cap. 22. *Apprehende pallium altaris infelix , quo ſacra munera conteguntur , nè hinc abjiciaris.* Sigebert in chronic. ad ann. 451. *In Africa exardeſcentibus VVandalis , cum ita libros divinos exurerent , & de ſacris pallijs ac veſtibus veſtes ſibi facerent.* Proculum quendam miſſum Genſerici Regis Vandalorum qui de pallijs altaris , Camiſias ſibi & femoralia faciebat notat Victor Uticenſ. de perſecut. Vandalic. libr. 1.

Et non ſolùm ipſæ , ſed etiam herbulæ olim collectæ , altarioque locatæ , nequaquam exuſtæ ſunt. Miraculo notatur, quod incenſa Maroialenſi Eccleſia Diœceſis Turonenſis , in qua habeban-

tur reliquiæ B. Martini, pallæ altaris, & herbulæ olim altari impoſitæ nequaquàm arſérunt. Floribus & herbulis ornari ſolita altaria, & Eccleſiæ Hieronym. ad Heliodor. *Hoc idem poſſumus & de iſto dicere, qui baſilicas Eccleſiæ, & martyrum conciliabula, diverſis floribus & arborum comis, vitiumque pampinis adumbraret, ut quicquid placebat in Eccleſia tam diſpoſitione, quàm viſu Presbyteri laborem & ſtudium teſtaretur.* Herbulis conſperſi etiam tumuli Sanctorum Gregor. de vit. Patr. cap. 8. *Et ſtatim accedens quaſdam de herbulis, quas devotio populi ſacrum jecit in tumulum, manu linteo operta Sacerdote porrigente ſuſcepit, repoſitaſque diligenter domum detulit.* Idem de mirac. martyr. libr. 1. cap. 71. *Accidit autem fortuitò, ut extenſa dexteræ manus palmâ, folium herbæ Salviæ quod pro honore martyrum in cryptâ conſperſum fuerat operiret.*

Eberonem cubicularium Childeberti Regis. Ebero Cubicularius Childeberti Regis, Turonibus impoſitus, à Childeberto Juniore poſt mortem Childeberti Regis, is fuit Princeps Cubicu- Cap. 13.
lariorum, ſic Eberulſum Cubicularium Chilperici Regis memorat idem infr. h. lib. cap. 21. Chundonem Cubicularium Guntrani Regis celebrat Idem libr. 10. cap. 10. Hic idem eſt qui Camerarius, cujus officium depingit Hincmar. epiſt. 3. cap. 22. Epiſcopi Cubicularios etiam dicimus Gregor. ſupr. lib. 2. cap. 1. de Briccio Turonenſi Epiſcopo, Martini proximo ſucceſſore. *Nam mulier ad quam Cubicularij ejus veſtimenta deferre ſolebant ad abluendum.*

Ait ille tradi ei inquit in poteſtatem non poterit, quia filium Regem habet. Childeberto poſtulante per legatos à Guntrano Rege ut traderet Fredegundem, quaſi maleficam & ream ne- Cap. 14.
cis Chilperici Regis & plurium aliorum Regum, Guntranus non audivit dicens non poſſe pœnæ tradi Reginam, quæ filium Regem haberet, quia Regina non tenetur legibus l. princeps ff. de legib. l. Donationes C. de don. int. vir. & uxor.

Et quia ſonuerat Gundobaldum manifeſtè Regem levatum, Ballomeres dictus Gundobaldus apud Brivam Curretiam vicum in Lemovicibus Rex levatus id eſt Rex ſalutatus, per elevationem ſolemnem ſupra Clypeum, de quo ſupr. h. libr. cap. 10. & Aimoin. libr. 3. cap. 60. eundem Ballomerem di-

Kk 2

ctum ſcribit Gregor. infr. h. libr. cap. 36 *Tu nè es ille quem Ballomerem nomine ſæpiùs Galliarum incolæ vocitabant? cui ille tu inquit Dominus & Rex regali in ſolio reſides, & nullus tibi ad ea quæ loqueris auſus eſt reſpondere.* Guntranus Boſo à Guntrano Rege accuſatus quaſi auctor eſſet conſiliorum Gundobaldi, Regi non reſpondit propter reverentiam, quæ debetur Principi. Silanus repetundarum accuſatus à Tiberio, crimen non negavit nè contradiceret Principi de quo Tacit. 3. Annal. *Ac ſæpe etiam confitendum erat, nè fruſtrà quæſiviſſet.* Pari conſilio Licinianus a Domitiano reus factus inceſtus cum Veſtali crimen confeſſus eſt. Plin. libr. 4. epiſt. 11. *Confeſſus eſt quidem inceſtum, ſed incertum, utrùm quia verum erat, an quia graviora metuebat, ſi negaſſet, fremebat enim Domitianus, æſtuabatque ingenti invidiâ deſtitutus*, id eſt metu invidiæ, deſtitutus probationibus. Quam patienter ferendæ ſint injuriæ Regum, exemplo docuit Harpagus, qui liberis appoſitis in epulas, quærenti Aſtyagi Regi Medorum an cibus placeret, apud Regem inquit omnis cœna jucunda eſt Herodot. libr. 1. Senec. de ira libr. 3. cap. 15.

At ſi aliquis eſt ſimilis mihi, qui hoc crimen impingat occultè, veniat nunc palam & loquatur, tu hoc Rex piiſſime ponens hoc in Dei judicio, ut ille diſcernat, cum nos in unius campi planitie viderit dimicare. Guntranus Boſo de objectis à Guntrano Rege innocentiam ſuam purgaturus; petit, ut ſi quis accuſator ſit, in medium prodeat, & res committatur Dei judicio, id eſt ut duellum quod erat genus purgationis indiceretur à Rege, ut eventus probaret uter eſſet nocens. Moribus Francorum in cauſis criminis, deficientibus probationibus purgatio ſolebat indici à Principe, vel magiſtratu per duellum ſeu monomachiam Gregor. infr. lib 10. c. 10. *Cumque uterque in præſentia Regis intenderent, & Chundo diceret, numquam à ſe hæc præſumpta, quæ objiciebantur, Rex Campum dijudicat.* Hoc jure Comite Iopenſi reo poſtulato perduellionis, à Gaſſero Cæſarienſi privigno judicio curiæ, certamen indictum purgationis causâ pro moribus Francorum Vuillelm. Tyrius de bell. ſacr. libr. 14. cap. 16. *His ita ſe habentibus verbis, de conſuetudine Francorum decernitur inter eos pugna ſingularis, & ad exequendam pugnam dies*

competens deſignatur. Hoc genus purgationis per Duellum, quaſi non canonicum damnatum Conſtit. Nicolaï 1. epiſt. 50. can. Monomachiam 2. qu. 5. & Celeſtini 3. cap. 1. extr. de purgat. vulgar.

Tunc Rex his verbis ſuccenſus, juſſit ſuper capita euntium projici equorum ſtercora, putrefactas haſtulas, paleas ac putredine diſſolutum, ipſumque fœtidum urbis lutum. Legatis Childeberti Regis à Guntrano diſcedentibus injuriæ cauſa miſſa ſuper capita eorum equorum ſtercora, putrefactæ haſtulæ, & aliæ ſordes. Haſtulæ ſunt ligneæ haſtulæ ſeu virgulæ è ligno levigatæ, in modum haſtæ. Gregor. de glor. Confeſſor cap. 40 *Vade inquit facitoque haſtulam parvulam ex ligno.* idem cap. 95. ejuſd. libr. *Dignum eſt ut de ipſius ligni tenuitate, magnum aliquid proferamus, nam ſæpius de eo haſtulæ factæ, parumper acutæ, dolori dentium remedia contulerunt*, & infra *extracto cultro haſtulam excutit ab oſtio*, Idem cap. 105. ejuſd. libr. *factâque haſtulâ unâ de parte acutâ, ut in humanis uſibus ad purgandos dentes fieri ſolet* Glaber libr. 1. c. 4. *Alius quoque Sarracenorum eorumdem, ultrò deplanans ligni haſtulam.* Malè Pithœi codices *caſtulam.*

Leonardus ex domeſtico. Dignitates Palatinæ erant ad tempus, Leonardus dicitur ex Domeſtico, quia functus erat officio Domeſtici id eſt Comitis Domeſticorum. Domeſticus eſt Comes Domeſticorum ut infr. libr. 9. cap. 19. *Sed in poſterum à Flaviano Domeſtico redditæ ſunt.* Cap. 15.

Hæc illa audiens juſſit eum in ipſa Eccleſia ſpoliari nudatumque veſtimentis ac baltheo, quod ex munere Chilperici Regis habebat, diſcedere à ſuâ jubet præſentia. Fredegundis Regina Leonardum ex Domeſtico, unum ex Comitibus Riginthis filiæ, ob eam ſine ope deſtitutam, veſte & baltheo accepto à Rege Chilperico ſpoliavit. Spoliatio veſtis & balthei eſt ſymbolum ademptæ dignitatis. Hoc pacto Dinamius fide datâ reconciliatus Theodoro Epiſcopo Maſſilienſi & Gundulfo Duci, recepit veſtem, qua ſpoliatus erat. Gregor. ſupr. libr. 6. cap. 11. *Tunc Dinamius hæc omnia cernens, veniam petens, datis Duci multis muneribus, reddito etiam ſacramento, ſe fidelem Epiſcopo deinceps Regique futurum, ſuis induitur indumentis.* Idem libr. 5. cap. 38. *& ad-*

prehenſum ſpoliavit eum indumentis, induitque illum veſte vili. Idem eod. libr. cap. 39. *nudatur armis, & veſtibus, ac vili indumento contectus, Reginæ vinctus adducitur.* Idem eod. libr. cap.48. *Venit Leudaſtes in urbem Turonicam adprehenſos Platonem Archidiaconum & Gallienum in vincula connectit, catenatoſque, ac exutos veſte jubet eos ad Reginam deduci.* Balteum eſt cingulum militare dignitatis inſigne, quod dabatur à Principe l. 2. C. ut dignit. ord. ſerv. l. omnes C. de metat. ut hoc loco Leonardus ex domeſtico ſpoliatur balteo, quod à Childerico Rege acceperat. Balteum erat cingulum ex auro Gregor. infr. hoc libr. cap. 22. *Sub ſpecie emptionis abſtraxit, data ipſi homini, parte aurea baltei ſui.* idem inf. h. libr. cap.38. *Nunc autem depone baltheum meum aureum quo cingeris.* Idem de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 61. *Igitur quodam tempore homo devotus balteum ex auro puriſſimo, cum omni apparatu ſtudioſiſſimè fabricatum, ſuper altare baſilicæ illius poſuit.* Patriciatus inſigne fuit cingulum Cedren. in Theophil. καὶ ἡ ταύτης μήτηρ Θεοκτίστη ζωστὴ τὲ, καὶ πατρίκια τετίμηται. *Mater quoque ejus Theoctiſta cingulo & patriciatu honorata eſt.* Caſſiodor. 6. Var. epiſt.2. de Patriciatu. *Hinc eſt, quod & honor ipſe cinctus eſt, cum vacaret, nihil juriſdictionis habens, & judicantis cingulum non deponens.* Balteum eſt cingulum è quo pendet gladius Gregor. infr. h. libr. cap. 29. *At Claudius extracto à baltheo gladio, ad eum dirigit.* Idem infr. cap. 47. ejuſd. libr. *Ille extracto balthei gladio, dominum ſauciare non metuit.* Idem libr. 10. cap. 10. *Puer vero extracto cultro qui de cingulo dependebat.*

Nectarium autem Baudegiſili Epiſcopi fratrem nefandis accuſationibus cum Rege tentavit obruere. Baudegiſilus fuit Cenomannenſis Epiſcopus. Gregor. de mirac. D. Martin. lib.3. cap. 35. *Badogeſilus Cenomanorum Epiſcopus, ad quendam locum Diœceſis ſuæ venit ad baſilicam beati viri, & nomine & reliquijs conſecrandam.* Ejuſdem meminit Gregorius infr. libr. 8. cap. 38.

Ipſe enim cum Mummolo Præfecto multos de Francis, qui tempore Childeberti Regis ſenioris ingenui fuerant publico tributo ſubegit. Infelicitas Regni Chilperici notatur ex hoc, quod ejus tempore ab Audone judice cum Mummolo Præfecto, multi

de Francis, id eſt nobilibus qui erant ingenui, id eſt immunes à vectigalibus publicis, his fuére ſubmiſſi. Eadem nota imponitur Philippo A. quod milites, id eſt nobiles qui erant liberi & immunes tertiavit, id eſt tertiam partem bonorum ab eis expreſſit Rigord. in Philippo A. *Milites qui olim ſua libertate gaudére conſueverant, & homines ipſorum tertiavit, id eſt tertiam partem omnium bonorum ſuorum eis violenter abſtulit.*

Adſerebat enim Regina eum non debere recipi qui fuiſſet per judicium quadraginta quinque Epiſcoporum à Sacerdotali officio ſegregatus. Prætextatus Rothomagenſis Epiſcopus damnatus judicio quadraginta quinque Epiſcoporum, minor tamen numerus ſufficiebat, Epiſcopus poteſt damnari judicio duodecim can. præſul can. nullum 2. q. 4. can. hæc quippe 3. qu. 6. can. 1. 2. & 3. qu. 8. can. duodecim 5. qu. 4. Chronopium Epiſcopum judicio 70. Epiſcoporum damnatum refertur in l. 19. C. Th. Quor. appellat. Cap. 16.

Et ſic à Rege ſuſceptus, atque convivio ejus adſcitus ad urbem ſuam regreſſus eſt. Poſt mortem Chilperici Regis Prætextatus Epiſcopus Rothomagenſis ab exilio revocatus ſtudijs civium, civitatem ſuam redijt, inde cum Pariſios veniſſet ad Guntranum Regem, orans ut ſua cauſa repeteretur, Regina id eſt Fredegundis contendebat non eſſe recipiendum qui fuiſſet depoſitus judicio quadraginta quinque Epiſcoporum, cum Guntranus in eo eſſet, ut Synodum congregari vellet, rei diſceptandæ cauſa, Ragnemodo atteſtante, eum ab Epiſcopatu non depoſitum, ſed pœnitentiam ei injunctam, à Rege ſuſceptus, & epulis ejus adhibitus ad urbem ſuam redijt. Ex Concilio Toletano 12. can. 3. Excommunicati ad regiam menſam admiſſi, pro abſolutis habentur, & recipiendi ſunt in Eccleſiam, quem canonem ex Capitularibus laudat Ivo Carnot. epiſt. 62. & 171.

Promotus vero qui in Dunenſi caſtro, ordinante Sigiberto Rege Epiſcopus fuerat inſtitutus. Promotus contra Canones volente Sigiberto Rege. Epiſcopus inſtitutus in Dunenſi caſtro quod eſt Diœceſis Carnotenſis, verum poſt mortem Regis amotus ſalvo Presbyterij honore, acceſſit ad Childebertum niſus ut reſtitueretur, ſed obſiſtente Pappolo Carnotenſi Epiſ-

copo, minimè petita impetravit. Epiſcopatus ſcindi non poteſt ſola auctoritate Principis. can. lege 10. diſt. can. pervenit. 101. diſt. Dunenſe caſtrum Diœceſis Carnotenſis. Gregor. infr. h. libr. cap. 29. *Regreſſus autem ad Dunenſe caſtrum Comitem commonet*, Inde Dunenſes cenſentur inter Carnotenos. Gregor. ſupr. h. libr. cap. 2. *Aurelianenſes cum Bleſenſibus juncti ſuper Dunenſes irruunt* & mox. *Conjuncti Dunenſes cum reliquis Carnotenis de veſtigio ſubſequuntur.* Extat epiſt. Iuonis Carnot. 5. quæ ſcripta ad virgines Dunenſis monaſterij, Dunenſe caſtrum, *c'eſt Chaſteau Dun.*

Cap. 19. *Cum Melanio Epiſcopo, qui de Rothomago ſubmotus fuerat.* Exulante Prætextato Rothomagenſi Epiſcopo, viventis ſedem occupavit Melanius, qui poſt mortem Chilperici reſtituto Prætextato, Rothomago pulſus eſt. Qui viventis Epiſcopi ſedem occupavit, eſt fur & latro can. non furem 7 qu. 1. Nefariè occiſo Prætextato inſidijs Fredegundis Reginæ, Rothomagenſes interceſſerunt, nè Melanius, ſeu Melantius in locum Prætextati reciperetur de quo infr. libr. 8. cap. 31. Hunc fuiſſe unum ex authoribus necis Prætextati tradit Gregor. eod. libr. cap. 41.

Cap. 20. *Veniens igitur Clericus, cum diverſis ingenijs, ſe eidem commendavit.* Clericus ſubmiſſus à Fredegunde ad Brunichildem ut eam interficeret ad eam venit, quaſi à Fredegunde ad ejus patrocinium confugiens, & varijs ingenijs id eſt artibus ſe ei commendavit, ingenium eſt dolus artificium Gregor. ſupr. lib. 6. cap. 22. *Proclamante vero Epiſcopo, & dicente, quod ſæpiùs hic ingenia quæreret, qualiter eum ab Epiſcopatu dejiceret.* Idem libr. 8. cap. 28. *ex quocumque ingenio exercitum, illuc prohiberet ire.* Commendare perſonam vel ſpeciem eſt laudare, & hoc eſt quod dicitur in l. ſi vero §. cum quidam ff. mandat. & in l. ea quæ de contrah. empt. ea quæ commendandi cauſa dicuntur non obligare. Commendatio artis eſt laudatio artis Ammian. libr. 22. *Pro omni experimento ſufficit medico ad commendandam artis authoritatem, ſi Alexandriæ ſe dixerit eruditum.* Commendare ſe hic nihil aliud eſt, quam ſe tradere in clientem, & gratiam quærere apud Principem vel majorem.

Cap. 21. *Tunc Rex juravit omnibus optimatibus, quod non modò ipſum,*

verum

verum etiam progeniem ejus, in nonam generationem deleret; vt per horum necem, conſuetudo auferretur iniqua, nè Reges ampliùs interficerentur. Nefariè occiſo Chilperico inſidijs Fredegundis Reginæ, ea ut ſe purgaret crimen retulit in Eberulſum Cubicularium Regis, quo audito Guntranus Rex juravit, ſe interfectorem & ejus ſobolem ſublaturum in nonam uſque generationem, ut tolleretur iniqua conſuetudo interficiendi Reges. Lege Macedonum propinqui eorum qui vitæ Regis inſidiati eſſent, unà cum his necabantur, quam legem ut duriorem in cognatis Parmenionis & Philotæ remiſit Alexander Quint Curt. libr. 6. cap. 11. *Interim equites nobiliſsimus quiſque, & ij maximè qui Parmenionem propinqua cognatione contingebant, poſtquam Philotam torqueri fama vulgaverat, legem Macedonum veriti, qua cautum erat vt propinqui eorum, qui Regi inſidiati erant, cum ipſis necarentur, alij ſe interficiunt* & infr. *donec Rex tumultu cognito legem ſe ſupplicio conjunctis ſontium remittere edixit.* Conſtitut. Arcadij & Honorij reorum perduellionis filijs vita, imperatoriâ ſpecialiter lenitate conceditur, *cum paterno* inquit lex *deberent perire ſupplicio, in quibus paterni hoc eſt hereditarij criminis exempla metuuntur* l. quiſquis C. ad leg. Jul. majeſtat.

Extabat tamen cauſa vt eaſdem obliviſcerer, eo quod filium ejus de ſacro fonte lavacri ſuſcepiſſem. Gregorius ſcribit ſe multas injurias accepiſſe ab Eberulfo, qui tutelæ cauſa confugerat in baſilicam ſancti Martini, ſeque eas remiſiſſe non ſine cauſâ, quia ejus filium de ſacro fonte ſuſceperat, quod erat reconciliationis & remiſſionis injuriæ idoneum argumentum. Cap. 22.

Habebat enim pro timore Regis, in ipſo Salutatorio baſilicæ manſionem. Eberulfus tutelæ & ſecuritatis cauſa confugit in baſilicam S. Martini, & manſio ei fuit in Salutatorio baſilicæ, quia Salutatorium baſilicæ, quod eſt hoſpitium Epiſcopi juxta Eccleſiam eodem jure azili gaudebat, quo ipſa Eccleſia, de Salutatorio dixi libr. 2. cap. 21.

Per illud Salutatorij oſtium introeuntes puellæ, cum reliquis pueris ejus ſuſpiciebant picturas parietum. Salutatorium erat continens baſilicæ, & dum Eberulfus tutelæ cauſa verſaretur

in baſilica S. Martini, & in Salutatorio ejuſdem metatum haberet, puellæ cum pueris ejus per oſtium Salutatorij ingredientes baſilicam, ſpectabant picturas parietum. Moris antiqui erat parietes Eccleſiarum varijs picturis ſacris exornari de quo ſupra lib. 2. cap. 17.

Et nos in baſilicâ in initio noctis, orationis gratia pſalleremus. Veſpertinum officium quod veſperas appellamus, ſolebat celebrari ſub noctem poſt ſolis occaſum, Conc. Emeritenſ. can. 2. *Oportet vt ſicut in alijs Eccleſijs veſpertino tempore poſt lumen oblatum priùs dicitur veſpertinum, quam ſonum in diebus feſtis, ita & à nobis cuſtodiatur in Eccleſijs noſtris.* unde Lucernarium dicitur, quod celebraretur accenſis lucernis Conc. Tolet. 1. can. 9. *Lucernarium vero niſi in Eccleſiâ non legatur.* Græcis λυχνικὸν. Syn. 6. in Trull. can. 91. ἐν τῷ λυχνικῷ *in veſpertino.*

Cumque jam altarium, cum oblationibus pallio ſerico opertum eſſet. Altare cum oblationibus tegitur pallio. Oblationes ſunt panes oblati, qui imponuntur altari, ad Euchariſtiæ conſecrationem. Auguſtin. de tempor. ſerm. 215. *Oblationes quæ in altario conſecrentur offerte. Erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicet.* Inde panes qui Euchariſtiæ cauſa conſecrandi, altari imponuntur, oblatas vocat Conc. Tolet. 16 can. 6. *Vt non aliter panis in altari Domini Sacerdotali benedictione ſanctificandus proponatur, niſi integer & nitidus, qui ex ſtudio fuerit præparatus, neque grande aliquid, ſed modica tantùm oblata, ſecundùm quod Eccleſiaſtica conſuetudo retentat.* Hujuſmodi panes ſeu oblationes altari impoſitas pallio velari, & altare ipſum moris fuit, & hoc eſt quod rurſus indicat Gregor. infr. hoc cap. *Adprehende pallium altaris, infelix, quo ſacra munera conteguntur, nè hinc abijciaris.* Idemque de vit. Patr. cap. 8. *Dans coopertorium Sarmaticum, quo altare dominicum cum oblationibus tegeretur* & infr. *coopertorium vero, quia rarum eſt, non ponatur ſuper munera altaris, quia non exinde plenè tegitur, myſterium corporis, ſanguiniſque dominici.*

Denique anno ſuperiore commotum quendam levem è civibus Eccleſiæ, actores fecit interpellare. Hic locus eſt depravatus inſcitia Librariorum, & facilè reſtituetur, emendatâ interpun-

ſtuatione, & ſcribendo Commotum per literam majuſculam, quaſi nomen proprium perſonæ, ſic lege igitur Commotum quendam levem è civibus, Eccleſiæ actores fecit interpellare, horum verborum facilis ſenſus eſt. Eberulfus Commotum quendam levem & ſtultum, unum è civibus Turonenſibus Eccleſiæ actores fecit interpellare, id eſt per eum interpellavit de vendendis ſibi rebus Eccleſiæ.

Iudicatum eſt vt ſe inſontem redderet Sacramento. Injurioſus civis Turonenſis reus poſtulatus de nece Armentarij Judæi, deficientibus teſtibus, ei indicta eſt purgatio per ſacramentum deficiente probatione, indici ſolebat purgatio per ſacramentum can. Mennam 2. qu. 5. Cap. 43.

Neque cautiones Iudæi defuncti repertæ ſunt. Cautio eſt chirographum, id eſt privata ſcriptura quâ debitor creditori ſe ſoluturum certam pecuniam cavet, l. lecta ff. de reb. cred. Auguſtin. de cur. pro mortuis agenda cap. 11. *Tunc nimis anxio apparuit idem pater ejus inſomnis, & vbi eſſet recautum, quo illa cautio vacuata fuerat indicavit.* Hieronym. in Eſaïam libr. 16. cap. 58. *Nomina quæ vulgò appellant cautiones.* Senec. de Benef. libr. 7. cap. 10. *Video iſtic diplomata & Syngraphas, & cautiones vacua habendi ſimulachra.*

Injurioſus tamen ad placitum in conſpectu Regis Childeberti advenit, & per triduum vſque occaſum ſolis obſervavit. Injurioſus vocatus ad placitum, id eſt in judicium in curiam Regis, placitum ſeu judicium obſervavit, in judicio ſtetit per triduum, uſque ad ſolis occaſum. Solis occaſu ſc. ſolvitur judicium. Et hoc eſt, quod ſtatutum eſt 12. Tab. *Solis occaſus ſuprema tempeſtas eſto.* Gell. libr. 17. cap. 2. Macrob. lib. 1. cap. 3.

Medardum Tribunum. Tribunus hic eſt exactor tributorum Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 41. *Tempore autem Theudechildæ Reginæ Nunninus quidam Tribunus ex Arverno de Francia poſt reddita Reginæ tributa revertens.* Idem de mirac. D. Martin. libr. 2. cap. 11. *Conjux Aniani Tribuni nomine Vnimola.* Idem infr. libr. 10. cap. 21. *ſed & alium Tribunitiæ poteſtatis virum circumventum dolis interfecerunt.* Cap. 24.

Sed Epiſcopus loci Maroveus durè ſuſcepit hos nuntios. Maroveus fuit Pictavienſis Epiſcopus, quem commendat Gregor.

de mirac. D. Martini libr. 2. cap. 44. *Actum eſt autem hoc per feſtivitatem ſancti Patroni, in qua Meroveus Pictavus Antiſtes aderat, non immeritò Hilarij beatiſſimi diſcipulus prædicandus.* Ejuſdem meminit idem de glor. Confeſſ. cap. 16.

Effracto vno de ſacris miniſterijs calice aureo, & in numiſmata redacto ſe populumque redemit. Maroveus Pictavienſis Epiſcopus ſe & plebem redemit à Guntrani Regis copijs, conflato calice aureo; & ex eo nummis cuſis. Vaſa Eccleſiaſtica diſtrahi poſſunt pro redemptione Captivorum, & alimonia pauperum l. Sancimus C. de SS. Eccleſ. Gregor. libr. 6. epiſt. 13. ind. 15.

Cap. 25. *Servitium enim patris ejus tale fuerat, vt molendina Eccleſiaſtica ſtuderet*, id eſt curaret, ſtudere idem ſonat quod curare; Gregor. ſupr. libr. 6. cap. 32. *Juſsitque Rex vt ſtuderetur à Medicis quo ad vſque ab his ictibus ſanatus, diuturno ſupplicio cruciaretur.*

Cap. 27. *Exinde Toloſam digreſſus, emiſit nuntios ad Manulfum Epiſcopum civitatis vt ab eo ſuſciperetur.* Magnulfus Toloſanus Epiſcopus Gundovaldo pro viribus reſtitit; propter quod multa paſſus eſt, quæ referuntur à Gregorio, & Aimoin. lib. 3. cap. 67. Ejuſdem meminit Gregor. infr. h. libr. cap. 32. Hic ſubſcripſit Conc. Matiſconenſi 2. anno Chr. 588. Magnulfum Lupi Ducis fratrem carmine celebravit Fortunatus libr. 7. cap. 10. an idem fuerit cum iſto vix eſt dicere, aut credere.

Cap. 28. *Poſt hæc exercitus ab vrbe Pictava remotus in antea, poſt Gundovaldum proficiſcitur*, In antea idem ſonat quod in poſterum Gallis *dores en avant, deſormais.* Gregor. infr. h. libr. cap. 35. *Reliquum verò vulgus in ante non ſine grandi metu progreſſum eſt.* Idem infr. libr. 8. cap. 43. *Sonus autem his diebus exierat, quod Fredegundis occultos in Hiſpania nuntios dirigeret, eoſdemque à Palladio Santonicæ vrbis Epiſcopo clam ſuſceptos, & in antea tranſmiſſos fuiſſe.* Idem de vit. Patr. cap. 4. *Cùm in Dei ſemper operibus creſceret, auctam Beati Amantij Antiſtitis baſilicam ſanctum corpus in antea tranſtulit, ſed non fuit ſancto acceptabile hoc opus.* Baldric. Chronic. Camerac. lib. 1. cap. 118. *Vt VValterus pro admiſsis xv. libras argenteorum revadiaret, ac in antea ſe quieturum eſſe promitteret.*

Ad Dorononiam fluvium. Doronia, vel ut legitur hic Doro-

nonia flumen amœniſſimum, & piſcoſiſſimum Aquitaniæ, ex Arvernis oritur, per Petrocorios fluit & Garumnâ mergitur de quo rer. Aquitanic. libr. 1. cap. 21.

Claudius Turonis acceſsit, & cum iter ageret, vt conſuetudo eſt Barbarorum auſpicia intendere cœpit, ac dicere ſibi eſſe contraria. Claudius cum iter faceret Turones juſſu Guntrani Regis, ut manum injiceret Eberulfo, qui tutelæ cauſa latebat in baſilica D. Martini, captavit auſpicia more Barbarorum, nimirum ex volatu avium. Vaſcones & Hiſpanos valde inſaniiſſe ſtudio captandi, auguria ex volatu avium, teſtem habemus Lamprid. in Alexandro Severo ὀρνεοσκόπος *magnus, vt & Vaſcones, & Hiſpanorum, & Pannoniorum augures vicerit* Juſtin. libr. 23. *Ducibus avibus, nam augurandi ſtudio Galli præter cæteros callent.* Petr. Valliſſ. Hiſtor. Albig. cap. 47. de Raymundo Comite Toloſano. *Ipſe enim more Sarracenorum in volatu & cantu avium, & cæteris augurijs ſpem habebat.* Claudius iſte fortè fuit unus ex Cancellarijs ſeu notarijs regalibus de quo meminit Gregor. de vit. D. Martin. libr. 4. cap. 28. Cap. 29.

Ad convivium baſilicæ ſanctæ, cum eodem & reliquis civibus eſt adſcitus. Solemnes epulæ ſolebant præſtari civibus Turonenſibus in baſilica ſancti Martini. Gregor. infr. libr. 8. cap. 2. *Surrexi gaviſus fateor, ad occurſum ejus, & data oratione deprecor vt in manſione meâ Eulogias Beati Martini dignaretur accipere.* Epiſcopi ſolebant quinquennalia & decennalia celebrare & his diebus civibus ſolemnes epulas erogare Gregor. infr. libr. 8. cap. 38. de Badegiſilo Cenomannenſi Epiſcopo. *Quinto autem anno Epiſcopatus ſui expleto, cum jam ſextum ingrediens epulum civibus cum immensâ lætitiâ præparaſſet, à febre correptus.*

Elevata contra baſilicam manu ait Martine Beatiſsime, fac me vxorem cum parentibus citò videre. Claudius animo meditans cædem Ebrulphi, qui tutelæ & præſidij cauſa latebat in baſilica B. Martini, & timens ſanctum ultorem ſceleris, invocat ſanctum elevatâ manu contra baſilicam. Solemnis invocatio ſeu adjuratio Sanctorum fiebat elevata dextera contra altare vel baſilicam ejus, ſolemnis etiam fuit formula Sacramenti levata manu ante altare Gregor. de Mirac. Martyr. libr. 1. cap. 33. de

Eccleſia S. Stephani apud Biturigas. *Ingreſsique in hujus memoratæ ædis altare, cum elevatis manibus Sacramenta præferrent, proſecutor cauſæ perjuraſſe eos clara voce teſtatur.* Idem eod. libr. cap. 53. *Ingreſsique Baſilicam ſancti Martyris, elevatis homo manibus ad perjurandum, cùm nomen ſancti voluiſſet ore patulo nominare, hæſit vox in faucibus.* Idem de vit. Patr. cap. 8. *At ille nihil moratus accedit ad manus Epiſcopi, qui hanc epiſtolam extentam tenebat, elevanſque manus ſuas, vt Sacramentum daret, cecidit retrorſum ſupinus.*

Igitur Claudius timore perterritus, cellulam Abbatis expetijt. Hic erat Abbas Monaſterij S. Martini Turonenſis, quod majus Monaſterium dicitur. Gregorius ipſe de mirac. D. Martin. libr. 3. cap 42 *Monachus igitur majoris Monaſterij, ex juſſu Abbatis, ad cellulam Abbatis, ad cellulam aliam, quaſi aliquid operaturus acceſsit.* Orderic. Vital. libr. 4. *Majus enim monaſterium à ſanctiſsimo Martino Turonorum Archiepiſcopo cœptum eſt, ibique bonorum hominum religio crevit, inſpirante Deo, & multiplicata eſt.* Bernard. epiſt. 126. *Cluniacenſes, & qui de Majori monaſterio ſunt*, noſtris *Marmouſtier.*

Nonnulli etiam Matriculariorum, & reliquorum pauperum pro ſcelere commiſſo, tectum cellulæ conantur evertere. Variæ & diſtinctæ erant matriculæ, ſeu cenſus & deſcriptiones eorum, qui utebantur ſumptu Eccleſiæ, prior erat Clericorum & Canonicorum, qui inde dicti Matricularij Adam. Bremenſ. libr. 3. cap. 5. *Cùm & ego indigniſsimus Eccleſiæ Dei Matricularius Bremam veni*, & hujus matriculæ cura, ſeu regimen fuit penes Primicerium Iſidor. Hiſpalenſ. in epiſt. ad Luifredum Cordubenſ. *Baſilicanos ipſe conſtituat, & matriculam ipſe diſponat.* (Can. perlectis 25. dist.) Alia fuit matricula pauperum & ægrorum qui alebantur etiam expenſis Eccleſiæ. Gregor. de Mirac. D. Martin. libr. 1. cap. 31. *Cùm ad matriculam illam, quam ſanctus ſuo beneficio devotorum eleemoſynis paſcit, quotidie à fidelibus neceſſaria tribuantur.* Idem libr. 2 cap. 22. de Remigia matrona. *Quæ vigilijs & orationibus inſiſtens, cùm matriculam quæ ibidem congregata eſt, paſceret.* Idem de mirac. Martyr. libr. 2. cap. 32. *Celebratiſque vigilijs manè pauperibus, qui ad matriculam illam erant, ci-*

bum potumque protulit. Flodoard. libr. 1. cap. 32. *Pauperibus* 12. *in matricula poſitis, antè fores Eccleſiæ expectantibus ſtipem duo ſolidi, vnde reficiantur inferentur* & infra. *Pauperibus in matriculâ poſitis ſolidus dabitur ad eorum refectionem.* Inde adſumpti promovendi ad ordines, & beneficia Eccleſiaſtica. Idem Gregor. libr. 5. cap. 48. *Invenimus Eccleſiam conturbatam per Riculfum Presbyterum, nam hic ſub Eufronio Epiſcopo, de pauperibus provocatus, Archidiaconus ordinatus eſt.* Alia erat matricula viduarum quæ ſuſtentabantur etiam ope Eccleſiæ, quę Græcis πρεσβύτιδες dictæ, propter ætatem, Conc. Laodicen. can. 11. noſtris Matriculariæ, à matricula in qua deſcriptæ erant ut vertit interpres Latinus can. mulieres 32. diſt. Flodoard. libr. 1. cap. 9. ex teſtamento B. Remigij. *Sanctimonialibus ex viduis in matricula poſitis ſolidos tres.* Etiam inter Monachos fuere Matricularij nempè fratres laïci ſeu converſi de quibus Aimoin. libr. 4. cap. 33. de fundatione & dotatione cœnobij S. Dionyſij per Dagobertum R. *Prædia vero tam innumera fratribus in eodem loco Deo famulantibus ſive matricularijs Eccleſiæ contulit, vt devotio animi ejus pluribus admirabilis eſſet.* Matricularij dicti & æditui ſive cuſtodes rerum Eccleſiæ, qui accipiebant oblationes & eleëmoſynas Eccleſiæ, quia conferebantur in ſumptum matriculæ pauperum & aliorum, & ad hos pertinet quod refertur de Clodoveo Rege, cum dediſſe centum ſolides Eccleſiæ S. Martini Turonenſis ex voto in gratiam victoriæ reportatæ de Alarico Rege Gothorum, pro redemptione equi, quem voverat ſancto. Abbas Veſpergenſ. in Chronic. ad ann. 748. *Pro equo vero quem ibi dimiſerat, dedit matricularijs Eccleſiæ, centum ſolidos, vt eum reciperet,* ad eoſdem ſe refert Baldricus Noviomenſ. libr. 1. cap. 33. *Miſſa igitur legatione ad matricularios, duplo reſtituit, ſicque ſaluti priſtinæ redditus eſt.*

Sed & Energumeni, ac diverſi, cum petris & fuſtibus ad vlciſcendam baſilicæ violentiam proficiſcuntur. Energumeni hi ſunt arrepti à Dæmone, frequentes adveniebant ad baſilicam S. Martini, ut liberarentur Gregor. de Mirac. D. Martin. libr. 3. cap. 39. *Hæc ea dicente ſubito Energumeni torqueri ſe proclamant, & Martini adeſſe præſentiam confitentur.*

Cap. 30. *Ex quibus unus Abbas Cadurcinæ urbis, literas quas acceperat cavatâ Codicis tabulâ, ſub cerâ recondidit.* Unus è legatis Gundobaldi fuit Abbas Cadurcinæ urbis, quod de Præpoſito cujuſdam Eccleſiæ ſecularis intelligi neceſſe eſt, quia ante Deſiderium Epiſcopum, qui claruit ſub Dagoberto nullum monaſterium fuiſſe, nec Monachos auditos Cadurci ſcribit Auctor ejus vitæ, qui nuper editus eſt cap. 13. *Nullum quidem eo tempore in urbe Cadurca propoſitum Monachi neque habitum religionis, aut regulæ cœnobialis intraverat, ſecta Columbani procul aberat, inſtituta B. Benedicti longè diſtabant*, &c. Hic captus dicitur ab hominibus Guntrani Regis, & cum eo interceptæ litteræ, quæ ſcriptæ erant in tabulis ligneis, cera oblitis, nè ſcriptura appareret. Veteres ſcribebant in tenuiſſimis tabellis ligneis, cera illitis ſtylo ferreo Plin. libr. 13. cap. 11. *In chartarum folijs primo ſcriptitatum, deinde quarumdam arborum libris, poſtea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpa, aut ceris* Ea ætate non deſijt uſus ſcribendi in cereis tabulis Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 43. *At illi magiſtri ſanguinem ſitientes, ceratas in caput inlidunt tabellas ſecantes latitudinibus ſtilorum, punctiſque minutis tranſverberantes membra Magiſtri*, ait latitudine Styloru̅ quia Stylus ab una parte qua ſcribimus eſt acutus, ab alia eſt latior, qua ſcripta delemus emendandi causâ. Auguſtin. de vera religione cap. 20. *Stylus ferreus, aliâ parte qua ſcribamus, aliâ quâ deleamus, à fabro factus eſt, & in ſuo genere pulcher, & ad uſum noſtrum accommodatus. At ſi quiſpiam ea parte ſcribere quâ deletur, & eâ velit delere quâ ſcribitur, nullo modo Stylum malum fecerit, ſed ipſum jure vituperatur.* Cerearum tabularum uſum in manumiſſionibus indicat, & Gregor. infr. libr. 10. cap. 9. *Dimiſsi ſunt poſtea multi à conjuge VVaroci, cum cereis & tabulis quaſi liberi, & ad propria ſunt regreſsi.* Litteræ vero quæ continebant arcana, ſcribebantur ſuper tabellis cerâ oblitis, ut ſcriptura lateret. Gellius libr. 17. cap. 9 *Haſdrubal epiſtolam ſcriptam ſuper rebus arcanis, hoc modo abſcondidit, pugillaria nova, nondum etiam cera illita accepit, literas in lignum incidit, poſtea tabulas ut ſolitum eſt, cera collinit.*

Cap. 31. *Narravit quidam quod aliquis in partibus Orientis Rex ablato*

ſancto

ſancti Sergij Martyris pollice, in dextro brachio corporis ſui ſerviſſet. Antiquus mos fuit fidelium geſtandi reliquias Sanctorum Gregor. de mirac. D. Martin. lib. 3. c. 17. *Eo tempore ſancti Martini reliquias, licet temerario ordine ſuper me habebam.* Conradus in Chronic. Moguntin. *Quidam annulos de digitis abſtulerunt, reliquiæ quædam quas collo pendentes ſolitus erat ferre, ab alijs ſunt ablatæ.* Gregorius ipſe de mirac. martyr. libr. 1. c. 76. *Tunc Preſbyter cum videret ſe his fluctibus obrui, & ſpumis undarum ipſarum graviter operiri extractâ à collo capſula, quæ Sanctorum pignora continebat, undis tumentibus fidus objecit, ac Sanctorum præſidium clara invocat voce dicens* &c. Idem cap. 84. ejuſd. libr. *quod ſentiens mater mea, quæ hæc pignora collo adpenſa geſtabat, exilijt in convivio* &c. Etiam in expeditione reliquiæ ſanctorum à Principibus portitari ſolitæ, ut hoc loco fertur de quodam Rege Orientis quod in bello geſtaret pollicem S. Sergij martyris. Reges Francorum ſolebant reliquias Sanctorum & cappam S. Martini in expeditione geſtare præſidij & tutelæ cauſa Capitul. libr. 5. cap. 2. VValafr. Strabo de reb. Eccleſ. cap. ult.

Eufron negociator, Hic Eufron erat negociator Syrus, qui Burdigalæ degebat cõmercij cauſa ut indicat infra Gregor. his verbis. *Eſt hic quidam Syrus Eufron nomine.* Negotiatores Syri commercium maximè exercebant in Gallia & alijs occiduis partibus. Sidon. libr. 1. epiſt. 8. de Ravennâ. *In quâ Syri pſallunt, negotiatores militant.* Auguſtin. de adulterin. conjug. lib. 2. c. 8. *Et plurimæ pudiciſsime tranſigant & maximè Syræ quarum mariti negotiandi quæſtibus occupati, juvenes adoleſcentulas deſerunt, & vix aliquando ſenes, ad aniculas revertuntur.*

Quia invitum aliquando eum totonderat. Inhians facultati ejus Bertramnus Burdegalenſis Epiſcopus, Eufronem negociatorem Syrum invitum totondit, per tonſuram in clericum ordinavit, ut ſpecie ordinationis, tamquam Clerici ſuas res faceret.

Erant enim in ſublimi parietis contra altarium in capſulâ reconditæ. Eufron. Syrus negociator, qui commercij cauſa degebat Burdegalæ, habebat reliquias S. Sergij Martyris, quæ erant cuſtodiæ cauſa reconditæ in capſula. Reliquiæ Sanctorum cuſtodiæ cauſa ſolent deponi in capſa vel capſula ut Gregorius

infr. h. cap. *adprehendens capſam ita tremore concuſſus eſt*, & rurſus, *accepta capſula, quæ de pariete pendebat.* Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 3. cap. 43. *Extractum autem pulverem, quem de ſepulchro ſancti abſtulerant ſuper capſellam, delibutum aqua ipſis haurire præcipio.* Ait contra altarium id eſt ad altare quod erat in privato oratorio Eufronis, eadem analogia contra parietem pro ad parietem. Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 2. cap. 45. *Et ſpectante plebe ſuper terram ſe trahens contra parietem erexit.* idem de vit. Patr. cap. 7. *Adduci eos ad ſe jubens, ſine ullo tactu, facto tantum ſigno crucis è contra, verbo dæmonia diſcedere imperabat.*

Diaconum ſuum ſcandere præcepit. Mummolus Diaconum per ſcalam ſurſum ſcandere præcepit ut tolleret reliquias Sergij martyris, quæ in capſula pendebant ex ſummo pariete. Majores habebant clericos ſuos qui deſerviebant oratorijs in villis ſuis ſumptibus conſtitutis de quibus Synod. Antiſiodor. can. 14.

Fauſtianum Presbyterum Aquenſi urbi Epiſcopum ordinari præcipiunt. Aquæ Tabellicæ civitas Epiſcopalis cujus meminit Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 71. vulgò *Aqs.* de qua dixi Rer. Aquit. libr. 1. cap. 16.

Et Nicetius Comes loci illius, germanus Ruſtici vici Julienſis, Epiſcopi præceptionem ab Chilperico elicuerat, ut tonſoratus civitati illi Sacerdos daretur. Epiſcopi non ordinabantur ſine præcepto Regis in Eccleſijs vacantibus, & hoc eſt præceptum quod impetratum ſcribitur à Nicetio Comite, ut ordinaretur in Aquenſi Eccleſia tum vacante, memoratur hic Ruſticus Epiſcopus vici Julienſis, id nomen civitati Epiſcopali, quæ vulgò dicitur *Ayre*, ejuſdem meminit Gregor. libr. 9. cap. 20. *Vicojuli Coſeranis Lapurdo & Albige*, idem ante cap. 7. ejuſdem libr. *Ennodius cum ducatum urbium Turonicæ atque Pictavæ miniſtraret, adhuc & vici Iulienſis atque Benarnæ urbium principatum accepit.* Eadem alio nomine dicta eſt civitas Atyrenſium. Notitia Provinciarum. *Civitas Adtorenſium Vico juli*; ſic dicta ab Attyre amne, *c'eſt l'Adour* qui per Tarbellos Oceanum influit.

Bertchramnus autem Epiſcopus, qui erat Metropolis, cavens

futura, Palladium Santtonicum injungit qui eum benediceret. Aquenſi ſede vacante morte ſui Epiſcopi, Fauſtianus Presbyter à Gundobaldo quaſi jam Rege ordinari jubetur. Bertramnus Epiſcopus Burdigalenſis, ad quem quaſi Metropolitanum ſpectabat ordinatio, ſibi cavens de futuris, id eſt de mutatione rerum Gundobaldi, Palladio Santonenſi Epiſcopo ejus ſuffraganeo injunxit ordinandum, hoc colore quæſito quod ejus occuli caligarent. Ait Metropolis pro Metropolita vel Metropolitano ut infr. libr. 9. cap. 20. *Placebat glorioſiſsimo nepoti veſtro, vt vnuſquiſque Metropolis comprovincialibus ſuis conjungeretur.*

Poſt hæc miſit iterum Gundobaldus duos legatos, ad Regem cum virgis conſecratis, juxta ritum Francorum vt ſcilicet non contingerentur ab vllo. à Gundobaldo legati miſſi cum virgis ſeu lituis ſacris ad Guntranum Regem ut tuti eſſent legationis officio, & inſigni idem Aimoin. libr. 3. cap. 67. *Legati populi Romani vt tuti eſſent ferebant Sagmina ſeu verbenas, quod eſt herbæ genus.* Legati Græcorum Cericia l. Sanctum ff. de rer. diviſ. id eſt κηρυκεῖον Caduceum. Cap. 32.

Ipſum quoque Regem ab omnibus majoribus natu Childeberti Regis expetitum eſſe. Majores natu ſunt primores regni, major eſt nomen dignitatis magis quàm ætatis, ut major domus Præfectus domus Regiæ Aimoin. lib. 3. c. 4. *Hujus exemplum cæteri qui aderant proceres ſecuti, Poponem majorem domus acclamaverunt.* Majores villarum regiarum Flodoard. libr. 3. c. 22 *Clotharium ac Vrſionem villarum regiarum majores.* Majorem civitatis recentiores pro Pretore, ſeu Præfecto urbis, ut major Rupellæ civitatis in inſcriptione cap. ex. parte extr. de conſuetud. Majores ſunt miniſtri regij Gregor. libr. 9. cap. 39. *Cum Comitibus Domeſticis majoribus atque nutritijs.* Eadem analogia ſeniores dicti majores ſeu Principes regni propter dignitatem non ætatem. Gregor. infr. prox. cap. *Adſerebant etiam conſtanter hanc cauſam, omnibus ſenioribus in regno Childeberti Regis eſſe cognitam*, & idem infr. libr. 8. cap. 31. *Magnus tunc omnes Rothomagenſes cives & præſertim ſeniores loci illius Francos mæror obſedit*, & idem infr. hoc libr. cap. 36. *Habebat enim ſcripta ſeniorum regni nepotis mei*, inde Gallicum *Seigneurs*.

Cap. 33. *Cohortabatur Guntchramnus Rex omnem exercitum dicens videte ô viri, quia filius meus Childebertus, jam vir magnus effectus eſt, videte & cavete, nè eum pro parvulo habeatis.* Guntranus Rex poſtquam Childebertum nepotem ex Sigeberto fratre adoptaſſet in ſucceſſorem regni ſui, cohortatus eſt exercitum, nè pro parvulo haberetur. Reges non habendi pro parvulis. Sapor adhuc in utero Rex Perſarum declaratus cidari utero impoſita, accepto reſponſo, Magorum, maſculum naſciturum Agath. libr. 4.

Per triduum epulantes atque jocundantes cum pace diſceſſerunt. Inter Guntranum & Childebertum Reges per triduum celebratæ ſolemnes epulæ. Moris antiqui ſunt ſolemnes epulæ per triduum ob publicam lætitiam, vel religionis cauſa. Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 2. *Veniebant autem cum plauſtris potum cibumque deferentes, mactantes animalia, & per triduum epulantes*, ut in dedicatione Eccleſiæ. Robert. Montenſ. in ſupplem. Sigeberti ad ann. 1163. *Circa octavas Paſchæ Rex Henricus fecit dedicare Eccleſiam Beatæ Mariæ Radingis, & per tres dies regaliter procuravit conventum Monachorum.* In triduum exiere & nuptiales epulæ. Ambroſ. epiſt. 65. *Occurrit pro foribus ſocer, generum introduxit, filiam reconciliavit, & vt lætiores dimitteret, triduo tenuit quaſi repararet nuptias*, ait jocundantes id eſt oblectati epulis, ut venatu jocundari dixit, idem lib. 5. c. 14. *Veniant enim equi noſtri, & acceptis accipitribus, cum canibus exerceamur venatione, ſpectaculiſque patulis jocundemur.*

Cap. 34. *Convenas petentes.* Urbs Convenarum eſt civitas Epiſcopalis cujus ſitum hic deſcribit Gregorius, quæ per id tempus à Guntrani Regis copijs ſolo everſa eſt, quod Gundobaldum Pſeudoregem recepiſſet de quo & Aimoin. libr. 3. cap. 69. cladis hujuſce urbis meminit & Gregor. de vit. Patr. cap. 8. *Dado vnus ex his pagenſibus, cum in hoſtilitate illa, quæ apud Convenas acta eſt acceſſiſſet.* Inde Convenæ nomen quod à Cn. Pompeio, perdomita Hiſpania Romam triumphi cauſa properante, nè belli ſemina relinquerentur, latrones qui Pyrenei jugis inſederant, ex his depoſiti, & in unum oppidum collecti, unde & Convenæ dicti Hieronym. adverſ. Vigilant. *Nimirùm reſpondet generi ſuo, vt qui de latronum & Convena-*

rum natus eſt ſemine, quos Cn. Pompeius edomita Hiſpaniâ, & ad triumphum redire feſtinans, de Pyrenei jugis depoſuit, & in vnum oppidum congregavit, vnde & Convenarum vrbs nomen accepit, & id genus latronum fuére Vaſcones, qui primas ſedes habuére in Pyrenei jugis, unde depoſiti, & in unum oppidum collecti, ut cœli mutatione efferi mores miteſcerent; quod & Plinius libr. 4. cap. 19. brevi ſtylo perſtringit, *Mox in oppidum contributi Convenæ*, & Gregor. ipſe paulo infra hoc cap. *Igitur commorante eo apud vrbem Convenas* & cap. 34. *convenitur ad Convenas, ſic enim diximus nomen vrbis.*

Noveritis me cum omnibus, qui in Regno Childeberti habentur electum eſſe Regem. Gundobaldus ut ſe conciliaret Convenis, quorum urbs erat munitiſſima, eis ſuaſit ſe à majoribus Regni electum, id eſt expetitum eſſe, ut à legatis Gundobaldi dictum eſſe Guntrano Regi retulit Gregorius ſupr. cap. 32. h. libr. *Ipſum quoque Regem ab omnibus majoribus natu Childeberti Regis expetitum eſſe.* Aliàs enim Francorum Reges non electione ſed ſucceſſione vocantur Agath. libr. 1. παῖδες ἐκ πατρῶν, καὶ τῶν τὴν βασιλείαν διαδεχόμενοι. *Filij patribus in regnum ſuccedunt.*

Reliqui in littus egreſſi, requirentes Gundobaldum, invenerunt camelos, cum ingenti pondere auri, atque argenti. Gundobaldus uſus eſt camelis ad vecturam pecuniæ, & ſupellectilis ſuæ, veniebat enim ex partibus Conſtantinopolitanis, ubi frequens eſt uſus camelorum. Camelis utitur univerſus Oriens, Ægyptus & Africa ad vecturas. Hieronym. in vit. Hilarion. *Vbi convento Diacono Baiſane, qui locatis camelis, & dromedis, ob aquæ in eremo penuriam conſueverat euntes ad Antonium ducere.* Cap. 35.

Venerunt ad Baſilicam ſancti Vincentij, quæ eſt juxta terminum Agennenſis vrbis, vbi ipſe Martyr pro Chriſti nomine, agonem dicitur conſummaſſe. Vincentius Aginnenſis Levita martyrium paſſus in Aginnenſi agro, ejus natalis dies celebratur 9. Junij ex Martyrolog. R. ejus baſilica quæ eſt haud procul Aginno urbe, hoſtili feritate direpta à Ducibus Guntrani Regis in expeditione adverſus Gundobaldum, non impunè ut refert Gregorius hic & lib. 1. de mirac. Martyr. c. 105. de ejuſd. baſilica & miraculis elegans carmen ſcripſit Fortunat. lib. 1. c. 1.

Nonnulli arrepti à dæmone, per energiam debachantes martyrem declamabant. Energumeni ſunt arrepti à dæmone, Energia eſt arreptio Gregor. ſupr. libr. 4. cap. 11. *Nam quadam vice conductam pecunia mulierem clamare fecit in Eccleſia quaſi per energiam*, idem Gregor. infr. libr. 8. cap. 33. *vnde factum eſt vt invaleſcente temulentia, tempore procedente, à dæmonio correptus per energiam vexaretur.* Et hoc eſt quod ait Gregorius hoc loco nonnullos è prædonibus baſilicæ S. Vincentij martyris Aginnenſis, per energiam id eſt vi arreptionis ſeu vexationis dæmonis declamaſſe in ſanctum. Declamare dicebantur qui cauſas fictas quas controverſias vocabant exercitationis cauſa orabant in ſcholis, in tyrocinium fori. Hieronym. adverſ. Ruffin. libr. 1. *Et quo magis ſtupeas nunc cano & recalvo capite, ſæpe mihi videor in ſomnis comatulus, & ſumpta toga ante Rhetorem controverſiolam declamare.* Declamare vero hic non alio ſenſu videtur accipi quam pro exclamare, exclamandi enim verbo eodem ſenſu uſus eſt Gregorius de vit. Patr. cap. 8. *Exclamavit dæmonium in eo, & ſe torqueri à ſancto immenſis cruciatibus confitetur*, vel declamare idem ſonat quod maledicere detrahere Gregor. ſupr. libr. 5. cap. 21. *Sed Sagittarius felle commotus, declamare plurima de Rege cœpit, ac dicere, quod filij ejus regnum capere non poſſent.* Idem infr. libr. 8. cap. 12. *Et licet dæmonijs credi non debeat, tamen qualis eſſet Sacerdos, de quo hæc dæmon condolens declamabat, apparuit.*

Omniſque Phalanga in ſuburbanâ vrbis campaniâ caſtra metata eſt. Phalanx apud Macedones erat cuneus ſeu globus militaris pro quo Phalanga Gregorio dictum eſt, idem libr. 1. cap. ult. *Denique nocte media omnis Pictava ſomno Phalanga comprimitur.* Idem libr. 2. cap. 2. *nè pereant quæſo populi vtriuſque Phalangæ* Idem libr. 4. cap. 49. *Commiſſoque prælio Longobardorum Phalangæ vſque ad internecionem cæſæ.* Fredegar. cap. 68. *Vbi tribus turmis Phalangæ ſuper VVinidis exercitus ingreditur.* Campania hic pro regione, vel agro ſuburbano, Gregor. de vit. Patr. c. 7. *Quod deferentes ad caſtrum Divionenſe vbi ſe juſſerat tumulari, in Campania illa, quæ à parte Aquilonis habetur, haud procul à caſtro, aggravati geſtatores, non ſuſtinentes feretrum ſolo depoſuerunt.* Fredegar. cap. 19. *In Arciacenſi Campania.*

Idem cap. 38. *Tullenſem Campaniam.* Eadem analogia campeſtria pro planitie ſeu latitudine camporum Gregor. infr. libr. 10. cap. 3. *Atque ad Mediolanenſem vrbem advenit, ibique eminus in campeſtriâ caſtra poſuerunt.*

Abſcondebant enim ſe multi per collem, id eſt ſecus collem, eadem analogia per parietes dixit Hieronym. in Ezechiel. lib. 12. cap. 40. de Cryptis Martyrum. *Ex vtraque parte ingredientium per parietes habent corpora ſepultorum.*

Tu nè es pictor ille, qui tempore Chlotharij Regis per oratoria parietes atque cameras caraxabas. Milites Guntrani Regis inſultantes Gundobaldo, quærebant an eſſet pictor ille, qui tempore Clotharij Regis muros & cameras id eſt fornices oratoriorum ſeu Eccleſiarum manu ſua caraxabat, id eſt depingebat varijs figuris. Caraxare eſt pingere vel ſculpere. Gregor. infr. lib. 8. c. 28. *Tamen Fredegundis duos cultros ferreos fieri præcepit, quos etiam caraxari profundiùs & veneno inſici juſſerat.* Idem infr. libr. 9. cap. 5. *Nam vaſa per domos diverſorum ſignis neſcio quibus caraxata ſunt; quæ res nullo vmquam modo, aut eradi potuit, aut deleri*, & idem de mirac. martyr. libr. 1. cap. 51. *Cùm autem ad Arvernam regionem lues illa inguinaria adveniret, quæ ſancti Galli Epiſcopi oratione depulſa eſt, & in ſubita contemplatione parietes domorum, atque Eccleſiarum ſignarentur, atque caraxarentur.* Auguſtin. de altercat. Eccleſ. & Synag. *Nam cum primum Moyſes in monte Sina caraxatas decalogo duplices tabulas accepiſſet.* Prudent. Hymn. 6. in Roman. martyr. Cap. 36.

Implet jubentis dicta lictor improbus
Caraxat ambas vngulis ſcribentibus
Genas.

Inde caraxatura pro pictura, vel ſculptura, vel ſcriptura, ut in teſtamento B. Remigij apud Flodoard. libr. 1. cap. 18. *Huic autem teſtamento meo dolus abeſt aberitque, in quo ſi qua litura, vel charaxatura fuerit inventa, facta eſt me præſente, dum à me relegitur & emendatur.* Vide plura hac de re apud Gregor. libr. 7. epiſt. 40 ubi dixi. Ait cameras caraxatas, quia paſſim antiquiores Eccleſiæ erant depictæ tum parietes tum cameræ, camera veteribus eſt fornix ſive volta. Gregor. de mirac. libr. 1.

cap. 79. *Mane autem facto accedit ad lychnos, qui de camera Eccleſiæ dependebant.* Idem de glor. Confeſſ. cap. 39. *Dum reliquiæ Sanctorum à peregrinis delatæ ſuper altare haberentur; ſubito globus ignis ab eiſdem emergens, vſque ad cameram templi viſus eſt conſcendiſſe.* Auguſtin. de Geneſ. ad liter. lib. 2. cap. 1. *Sicut ſeſe habent cameræ ſpeluncarum.*

At ego datis ei multis muneribus, per duodecim loca ſancta ab eo ſuſcipio ſacramenta. Gundobaldus à Guntrano Boſone ſacramentum exigit per duodecim ædes ſacras de præſtanda ſecuritate venienti in Galliam. Juſjurandum in æde ſacrâ præſtari ſolitum Gregor. libr. 5. cap. 33. *Et illi ſi inquiunt eſt innoxia, ſuper tumulum hunc Beati Dionyſij martyris Sacramentis affirma. Faciam inquit pater, tunc inito placito, ad Baſilicam ſancti martyris conveniunt, elevatiſque pater manibus ſuper altarium juravit*, &c. idem de glor. confeſſ. cap 29. *Hic etenim vt cruda operatur ruſticitas populorum, juramentum mendax in Eccleſiâ protulit.* Chriſtianum quendam quod à matronâ juſjurandum exegiſſet in æde Hebræorum coarguit Jo. Chryſoſtom. Homil. 34. ad Antioch. Etiam gentiles ſolemniter jurabant tangentes aram. Plaut. in Rudente. *Tange aram hanc per Venerem hanc jurandum eſt tibi.* M. Tull. pro Flacco, *& ſi aram tenens juret, crederet nemo.* Juſjurandum repetitum per duodecim ædes ſacras memoratur hoc loco, ſed & juſjurandum à Principe factum adjectis duodecim viris nobilibus. Leo Oſtienſ. Chronic. Caſſinenſ. libr. 2. cap. 15. *Hinc Princeps prædicto Abbati ſub jurejurando firmavit, duodecimque Capuanos nobiles itidem jurare fecit.*

Radegundem Pictauam, & Ingetrudem Turonicam interrogate. Gundobaldus ſtatus ſui teſtes laudat Radegundem & Ingeltrudam. Radegundis fuit uxor Clotharij poſtea velata conſtruxit apud Pictavum monaſterium S. Crucis de quo Gregor. ſupr. libr. 3. cap. 7. unde Gundobaldus hic vocat Pictavam. Eugeltrudis fuit religioſa ſeu ſanctimonialis quæ in atrio S. Martini Monaſterium puellarum collocavit, de quo Gregor. infr. libr. 9. cap. 33. & libr. 10. cap. 11. unde idem Gundobaldus hic Turonicam vocat.

Plauſtra

Plauſtra enim cum arietibus, clitellis, & axibus erant texta, ſub quibus exercitus properaret ad deſtruendos muros. Plauſtra arietes clitellæ ſunt inſtrumenta idonea ad oppugnandos & petendos muros. Propriè clitellæ ſunt ſellæ jumentis imponi conſuetæ ad onera faciliùs geſtanda, Plaut. in Moſtellaria. *Vehit hic clitellas, vehit hic autem alter ſenex.* Horat. libr. 1. Satyr. 5 *Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt*, inde muli clitellarij Plaut. eod. loc, *Nam muliones mulos clitellarios habent, ego homines habeo clitellarios*, à mulis & aſinis clitellæ tranſlatæ ad uſum militum in oppugnatione urbium, ut milites his tecto capite tutiùs accederent ad imum murorum.

Cuppas cum pice & adipe accenſas, ſupra eos projicientes. Cuppa eſt vas vinarium, inde vinum de cuppâ Auguſtin. Confeſſ. libr. 9. cap. 18. *Nam cum de more tamquam puella ſobria juberetur à parentibus de cuppa vinum depromere*, in cella vinaria vinum in cuppis deponebatur. Idem libr. 2. quæſt, in Exod. *Anconicos autem dicit, quos vulgò vocamus Ancones, ſicut ſunt in columnis cellarum vinariarum, quibus incumbunt ligna, quæ cuppas ferunt.* Idem de bon. viduit. cap 20. *ſi delectat labor vt fera capiatur, vt cuppa & ſacculus impleatur.* Veteres in obſidionibus urbium, his uſi ſunt pice & adipe plenis, his accenſis ad hoſtes è muris repellendos, inde vernaculum *Couppe*, ex eo cupella Gregor. de mirac. Martyr. libr. 2. cap. 37. *Nam ingreſſus promptuarium Clericus reperit cuppellam quam penè mediam reliquerat, per ſuperiorem aditum redundare.* Idem infr. libr. 8. cap. 33. *Lumine ſecus cuppellam olei derelicto.* Cuppas pice liniri ſolitas indicat & Gregor. infr. lib. 10. c. 15. *Extracta promptuario cuppâ, quæ olim pice linita ſicca remanſerat, ignem injiciunt.*

Et ſi eum Regi excuſare non poſſent, in Eccleſiam ponerent, nè vitæ amiſſione mulctarentur. Mummolo & alijs Gundobaldus traditur, Ducibus Guntrani R. qui ſecuritatem vitæ eum ſperare jubent, ita ut ſi eam obtinere non poſſent, in Eccleſiam deduceretur, nè vitæ periculum ſubiret. Ea erat religio veterum, ut etiam rei perduellionis confugientes in Eccleſiam, ibi tuti eſſent ab irâ Principis. De quo ſupr. h. libr. cap 10 & libr 6. cap. 12. Cap. 38.

Nunc cum Deo vobis ſit actio, ſi quid mihi mendacij dixeritis.

Nn

ferculo, quem dominica cruce ſignatum dum edimus, vna mihi ex ariſtis ipſius piſcis, injurioſiſsimè adhæſit gutturi.

Sed repulſa à circulis loricæ nihil nocuit. Gundobaldus ab Ollone Biturigum Comite lanceâ petitus, ſed in caſſum repulſa lanceâ à circulis loricæ, circuli loricæ ſunt hami ſeu ſquammæ ferreæ quibus lorica contexta eſt Virgil. 3. Æneid. *Loricam conſertam hamis, auroque trilicem* ubi Servius. *Hamis autem catenis, vel circulis ſignificat.* Iſidor. orig. libr. 18. cap. 13. *Lorica vocatur, eo quod loris careat, ſolis enim circulis ferreis contexta eſt*, vulgò *cotte de maille*, à maculis id eſt circulis quibus intexta, ſic maculas vocant circulos catenarum Gregor. de vit. Patr. cap. 8. *Aſpicit confractas compedes, diſruptaſque maculas catenarum*, Baccas id eſt annulos ſeu circulos catenarum vocat, idem de mirac. D. Martin. libr. 1. cap. 23. *Diſſolutæ ſunt manus ejus, & omnes baccæ catenarum confractæ ceciderunt.*

Venitque omne vulgus, & defixis in eum lanceis, pedes ejus fune ligantes, per omnia exercituum caſtra traxerunt. Cæſo Gundobaldo omne vulgus militum lanceis corpus transfixit, quaſi in ſignum cædis participij, idem de Hectore memorat Homerus Iliad. x.

Οἱ δὲ θηήσαντο φυὴν, καὶ εἶδος ἀγητὸν
Ἕκτορος, οὐδ' ἄρα οἵ τις ἀνουτητὶ παρέστη.
Hi & ſpectabant indolem, ſpeciem admirabilem
Hectoris, neque ſanè ei quis non dans vulnus adſtitit.

Idem de Mezentio Virgil. ix. Æneïd.

——— *Et bis ſex thoraca petitum*
Per foſſumque locis.

Et Servius ibi. *Moris autem fuit, vt interemptos Duces omnis vulneraret exercitus.*

Evellenteſque cæſariem ac barbam ejus, inſepultum ipſo in loco, quo interfectus fuerat reliquerunt. Interempto Gundobaldo in corpus ejus ſævitum, vulſâ cæſarie & barbâ, quæ erant regiæ dignitatis reliquiæ, inſepultus jacuit in loco, in quo interemptus erat.

Extracto quidam gladio, caput ejus cum cucullo decidit. Sagittarius Epiſcopus qui erat unus è ſocijs partium Gundobaldi, Cap. 39.

eo occiſo, intelligens ſe tutum non eſſe latibulum ſylvæ petijt, capite tecto cucullo, nè agnoſceretur, ſed captus à quodam, & gladio caput cum cucullo deciſum. Cucullus eſt tegumentum capitis, quod aptatur caſulæ, ſago, vel alij veſti, modo capſam, modo cucullum vocat. Gregor. de vit. Patr. cap. 8. de caſula Nicetij Lugdunenſis Epiſcopi. *Capſa autem hujus indumenti ita dilatata erat, atque conſuta*, & infr. *& hac caſulâ tergo vtor, & de caſula ejus parte prolixiore deciſâ tegumen pedum aptabo*, & rurſus infr. *Verum vbi deciſo cucullo, aptatis pedulis pedes operuit.* Inde ſagum quod eſt veſtimentum ruſticorum, cum cucullo dicitur cucullus ſagatus. Columell. libr. 11. cap. 1. *Pellibus manicatis, & cucullis ſagatis.*

Cap. 42. *Poſt hæc edictum à judicibus datum eſt, vt qui in hac expeditione tardi fuerant, damnarentur.* Edicto judicum id eſt Comitum cujuſque civitatis damnati, qui tardiores fuerant in expeditione Aquitanica adverſus Gundobaldum. Non reſpondentis ad delectum pœna erat, villæ everſio, arbuſti ſeu nemoris ſuccifio l. ſi is cum quo ff. commun. divid. vel pœna pecuniaria, quam bannum vocabant. Gregor. ſupr. libr. 5. cap. 26. *Poſt hæc Chilpericus Rex de pauperibus, & junioribus Eccleſiæ, vel baſilicæ bannos juſſit exigi, pro eo quod in exercitum non ambulaſſent.* Comitum erat Provinciales vel Pagenſes ad delectum evocare & non reſpondentes, banno id eſt pœnâ pecuniariâ coercére, & hoc probatur ex eo quod Gregorius mox ait Ollonem Comitem Biturigum, qui fuerat unus è Ducibus præfatæ expeditionis pueros ſuos miſiſſe, ut homines ſeu poſſeſſores domus B. Martini quę in Biturigum finibus ſita erat, compellerent ad pœnam præſtandam. *Biturigum quoque Comes miſit pueros ſuos, ut in domo B. Martini, quæ in hoc termino ſita eſt, hujuſmodi homines ſpoliare deberent.*

Converſuſque ad agentem voce flebili ait Rogo vt facias ſuper me crucem Domini, & invoces nomen Beati Martini. Violator emunitatis domus ſeu villæ B. Martini repentino dolore percuſſus, intelligens pœnam ſceleris eſſe rogat, actorem domus ut ſuper ſe mittat ſignum crucis, & invocet nomen Beati Martini.

Cap. 44. *Fuit tunc temporis mulier, quæ ſpiritum Phitonis habens mul-*

tùm præſtabat dominis divinando quæſtum, erat mulier quæ ſpiritum Phytonis habebat. Spiritus Phitonis ſunt ſpiritus immundi, qui futura præcinunt, & hoc eſt quod ait Gregorius infra. *Cognovit in ea immundum ſpiritum eſſe Phitonis.* Tertullian. de anima. *Scimus etiam Magos elicere explorandis occultis, per catabolicos, & Paredros, & Pythonicos ſpiritus.*

Sed cùm Agerico Viridunenſi Epiſcopo hæc nunciata fuiſſent miſit ad comprehendendam eam. Mulier quæ Pythonis ſpiritum habebat prehenſa juſſu Agerici Virdunenſis Epiſcopi, cognitio de ſortilegis pertinet ad Epiſcopum cap. 1. 2. & 3. de ſortileg. can. contra. can. Epiſcopi. 26. qu. 5. & arg. can. ſi per ſortiarias 33. qu. 1.

Agericus Virdunenſis Epiſcopus, ſucceſſor Deſiderati. Gregor. ſupr. lib. 3. c. 35. ejuſdem meminit Gregor. infr. lib. 9. cap. 8.

Denique cùm exorciſmum ſuper eam diceret, ac frontem oleo ſancto perungeret, exclamavit dæmonium. Exorciſmis pelluntur dæmones, Tertull. de coron. milit. *Et quos interdiù exorciſmis fugavit, noctibus defenſabit.* Idem de ſpectac. cap. 23. *Itaque in exorciſmo cùm oneraretur immundus Spiritus, quod auſus eſſet fidelem agredi conſtanter, & juſtiſsimè quidem inquit feci, in meo eam inveni* Cyprian. ad Demetrianum, *ô ſi audire eos velles & videre quando à nobis adjurantur, & torquentur ſpiritalibus flagris, & verborum tormentis de obſeſsis corporibus ejiciuntur,* &c. Beda Hiſt. libr. 3. cap. 11. *Dicebat Presbyter exorciſmum, & quæcumque poterat, pro ſedando miſeri furore agebat.*

Ita vt vix vel modium annonæ, aut ſemimodium vini, vno triente venundaretur. Quæ fuerit caritas annonæ & vini probatur hoc argumento, quod vix modius annonæ id eſt frumenti, vel ſemimodius vini, *c'eſt vn muy de bled, & demy muy de vin*, emi poterat triente. Triens eſt genus nummi, qui valet tertiam partem aſſis vel tres aſſes Gregor. de mirac. D. Martin. lib. 1. cap. 31. *Quidam ergo devotus vnum trientem mercedis intuitu detulit*, & infr. *Reſpondit trientem illum, quem pauperes requirebant perjuravi, collector ſtipium matriculæ, negavit ſe accepiſſe trientem, & cum Sacramento obteſtatus eſt ſe accepiſſe tantum vnum argentum*, ut ſuprà dixit Gregor. *quia hic ampliùs*

23. *Injurioſus tamen ad placitum in conſpectu Regis Childeberti advenit.*

Nè jurgium in ampliùs pullularet, in amplius idem quod amplius.

Ecce enim & ſi illi qui noxæ ſubditur, minor eſt facultas, argento Eccleſiæ redimetur. Interdum rei ob inopiam liberabantur ære Eccleſiæ, quandoque etiam ſervi redimebantur ſumptu Eccleſiæ Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 2. cap. 30. *Ipſa autem cùm jugo ſervitutis haberetur vincta, de rebus beati Confeſſoris redempta eſt.*

Cumque ſervum vt exerceret operam commoveret, elevataque virga, ictibus verberaret. Domini ſervos virga coërcebant, ut magiſtri artium diſcipulos, parentes liberos, Epiſcopi Clericos. Auguſtin. epiſt. 159. *Noli perdere paternam diligentiam quam in ipſa inquiſitione ſeruaſti, quando tantorum ſcelerum confeſsionem, non extendente equuleo, non ſulcantibus vngulis, non vrentibus flammis, ſed virgarum verberibus eruiſti, qui modus coërcitionis, & à magiſtris artium liberalium, & ab ipſis parentibus, & ſæpe etiam in judicijs ſolet ab Epiſcopis adhiberi.* Gregor. libr. 5. cap. 5. de Tetrico Lingonenſi Epiſcopo, *& hæc dicens virgam quam habebat in manu, pectori ejus, cum ictu valido impulit.* Cenſorum etiam inſigne fuit virga, quo ſe referens Quintil. Inſtit. libr. 1. cap. 4. *quo quidem ita ſeverè vſi ſunt veteres, ut non verſus modò cenſoriâ quadam virgulâ notare permiſerint ſibi, ſed auctores alios in ordinem redegerint.*

Tunc partes à judice ad ciuitatem deductæ cauſas proprias prologuuntur. Plerumque partes per ſe cauſas proprias dicebant, tamen forum non carebat advocatis quos adjutores vocabant. Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 71. *Denique conjuncti adjutores cauſam diſcutiunt.* Alij clamatores ut Capitul. libr. 2. cap. 12. & libr. 3. cap. 7. & 59.

Inuentumque eſt à judicibus, ut qui nolens accipere priùs compoſitionem, domos incendijs tradidit, medietatem precij, quod fuerat ei judicatum amitteret, à judicibus actum eſt pacis ſanciendæ cauſa, inter cives quoſdam Turonenſes, ut qui rejecta compoſitione id eſt pœna pecuniaria, quæ ei adjudicata erat, domus adverſarij igni tradiderat, ejus mediam partem amit-

teret, quod ſtudio pacis contra leges actum dicitur, propter ſc. auctoritatem rerum judicatarum, quæ reſcindi non poſſunt.

Tunc dato ab Eccleſia argento, quæ judicaverant accepta ſecuritate componunt. Lis quæ erat inter cives Turonenſes componitur, data pecunia de ærario Eccleſiæ & accepta ſecuritate, ſecuritas eſt apocha, id eſt cautio ſeu profeſſio ſolutæ pecuniæ l. ſi quando §. pen.C. de inoff.teſtam. Auguſtin. de tempor. ſerm. 130. *Dum tanto debitori refundit immanis debiti cautionem, humano generi conſcripſit ſecuritatem.* Symmach. libr. 10. epiſt. 43. *Cùm videretur omnibus ſecuritatibus eſſe vehementior Imperatoris aſſertio.* Caſſiodor. 11. Var. 7. *Teſtimonium ſolutionis ſecuritas dicitur, de quo non ſolùm animus, ſed ſubſtantia communitur.* Securitas inde dicta, quia ſecurum facit debitorem. Sidon. libr. 7. epiſt. 13. *Contraque lites jurgioſorum, ſi quæ movebuntur pactionibus conſule, contra tributa ſecuritatibus.*

Vt nullo vmquam tempore, contra alterum pars altera muſsitaret. Muſſitare eſt obmurmurare. Sidon. libr. 2. epiſt. 9. *Preſbyterorum ſanè paucis ſingulatim ſingultientibus, porro autem palam ne muſsitantibus quidem*, idem lib. 8. epiſt. 12. *Quid muſſitas, quid moraris* Papias, *muſitat leviter in auribus loquitur, murmurat.* Gregor. libr. 6. cap. 12. *Berulfus verò Dux, cùm Biturigas muſsitare, quod Turonicum terminum ingrederentur audiſſet, exercitum commovet.* Idem eod. libr. cap. 36. *Ipſi vbique diſcurrunt muſsitant, amicitias clam illigant.* Mutire pro murmurare, quiritare dixit & Gregor. ſupr. hoc libr. cap. 36. *Veni quia ab omnibus regni Regis Childeberti Principibus invitaris, nec quiſquam contra te mutire auſus eſt.* Idem libr. 3. cap. 16. *Nec vllus mutire auſus erat coram eis.* Papias. *Mutire garrire modicè murmurare.*

LIBR.

LIBR. VIII.

NAM *per domos eorum invitatus adibat, & prandia data libabat.* Guntranus Rex privatorum epulas invitatus non deſpexit, & prandia data libavit, id eſt leviter attigit, Virgilium æmulatus videtur, qui verbo libare uſus eſt pro leviter tangere ut 5. Æneïd. *Libavitque dapes.* idemque 1. Æneïd. *Oſcula libavit natæ.* Eodem modo vina libare dixit Gregor. ſupr. libr. 5. cap. 20. *Vt Clericis matutinas in Eccleſia celebrantibus, hic pocula poſcerent & vina libarent.* Cap. 1.

Erat eâ die ſolemnitas Beati Martini, id eſt IV. *nonas menſis quinti.* Dies feſtus S. Martini ſolemniter colebatur in Gallia, Miſſam S. Martini vocabant, Miſſa accipitur non modo pro ſacrificio Miſſæ, ſed etiam pro die feſto, ob ſolemnitatem Miſſæ, quæ eo die celebratur, Miſſa S. Joannis. Frodoard. in Chronic. ad ann. 821. *Facta pactione vſque ad Miſſam ſancti Martini.* idem ad ann. 944. *Igitur circa Miſſam ſancti Ioannis Hugo Dux placitum cum Rege per ſequeſtros habuit*, & in vit. Ludovici P. *Sed poſt paucum tempus idem ad Miſſam ſancti Martini populum convocavit.*

Proceſsitque in obviam ejus immenſa populi turba, cum ſignis atque vexillis, canentes laudes. Guntrano Regi Aurelianum urbem ſolemni pompa ingredienti plebs in obviam, id eſt obviam occurrit, Gregor. de miracul. Martyr. libr. 1. cap. 80. *Elevata in obviam manu, ſignat.* Cum ſignis id eſt ſignis crucium atque vexillis, & laudibus id eſt adclama-

mationibus, vivat Rex ut Gregorius infra apertiùs dixit. *Et hinc lingua Syrorum, hinc Latinorum, hinc etiam ipſorum Iudæorum in diverſis laudibus variè concrepabat dicens Viuat Rex, regnumque ejus in populis annis innumeris dilatetur.* Signa pro crucibus accepit & Gregor, ſupr. libr. 6. cap. 11. *Tunc reſeratis tam portarum, quàm ſacrarum ædium valuis, ingrediuntur utrique ciuitatem Dux ſcilicet & Epiſcopus, cum ſignis & laudibus, diuerſiſque honorum vexillis.* Clerus ſolebat occurrere principibus & Præfectis Provinciarum cum ſignis, & vexillis, id eſt cum crucibus & ſacris vexillis, quæ vocant Baneria. Gregor. infr. libr. 10. cap. 9. *Ebracchariùs verò uſque Venetias urbem acceſsit, miſerat enim ad eum obuiam Epiſcopus Regalis Clericos ſuos, cum crucibus & pſallentio, qui eos uſque ad urbem deduxerunt.* Crux vocatur ſignum, quod hoc quaſi ſigno, & annulo omnia quæ à Deo tradita obſignantur. Chryſoſtom. de div. utriuſque teſtament. loc. de Adorat. cruc. διὰ τοῦτο σφραγὶς κέκληται, ὅτι πάσας τοῦ θεοῦ τὰς παρακαταθήκας, ὅσας ἂν λάβωμεν, τούτῳ καθάπερ τινὶ σημάντρῳ βασιλικῷ καὶ δακτυλίῳ, σφραγίζομεν. *Hinc ſignum appellata eſt, quod depoſita omnia quæ à Deo accepimus, hac quaſi ſigno quodam regio, atque annulo obſignamus.*

Et hinc lingua Syrorum, hinc Latinorũ, hinc etiam ipſorum Iudæorum, in diverſis laudibus variè concrepabat. Guntrano Regi laudes dictæ varijs linguis Syriaca, Latina & Judaïca, Syriaca & Judaïca, quia erant negociatores Syri & Judæi in Gallia, qui utebantur lingua Syriaca & Hebræa, tempore adventus Chriſti lingua Syriaca erat in uſu apud Judæos. Chriſtus in cruce pendens extrema verba Eli, Eli Lamma Sabathani protulit duplici lingua, nam priora verba Eli Eli ſunt Hebræa, poſteriora Syriaca, ut ſignificaret ſe natum non ob Hebræos modò, ſed & ob alias gentes. Epiphan. hæres 69. art. 66. Latina lingua nondùm obſoleverat in Gallia Conc. Turonenſ. 3. can. 17. *Et vt eaſdem Homilias quiſque apertè transferre ſtudeat, in ruſticam Romanam linguam, aut Theotiſcam.*

Rogo vt in domo mea craſtina die veſtram promerear benedictionem. Guntranus Rex rogat Epiſcopos ut domi ſuæ adſint in craſtinum diem ut accipiat ab his benedictionem. Epiſcopi benedicebant menſæ regiæ antequam Rex accumberet. Gre-

gor. infr. prox. cap. *Ablutis Rex manibus, acceptâ à Sacerdotibus benedictione ad menſam recedit*, & idem infr. cap. 7. h. lib. *Dixerunt Regi videmus enim cum convivio tuo adeſſe, ac de ejus manu te benedictonem accipere*, imo & Epiſcopi ſæpiùs adhibebantur epulis Regijs. Hilar. Pictav. libr. contr. Conſtantium. *Oſculo Sacerdotes excipis, caput benedictioni ſubmittis, convivio dignaris, ex quo Iudas ad proditionem egreſſus eſt.*

Ad metatum noſtrum advenit, erat enim ibi baſilica ſancti Auiti Abbatis. Gregorius divertit ad Baſilicam S. Aviti Abbatis apud Aurelianum, Epiſcopi non divertebant ad cauponas ſed ad baſilicas ſeu domus Eccleſiarum Gregor. infr. libr. 9. cap. 6 *His diebus Pariſios advenerant & ad Baſilicam beati Iuliani Martyris metatum habebant.* Cap. 2.

Scire enim te oportuerat dilectiſsime pater, quod parens eras nobis, ex matre noſtrâ. Guntranus Rex Bertramnum Burdegalenſem Epiſcopum, quamvis exoſum ob ſuſceptas partes Gundobaldi, ob reverentiam Sacerdotij patrem appellat, ei fidei lapſum exprobat eo nomine, quod ſibi cognationis vinculo conjunctus eſſet ex parte matris, Guntranus fuit unus è liberis Clotarij I. Regis ex Ingunde de quo Gregor. ſupr. libr. 4. cap. 2. Aimoin. libr. 2. cap. 25. Epiſcopi etiam à Regibus Patres appellati, quia ſunt Eccleſiæ Patres Gregor. infr. hoc cap. *Quid vos ô ſanctiſsimi Patres pro regionis utilitate, vel regni noſtri ſoſpitate tractaſtis edicite.*

Nicaſio autem & Antidio Epiſcopis dixit, quid vos ô ſanctiſsimi Patres, pro regionis utilitate, vel Regni noſtri ſoſpitate tractaſtis edicite. Epiſcopi Aquitaniæ Bertramnus Epiſcopus Burdegalenſis, Palladius Santonenſis, Oreſtes Vaſatenſis Nicaſius Engoliſmenſis Epiſcopus de quo infr. libr. 9. cap. 41. Antidius is fuit Aginnenſis Epiſcopus ut patet ex ſubſcriptionibus Conc. Matiſconenſ. 2. coierant in partes Gundobaldi, quo ſublato Guntranus ironicè dixit Nicaſio & Antidio Epiſcopis, quidnam ab his actum pro regionis utilitate, vel pro regni ſalute, magis ſpectans quid eſſet Epiſcopalis officij, quam quid ab eis geſtum eſſet.

Iubet Rex ut Diaconum noſtrum qui ante diem ad miſſas pſalmum reſponſorium dixerat, canere juberem. Hæc erat pſallendi

Oo 2

ratio, unus decantabat pſalmum, ſilentibus cæteris. Gregor. de vit. Patr. cap. 8. *Quodam autem manè, cùm ſurrexiſſet ad matutinas ſanctus Nicetius expectatis duabus antiphonis egreſſus eſt in ſacrarium, ubi dum reſideret Diaconus reſponſorium pſalmum canere cœpit*, & Gregor. infr. hoc ipſo cap. *Quiſque vt potuit in Regis præſentiâ, pſalmum reſponſorium decantavit.*

Cùm autem fercula proferrentur. Ferculum eſt miſſus carnium Petron. in Satyric. *Poſtquam ferculum allatum*, vulgò *vn Mets* Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 80. *Exerceamus hodie cachinnum de hoc Romanorum Presbytero, vt ſcilicet appoſita fercula tu celeriùs ſignare feſtines.* Veteres Romani epulabantur duobus ferculis Cato apud Servium in 1. Æneïd. *Et in atrio, & duobus ferculis epulabantur antiqui.* Auguſtus tribus ferculis Tranquill.in ejus vit.c.74.*Tribuſque ſolemnibus ferculis imperatoriam menſam ſtatuit eſſe contentam.* Franci tribus quoque ferculis, & ampliùs. Gregor. loco modo laudato. *In ſecundo vero & tertio ferculo ſimiliter fecit hæreticus, quartò autem exhibito*, &c. Heroum epulis tria fercula ponit Stat. 2. Achilleïdos.

Vt placata fames epulis bis terque repoſtis.

Nam quindecim ex eo catinos, ut iſtum majorem cernitis jam concidi. Catini ſunt lances, diſci quibus eſcæ apponuntur Cato de vit. popul. Rom. apud Nonium cap. 15. *Dicuntur enim patellæ ſalini, acetabula, catini, patenæ.* Eucherius ad Salonium. *Paropſis acetabulum majus, aliqui & catinum ita appellari putant.*

Cap. 4. *Procedente Diacono cum ſancto Evangeliorum libro, nuncius Regi advenit; unaque vox fuit pronunciantis lectionem evangelicam, ac nuncij dicentis filius natus eſt tibi.* Diaconi munus eſt, Evangelium legere. Hieronym. in Sabinianum Diaconum. *Evangelium Chriſti, quaſi Diaconus lectitabas.* Gregor. libr. 4. epiſt. 44. ubi dixi.

Sed baptiſmum in die ſancto Pentecoſtes accepit. Baptiſmo dies ſolemnes olim dicati fuére Paſcha & Pentecoſtes.

Et Rex nihilominus in die ſancto Dominicæ Nativitatis eſt elevatus. Childebertus junior dicitur Rex elevatus, ea ætate

hæc fuit ratio Regum inaugurandorum, ut elevarentur ſuper ſcutum.

Cùm viderem eum à te tonſorato capite, quaſi Epiſcopum ordinari, deinde ſuper cathedram puram ſola fuligine tectam impoſitum ferri, prælucentibus coram eo lychnis ac çereis. Epiſcoporum ſolemnis eſt inſtallatio Gregor. de vit. Patr. cap. 6. in Gallo E. *Igitur exinde cum multo pſallentio in civitatem ſuſcipitur, & in ſua Eccleſia Epiſcopus ordinatur.* Cap. 5.

Conſpicio eminus æneum ſuper ignem poſitum, fervere vehementer. Æneum eſt olla ænea Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 81. *Accenditur ignis, Æneum ſuperponitur, fervet valde annulus in unda ferventi projicitur.* Latinis Ahenum, Virgil. 1. Æneïd. *Littore ahena locant.* Aënum eſt inſtrumentum coquinarium, quod pendet ſuper focum, in quo aqua ad potandum calefit. l. cum de Lanionis §. item caccabos ff. de inſtruct. inſtr. legat.

Quo redeunte Garacharius Comes Burdegalenſis, atque Bladaſtes à nobis repræſentati. Garacharius Comes Burdegalenſis, & Bladaſtes Dux fuere partium Gundobaldi Ducis, quo ſublato apud Convenas, in Baſilicam S. Martini confugére, & intercedente Gregorio noſtro in gratiam rediére cum Guntrano Rege, quem Gregorius hic vocat Garacharium, ſupra vocat Cariulfum libr. 7. cap. 38. *Sagittarius Epiſcopus cum Mummolo Chariulfo atque VVadone ad Eccleſiam pergit* & cap. 43. ejuſd. libr. *Chariulfus Baſilicam ſancti Martini expetijt, vocans eos ſæpiùs vulpes ingenioſas*, vulpecula atrocioris convicij genus leg. Salicæ tit. de convit. §. 3. *Si quis alterum concacatum aut vulpeculam vocaverit.* Eutropium Eunuchum vulpis nomine notat Claudian. in eum libr. 1.

Vt primum vetulam traxére Palatia vulpem,
Quis non ingemuit.

Vulpes convicij genus in callidos & doloſos, canis in hoſtes & inimicos. Terent. in Eunucho Act. 4. Scen 7. *Ain verò canis.* ubi Donat. *Hoc verbo impudentibus inimicis convicium, fieri ſolet, nam militare dictum eſt in hoſtem canis.* Fredegar. c. 9 *Ego cum iſtis non loquor, vita eorum inſtar canum eſt, ſi converſi chriſtiani, ſicut & ego ſum efficientur, tunc eis reſpondebo.* Idem

cap. 68. *Sicharius dicens non eſt poſsibile, ut Chriſtiani Dei ſerui cum canibus amicitias colere poſſent*, Gregor. ſupr. libr. 3. cap. 14. *& traderis in manus inimicorum, & morieris quaſi vnus ex canibus.*

Cap. 7. *Adueniente quoque die dominico, Rex Eccleſiam ad ſpectanda Miſſarum ſolemnia petit.* Die dominico ſeculares miſſas audire tenentur Conc. Agath. can. 47. can. miſſas de conſecr. diſt. 1. Miſſarum ſolemnia ſpectare, eſt audire miſſam Gregorius de mirac. D, Martin. libr. 2. cap. 18. *Factum eſt autem una reſurrectionis dominicæ die, dum eſſet ad pedes Domini, & cùm reliquo populo miſſarum ſolemnia ſpectaret.* Idem libr. 9. cap. 9. *atque ad baſilicam ſancti Criſpini Criſpinianique properabat, quaſi ſpectatura miſſas.* Idem libr. 10. cap 9 *Tunc Epiſcopus permiſit eum cum cæteris Miſſarum ſpectare ſolemnia.*

Cap. 7. *Fratres verò conſacerdoteſque qui aderant, locum Palladio Epiſcopo ad agenda feſta præbuerunt, quo incipiente Prophetiam.* Die dominica officium miſſæ incipiebat à lectione Prophetiæ.

Caſſiã. inſtit. libr. 3. cap. 4. *Iam enim Palladius Epiſcopus in ſacrarium, cum grandi humilitate diſceſſerat.* Sacrarium eſt locus è quo Epiſcopus vel Presbyteri procedunt ad altare, miſſam celebraturi Gregor. de mirac. D. Martin. lib. 3. cap. 17. *Illuceſcente in craſtinum dominica die, ad Ecclesiam acceſsimus, reſidenteſque in ſacrario adventum præſtolabamur antiſtitis.* Idem ſupr. libr. 4. cap. 31. *In ſacrarium autem ſub velo transiens cicindelem extinguere voluit*, Receptorium vocat Sidon. libr. 5. epiſt. 17. *Et nunciatum eſt hora monente, progredi Epiſcopum de receptorio.*

Cap. 9. *Moverunt itaque me per tempus ſterile de loco vbi habitabam.* Tempus ſterile id eſt hybernum, quia vacuum eſt fructibus, eodem ferè ſenſu ſteriles avenas dixit Virgil 1. Georgic *Steriles dominantur avenæ*, id eſt infructuoſæ.

Hac audiens Fredegundis Regina, conjunctis prioribus regni ſui id eſt tribus Epiſcopis, & trecentis viris optimis, ſacramenta dederunt, hunc à Chilperico Rege generatum fuiſſe. Fredegundis Reginá probat Clotharium II. eſſe filium Chilperici, ſacramento priorum regni. Partus probatur per teſtes purà per vicinos obſtetrices famulos propinquos l. ſi vicini C. de nupt. Auguſtin. de altercat. Eccleſ. & Sinagog, *Sed interpoſita ma-*

tris authoritate de patre creditur, de ipſa verò matre pleramque nec matri, ſed obſtetricibus, nutricibus, famulis.

Iuſsit eum in alveum Matronæ fluminis projici. Matrona amnis navigabilis, qui ad Carentonium vicum influit in Sequanam, vulgò *Marne.* Cap. 10.

Tunc intra capſum quod opere meo ad capiendorum piſcium neceſsitatem præparaveram reperi. Corpus Clodovei unius è liberis Chilperici, ſuſceptis ex priore uxore projectum in Matronam flumen, inventum eſt intra capſum piſcatoris. Capſum eſt genus retis capiendorum piſcium cauſa, & ita legendum puto pro lapſum apud Gregor. de glor. Confeſſ. cap 5. *Commonitus piſcator quidam per viſum à virgine eſt, ut Archipresbytero piſcium copiam deferret, ſurrexitque è lectulo, invenitque immanem piſcem in lapſum ſuum, quem vbi juſſus fuit, exhibuit.* Eadem emendatione indigere videtur alter locus Gregorij de vit. Patr. cap. 17. *Dixeruntque ei lapſus noſter, in quem piſces decidere ſoliti ſunt, prorſus deſertus habetur.*

Convocato igitur Epiſcopo civitatis, cum clero & populo ac cereorum innumerabilium ornatu, ad basilicam S. Vincentij detulit tumulandum. Chriſtianis funus ſolemniter celebratum, cum cereis & luminaribus, ut funus Pulcheriæ de quo Gregor. Niſſen. in orat. funebr. ipſius. κὴ τὸ ἐκ πυρὸς φῶς πολύ τε ἄφθονον, κατὰ τὰ πλάγια ἑκατέρωθεν τῇ συνεχείᾳ τῶν ἐκ τοῦ κηροῦ λαμπάδων παρατεινόμενον. *Et lumen ignis quod & multum & copioſum ex tranſverſo, vtrinque continentibus cereis lampadibus prætendebatur.* Et funus Conſtantij Nazianzen. orat. 4. ᾠδαῖς παννύχοις κὴ δαδουχίαις οἷς χριστιανοὶ τιμᾷν μετάστασιν εὐσεβῆ νομίζομεν, *Nocturnis cantionibus, & cereorum ignibus, quibus nos chriſtiani honorare pium diſceſſum exiſtimamus.*

Ad diſcutiendas cauſas Ratharius illuc, quaſi Dux à parte Regis Childeberti dirigitur. Ratharius quaſi Dux, id eſt cum dignitate Ducis in Maſſylienſem Provinciam dirigitur, à Childeberto Rege, ut Theodori Epiſcopi Maſſilienſis cauſa diſcuteretur.

Ad Synodum quæ Matiſcone futura erat. Synodus Matiſconenſis II. juſſu Guntrani Regis congregata ann. Chr. 795. cauſa Theodori Epiſcopi Maſſilienſis remiſſa eſt ad Synodum proximam Matiſcone indictam, eodem jure cauſa Palladij

Santonenſis Epiſcopi remiſſa eſt ad proximam Synodum Gregor. infrà h. libr. cap. 43. *Epiſcopus autem ad vrbem redire jubetur, & vſque ad Synodum futuram dilatatur.* Matiſcone *c'eſt Maſcon.* Matiſcenſe oppidum, vel Mateſcenſe Gregor. libr. 9. cap. 1. *Mateſcenſe oppidum juſsi ſunt reſidere.*

Veniens itaque ad baſilicam ſancti Maximini, proſternitur ſepulchro. Veteres proſtrati ſolo orabant, Magnericus Trevirenſis Epiſcopus oraturus pro Theodoro Maſſilienſi Epiſcopo perſecutionem patiente, accedens ad baſilicam ſancti Maximini, proſternitur ad ipſius ſepulchrum. Gregor. de mirac. D. Martin. lib. 2. cap. 28. *Tunc cum fletu magno ſolo proſtratus, nomen beati invocat confeſſoris.* Idem cap. 54. ejuſd. libr. *Puella verò ex Leſnenſi jam adulta lumen amiſit oculorum, quæ ſancti limina adiens, per omne tempus feſtivitatis orabat humo proſtrata.* Idem libr. 3. cap. 8. *quod cùm feciſſet, per ſingulos dies veniebat, & proſtratus ſolo cum conjuge, ſancti Pontificis auxilium implorabat.* Idem cap. 38. ejuſd. libr. *Ibique proſtratus ſolo, orationi ſubnixus, die tertia apertis oculis lumen recepit,* idem infr. h. lib. cap. 15. *Tunc ego ad baſilicam propero, proſtratuſque ſolo divinam miſericordiam cum lacrymis flagitabam.* Baſilica S. Maximini eſt apud Treviros in ſuburbano ubi quieſcit corpus ſancti cujus tumulus multis clarus miraculis Gregor. de glor. confeſſ. c 93. *Eſt & apud vrbem Trevericam ſuburbano ſanctus Maximinus magnus cum Domino populi illius advocatus ad cujus tumulum ſæpe cernuntur miracula glorioſa.* Ibi collocatum eſt monaſterium cujus meminit Auguſtinus Confeſſ 8. cap. 6.

Cap. 13. *Ad caſtrum Confluentis quod ob hoc nomen accepit, pro eo quod Moſella Rhenuſque amnes pariter confluentes in eodem loco jungantur.* Confluentes caſtrum à Romanis conditum ad confluentes Moſellæ & Rheni, unde nomen à ſitu. Ammian. libr. 20. *Apud Confluentes locum ita cognominatum, vbi amnis Moſella confunditur Rheno.* Annal Francor. ad ann. 819. *Secundâ aquâ Confluentem vſque per Rhenum navigavit.* hodie *Coblents.*

Trecas Campaniæ vrbem. Trecæ clariſſima Campaniæ civitas Notit. provinc. *Tricaſsium civitas.* Tricaſſinorum urbs Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 67. *Lupum Antiſtitem apud Tricaſſinorum*

ſinorum Campaniæ vrbem ſepultum nulli habetur incognitum.

Ad Epoſium caſtrum acceſsimus. Epoſium caſtrum ubi ſit hæreo.

Neſciens autem vtrùm Martyr an Confeſſor, jam in ejus honorem vigilias celebrabam. Vulfilaïcus refert ſe celebraſſe vigilias in honorem B. Martini, cui poſtea poſuit Monaſterium, adhuc neſcientem an eſſet martyr, an confeſſor. Vigiliæ celebrari ſolitæ in honorem Sanctorum ut in honorem S. Martini Gregor. de mirac. ipſius lib. 2. cap. 11. *Quæ ad beati Martini pedes deposita noćte tota cereum manu pro voto detinuit.* In honorem S. Remigij Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 79. *Cùm autem omnes terrerentur hujus cladis auditu, concurrit Rhemenſium populus ad ſancti ſepulchrum, congruum hujus cauſæ flagitare remedium, accenſis cereis, lychniſque non paucis, hymnis pſalmiſque cœleſtibus, per totam excubat noctem.* Celebriores fuêre vigiliæ in nocte nativitatis dominicæ Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 2. cap. 25. *Nam cum in venerabili dominicæ nativitatis nocte ſacroſanctis deducta excubijs, procedentes de Eccleſia ad baſilicam ſancti ire diſponeremus.* Idem infr. libr. 10. cap. 31. in Perpetuo Epiſcopo. *Hic inſtituit jejunia vigiliaſque qualiter per circulum anni obſervarentur, quod hodieque apud nos tenetur ſcriptum, quarum ordo hic eſt vigiliæ natali domini in Eccleſia,* &c. jejunia conjungit vigilijs, quia vigiliæ non ſolebant celebrari ſine jejunio cap. Quæſivit de V. S. quod eſt Alexandri III. ubi dixi.

Deinde Aredio Abbati conjunctus, ab eoque edoctus Beati Martini Baſilicam adij. Hac tempeſtate claruit Aredius Abbas, hic patria Lemovicenſis ingenuis ortus parentibus matre Pelagia, patris nomen ſiletur, hic in proprio fundo cui nomen Actanum in Lemovicibus fundavit monaſterium, & regulis Patrum informavit, & ex propria familia Monachos inſtituit, de quo Gregor. infr. libr. 10. cap. 29. *Aredius Lemovicinæ vrbis incola fuit, non mediocribus regionis ſuæ ortus parentibus, ſed valdè ingenuus*, & infrà. *Quid plura conſtruxit templa in honore Sanctorum expedijtque eorum pignora, ex familia propriâ tonſuratos inſtituit Monachos, Cœnobiumque fundavit, in quo non modò Caſsiani, verùm etiam Baſilij, & reliquo-*

rum Abbatum, qui monaſterialem vitam inſtituerunt, celebrantur regulæ. Hodie *Saint Trier* à nomine fundatoris. Ejuſdem meminit idem de glor. Confeſſ. cap. 9. & 104. Idem de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 37. 42. & libr. 2. cap. 28. 40.

Ille parumper pulveris beati ſepulchri, pro benedictione ſuſtulit, quem in capſula poſitum ad collum meum dependit. Aredius Abbas è ſepulchro B. Martini, libavit pulverem quem in capſula conditum Vulfilaïci unius è diſcipulis ſuis collo appendit, Idem oleum è ſepulchro S. Martini ſuſtulit de quo multæ curationes ſecutæ ſunt Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 3. cap. 24. Moris antiqui fuit geſtare reliquias Sanctorum collo appenſas. Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 26. *Tunc Preſbyter cùm videret, ſe his fluctibus obrui, & ſpumis vndarum ipſarum graviter operiri, extractâ è collo capſulâ, quæ Sanctorum pignora continebat, vndis tumentibus fidus objecit,* &c. E ſepulchro B. Martini tolli ſolebat pulvis, de quo multa fiebant miracula Gregor de Mirac. D. Mart. libr. 1. cap. 28. 37. libr. 2. cap. 12. 52.

Reperi tamen hic Dianæ ſimulachrum, quod populus hic incredulus quaſi Deum adorabat. Treviri adhuc eâ ætate Paganiſmi erroribus impliciti, Dianam colebant. Hæ erant reliquiæ Paganiſmi.

Columnam etiam ſtatuit, in qua cum grandi cruciatu ſine vllo pedum ſtabat tegmine. Vulfilaïcus diſcipulus Aredij apud Treviros columnam poſuit in qua ſtabat exemplo Symeonis Antiocheni, ſed præcipientibus Epiſcopis è columna deſcendit, & cum fratribus quos in monaſterio congregarat habitavit στυλῖται. Monachorum genus qui in columna ſtabant quorum Princeps fuit Symeon Antiochenus, poſt eum DANIEL de quibus dixi in Aſceticis.

Iam enim reliqua ſigillorum, quæ faciliora fuerant ipſe confregeram. Sigilla ſunt parvula ſigna vel ſtatuæ Deorum l. quæſitum §. Julianus ff. de inſtruct. vel inſtr. legat. l. cum aurum §. lectum l. pediculis in princ. de aur. & argent legat. l. ſi cujus §. ſed ſi ædium de uſufruct. l. fundi §. item conſtat de act. empt. Auſon. Edyll. 25.

Ædiles plebei etiam, ædileſque curules

Sacra ſigillorum nomine dicta colunt.

Gregor. ipſe de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 41. *Adoratis dijs, atque coram ſigillis proſtratus.*

Expergefactus verò circa medium noctis, cùm ad curſum reddendum ſurgerem. Curſus eſt officium ſacrum Clericorum & Monachorum, per horas & ſtata tempora per diem noctemque diſtinctum Gregor. de mirac. Martyr. lib. 1. cap. 4. *Exurgente autem mane Abbate cum Monachis ad celebrandum curſum, viderunt multitudinem auri ſuper altare.* Idem de glor. Confeſſ. cap. 38. de monacho quodam. *Nam poſt impletum in oratorio curſum, elevabatur clam à præſentia fratrum.* Idem cap. 96. ejuſd. libr. *Cùm signum ad curſum horæ tertiæ, audieris intonare, ſurge continuò & ingredere basilicam, ad quam veniſti.* Idem de vit. Patr. cap. 7. *Nam impleto curſu revertens ad lectulum, ita ſe cautè ſuper ſtratum deponebat, vt prorſus nemo ſentiret.* Idem infr. libr. 9. cap. 6. *ſic ingreſſi ſumus explere curſum.* Idem ſupr. lib. 5. cap. 20. *Nulla prorſus de Deo erat mentio, nullus omninò curſus memoriæ habebatur.* Beda Hiſt. libr. 4. cap. 18. *Accepit & præfatum Ioannem Abbatem Britanniam perducendum, qualem in Monaſterio ſuo curſum canendi annuum, sicut ad ſanctum Petrum Romæ agebatur edocerent.*

Ait ibo ad Basilicam Beati Martini, & ſacramentis me exuens, innocens reddar. Jusjurandum ſolebat præſtari in æde ſacra innocentiæ probandæ cauſa Gregor. infr. hoc ipſo cap. *Ait vadam ad templum ſancti Martini, & fide data inſons rediturus erò ab hoc crimine.* Gregor. de glor. conf. cap. 29. *Hic etenim, vt cruda operatur ruſticitas populorum, juramentum mendax in Ecclesia protulit.* Chriſtianum quemdam, qui matronam Hebræorum intrare Eccleſiam, ibique jusjurandum de re de quà controverſia erat præſtare coëgit notat Chryſoſtom. orat. 34. ad Antiochen. Aliquando jusjurandum præſtabatur manu elevatâ contra ædem ſacram Gregorius infr. hoc cap. *Ecce templum ſanctum, è contra jura vt libet, nam calcare limen ſacrum non permitteris.* Idem Adrevald. de mirac. S. Benedict. libr. 1. cap. 35. *Cumque litem dirimere vellet, nec dictis ejus fides adhiberetur, dexteram contrà basilicam extendens, cum furore juramentum protulit, &c.*

Cap. 16.

At ille elevatis manibus ait per omnipotentem Deum, & virtutem Beati antiſtitis ejus, quia hoc incendium non admiſi. Juſjurandum præſtari manu elevata moris antiqui eſt Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 33. *Ingreſsique in hujus memoratæ ædis altare, cum elevatis manibus Sacramenta proferrent, perſecutor cauſæ perjuraſſe eos clara voce teſtatur.* Idem cap. 53. ejuſd. libr. *Ingreſsique baſilicam ſancti Martyris elevatis homo manibus, ad perjurandum, ipſe cum elevatis manibus quaſi amens totus inriguit.* Ditmar. libr. 5. *Hocque dextris manibus elevatis affirmatur.*

Cap. 17. *In modum tentorij quod ab imo ex amplioribus incæptum faſcijs anguſtatis in altum, in vnum cuculli caput ſæpè colligitur.* Cucullus eſt veſtis ab imo laxior & latior, quæ eſt anguſtior & ſtrictior ea parte qua tegit caput. Gregor de vit. Patr. cap. 8. *Capſa autem hujus indumenti, ita dilatata erat atque conſuta, vt ſolent in illis candidis fieri, quæ per Paſchalia feſta Sacerdotum humeris imponuntur* & infra. *Verùm vbi deciſo cucullo, aptatis pedulis pedes operuit.*

Cap. 18. *Itaque Nicetius per emiſsionem Eulalij, à Comitatu Arverno ſubmotus, Ducatum à Rege expetijt, datis pro eo immenſis muneribus, & ſic in vrbe Arverna Ruthena, atque Vcetica Dux ordinatus eſt.* Comites præerant ſingulis pagis, Duces univerſis Provincijs. Gregor. infr. hoc libr. cap. 26. *Turonicis vero atque Pictavis Ennodius Dux datus eſt.* Idem libr. 9. cap. 7. *Ennodius cum Ducatum vrbium Turonicæ atque Pictavæ miniſtraret, adhuc & vici Iulienſis, atque Benarnæ vrbium Principatum accepit.* Et Gregor. infr. hoc ipſo cap. de Childerico Saxone qui à Guntrano tranſijt ad Childebertum. *Sed ille accepta libertate recipiendæ vxoris clam ad eum tranſijt, adeptaque ordinatione Ducatus, in civitatibus vltra Garonnam, quæ in poteſtate ſupradicti Regis habebantur acceſsit.*

Gundobaldus autem Comitatum Meldenſem ſuper VVuerpinum competijt, ingreſſuſque vrbem cauſarum actionem agere cœpit. Comites præerant juri dicundo. Gregor. de mirac. Martyr. libr. 2. cap. 16. *Quid etiam ad Becconis Comitis confutandam ſuperbiam beatus Martyr ſit operatus evolvam, hic cùm actiones ageret publicas, & elatus jactantiâ multos contra juſti-*

tiam aggravaret caſu contigit, &c. Idem de mirac. D. Martin. libr. 3. cap. 53. *Quod audiens Abbas Monaſterij à loco proximo currit ad Comitem, rogaturus pro eo, obtentaque ab eo rei hujus vita, redijt, vinumque reperijt.* Ijdemque habebant Vicarios, qui abſente Comite judicabant. Gregor. infr. libr. 10. cap. 5. *Reſponderunt hoc Annimodi Vicarij dolo, qui pagum illum judiciaria regebat poteſtate factum fuiſſe, protinuſque directis Rex litteris ad Comitem vrbis, jubet vt eum vinctum, in præſentia Regis dirigeret.* Hi ſunt quos hodie vocant *Viguiers*. Comites luſtrabant pagum, & per vicos pagenſibus jus dicebant, & hoc eſt quod inſinuat Gregorius infra hoc cap. *Exinde dum Pagum vrbis in hoc officio circumiret, in quadam villa à VVerpino interficitur.* Odo Cluniacenſ. vit. S. Geraldi Comit. libr. 1. cap. 19 *In craſtinum vero Mallenſibus, vndique ad ſeniorem confluentibus jubet reum adduci.*

Incluſumque in penſilem domum interimunt. Incluſus in penſili domo transfoditur, penſilis domus appellatione fortè intelligi oportet caveam. Quales ſunt caveæ quibus feræ includuntur. Q. Curtius libr. 5. cap. 1. *Leones quoque & pardales caveis præferebantur.* Teleſphorum Rhodium à Lyſimacho Rege, velut feram in cavea diù paſtum refert Senec. de ira libr. 3. cap. 17. *Nam Teleſphorum Rhodium amicum ſuum decurtatum cùm aures illi naſumque abſcidiſſet, in cavea velut novum ánimal aliquod, & inuſitatum diù pavit*, vel penſilis domus eſt ſolarium ſeu ambulatorium penſile projectum extra parietes ædium. Plin. libr. 36. cap. 12. *Hic idem Architectus primus omnium penſilem ambulationem Gnidi feciſſe traditur*, ut & penſiles horti ſunt horti impoſiti teſtudini arcis quales Semiramis Babylone condidit. Plin. libr. 19. cap. 4. *Et quoniam antiquitas nihil prius mirata eſt, quàm Heſperidum hortos, ac Regum Adonis & Alcinoï, itemque penſiles ſive illos Semiramis ſive Aſſyriæ Rex Cyrus fecit.* Curtius libr. 5. cap. 1. *Super arce vulgatum Græcorum fabulis miraculum penſiles horti ſunt*, memorantur & penſiles horti Memphitici. Plin. libr. 36. cap. 14. *Legitur & penſilis hortus, imò verò totum oppidum Ægyptiæ Thebæ.*

Interim dies placiti advenit, & Epiſcopi ex juſſu Regis Guntchramni apud Matiſcenſem vrbem collecti ſunt. Anno Chriſti Cap. 20.

775. Synodus Matiſconenſis 2. congregata eſt juſſu Guntramni Regis. Ea ætate pleræque Synodi Galliæ Regum juſſu aut voluntate convocatæ, & eorum ſæpius conſeſſu præſentiaque cohoneſtatæ.

Fauſtinianus autem qui ex juſſu Gundobaldi Aquenſis vrbis Epiſcopus ordinatus fuerat, ea conditione removetur, vt eum Bertchramnus, Oreſteſque ſive Palladius qui eum benedixerant, vicibus paſcerent, centenoſque ei aureos annis ſingulis miniſtrarent. In Synodo Matiſconenſi depoſitus eſt Fauſtinianus Aquenſis E. qui juſſu Gundobaldi ordinatus fuerat, ea lege ut Bertramnus Burdegalenſis Epiſcopus, qui eum mandarat conſecrandum, tamquam Metropolitanus, Oreſtes Vaſatenſis, & Palladius Santonenſis Epiſcopus à quibus conſecratus fuerat, per vices eum alerent, præſtita ei annua penſione centum aureorum, in pœnam temerariæ ordinationis.

Nicetius tamen ex Laïco qui priùs ab Chilperico Rege præceptum elicuerat in ipſa vrbe Epiſcopatum adeptus eſt. Nicetius ex Laïco Epiſcopus Aquenſis ordinatus ex præcepto Chilperici Regis. Hoc vitio ſeculi factum contra Canones Gregor. infr. h. libr. cap. 22. *Laban Heloſenſis Epiſcopus hoc anno obiit, cui Deſiderius ex Laico ſucceſsit, cùm jurejurando enim Rex pollicitus fuerat, ſe numquam de Laicis Epiſcopum ordinaturum.*

Vrſicinus Cadurcenſis Epiſcopus excommunicatur, pro eo quod Gundobaldum excepiſſe publicè eſt confeſſus In eadem Synodo Urſicinus Cadurcenſis Epiſcopus excommunicatus eſt, ob ſuſceptum Gundobaldum id eſt per triennium ſuſpenſus ab officio Epiſcopali, ſalva adminiſtratione rerum Eccleſiæ, ut patet ex his quæ ſequuntur.

Accepto hujuſmodi placito, vt pœnitentiam tribus annis agens, neque capillum neque barbam tonderet, vino & carnibus abſtineret, Miſſas celebrare, Clericos ordinare Eccleſiaſque & Chriſma benedicere, eulogias dare, penitus non auderet. Pœnitentes deponebant comam, id eſt dimittebant capillum per tempus pœnitentiæ Conc. Agathenſ. can. 15. can. pœnitentes 50. diſt. Auguſtin. de temp. ſerm. 58. *Quaſi vos quando pœnitentiam ſuademus, hoc dicamus vt vnuſquiſque magis ſibi capillos ſtu-*

deat auferre , & non peccata dimittere , & veſtimenta potius evellat quàm mores Idem ſerm. 67. de temp. *Ego iuvenis homo vxorem habens, quomodo poſſum, aut capillos minuere, aut habitum religionis aſſumere.* Ijdem abſtinebant à carne can. Presbyter 81. diſt. Sidon. libr. 4. cap. 24. *Menſa nec ita carnibus abundans , vt leguminibus , certè ſi quid in cibis vnctius, non ſibi, ſed hoſpitibus indulgens. Cum ſurgeremus clam percontor adſtantes , quod genus vitæ de tribus arripuiſſet ordinibus , Monachum ageret , an Clericum pœnitentemve.* Epiſcopo quaſi publica pœnitentia imponitur contra Canones , Clericis enim non indicitur publica pœnitentia Conc. Carth. 5. can. 11. can. conſiderandum 50. diſt. & d. can. Presbyter.

Vtilitas tamen Eccleſiæ , per ejus ordinationem , ſicut ſolita erat, omninò exerceretur. Urſicinus Epiſcopus per triennium ſuſpenſus ab officio Epiſcopali , impropriè dicitur excommunicatus ejus rei argumentum eſt , quod interim non amiſit adminiſtrationem rerum Eccleſiæ, qua caruiſſet , ſi eſſet excommunicatus. Innocent. III. in cap. paſtoralis §. verum extr. de appellat. *Et illi proventus Eccleſiaſtici merito ſubtrahuntur, cui Eccleſiæ communio denegatur.*

Apud Belſonancum villam , quæ in medio Ardoennenſis ſylvæ ſita eſt. Ardoenna vel Ardenna ſylva Fortunat. libr. 7 cap. 4. Cap. 21.
Ardennæ an Voſagi , cervi capræ , Helicis vrſi. & in vit. Caroli. *M. primo Aquiſgrane , deinde Ardennam petit , & venatiobus indulgens , Aquiſgrani reverſus eſt* , Gallis *les Ardennes.*

Laban Heloſenſis Epiſcopus. Eluſa olim Metropolis Novempopuloniæ , quæ hodie eſt ignobile oppidum vulgo dictum *Euſe* , de quo dix. rer. Aquitanic. libr. 1. cap. 16.

Arceſſitoque VValdone Diacono , qui & ipſe in baptiſmo Bertchramnus vocitatus eſt , ſummam ei Sacerdotij deputat , omneſque conditiones tam teſtamenti , quàm benemeritorum ſuorum ipſi committit. Bertramnus Burdegalenſis Epiſcopus , VValdoni Diacono diſpoſitionem teſtamenti ſui commiſit, jure civili teſtamentum non poteſt conferri in arbitrium alterius l. illa inſtitutio ff. de hered. inſtit. ſed jure pontificio favore piæ cauſæ teſtamentum poteſt committi alterius diſpoſitioni cap. cum

tibi extr. de teſtam. imo & ſi quis morte præventus, non diſpoſuiſſet, id eſt legata pia reliquiſſet teſtamento pro ſalute animæ ſuæ, uxori & liberis licuit ea ſupplere boni viri arbitrio ex conſtitut. Henrici I. Regis Anglor. quæ extat apud Matth. Paris ad ann. 1110. *Et ſi quis Baronum, vel hominum meorum infirmabitur, ſicut ipſe dabit, vel dare diſpoſuerit pecuniam ſuam, ita datam eſſe concedo, quod ſi ipſe præventus vel armis, vel infirmitate, pecuniam ſuam nec dederit, nec dare diſpoſuerit, vxor ſua ſive liberi, aut parentes, & legitimi homines ſui, pro anima ejus eam dividant, ſicut eis meliùs viſum fuerit.* Conditiones teſtamenti, pro factione teſtamenti, conditiones Monaſterij pro rebus Monaſterij Gregor. infr. hoc libr. cap. 41. *De ſuperſcriptis conditionibus coram Domino & Sanctis ejus precabiliter commendatis.*

Cap. 26. *A Rauchingo Duce facto ingenio, cum ſatellite alligatur.* Ingenium machina bellica *engin.* Godefrid. Monach. in Annal. ad ann. 1111. *Reſpondit vobis quod juxta catenam antedictam faceret naves ſuas protrahi, ſuas erigens petrarias, cum inſtrumentis varijs ſuper naves, nos quoque noſtra faceremus ingenia erigi ſuper terram* Rauchingi meminit Gregor. libr. 5. cap. 3.

Scilicet ſi mortalis adſultu, vitales non diſſolveret fibras. Adſultus à verbo adſilire eſt oppugnatio ſeu impreſſio bellica Gregor. infr. cap. prox *Quod ſi adſultu ſegniore gladius defixus eſſet*, & idem libr. 10. cap. 26. *Illiſque colloquentibus, in vno vt ita dicamus adſultu puerorum manus liberata* Idem de mirac. libr. 1. cap. 84. *Improbitates ſeditioſorum, & adſultus ſenſuum ſæpiùs ſe evaſiſſe horum virtutibus teſtabatur.* Idem de mirac. eorumd. libr. 2. cap. 5. *Tunc ille qui ſequebatur, cum in adſultu gladij eum non potuiſſet attingere.* Baldric. Noviomenſ. libr. 3. cap. 72. *Muncipium verò illud aſſultu opprimitur.* Gall. *Aſſaut.*

Et conſiderate ſæpiùs fortes viros, in bello corrüere, vnde nunc parentes eorum nobiles effecti. Morte fortium virorum in bello, eorum liberi nobilitantur, fortes viri ſunt viri nobiles, & militia clari Gregor. ſupr. lib. 3. c. 18. *Tertium verò Chlodoaldum comprehendere non potuerunt, quia per auxilium virorum fortium*

tium liberatus eſt. Fredegar. cap. 38. *Cæſa eſt de exercitu eodem prælio ingens multitudo virorum fortium.* Idem cap. 74. *Scaram de electis viris fortibus.* Idem cap. 90. *Etiam & Pontifices ſeu nobiles & fortes, quos congregare potuerat* Eadem analogia fortes viros, pro nobilibus genere accepit Auguſtin. contra Maximin. libr. 2. cap. 6. *Filius viri fortis ſi non habeat fortitudinem degener eſt, quia fortitudo plerumque deſcendit in genere.*

At illa dubios cernens, medicatos potione direxit. Medicata potione timor pellitur, ideo damnatis dabatur vinum myrrharum, metus mortis conſopiendi causâ. Marc. 15. *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum, & non accepit.* Et hoc eſt quod dicitur vinum damnatorum Amos. 2. *Et vinum damnatorum bibebant, in domo Dei ſui.* Laudatiſſimum fuit hoc genus vini Plin. libr. 4. cap. 14. Martial. 20. epigr. 80.

Duces verò ſupradicti exercitus ad Baſilicam ſancti Symphoriani martyris expetierunt. Hæc eſt baſilica ſancti Symphoriani martyris apud Auguſtodunum cujus meminit Gregor. ſupr. libr. 2. cap. 15. & Fortunat. in vit. S. Germani Pariſ. E. apud Surium. Symphoriani martyris Auguſtodunenſis meminit & Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 52. Cap. 30.

Repræſentati ſunt ſub conditione audientiæ in poſtmodum futuræ. Duces Guntrani R. ei repræſentati, ſub conditione audientiæ, id eſt fide data, ut audirentur, eodem ſenſu conditionis noxa, pro pactioni contraventione uſurpatur infr. libr. 10. cap. 28. *Pactionem quam tecum pepigi cuſtodire cupio inlibatam, quàm ſi tua conditionis noxa non omiſerit.*

Poſtea verò quatuor convocatis Epiſcopis, nec non & majoribus natu Laïcorum Duces diſcutere cœpit. Epiſcopi cum majoribus natu Laïcis ex mandato Regis cognitionem habuére de Ducibus qui in expeditione Gothica prædas exercitus regij paſſi erant. Epiſcopi & Comites mittebantur per Provincias juris dicendi cauſa. Plerumque Epiſcopi & Comites erant legati & miſſi Regum Gregor. libr. 9. cap. 18. *His auditis Rex dirigit illuc legationem, id eſt Namatium Aurelianenſem, & Bertchramnum Cenomannenſem Epiſcopum cum Comitibus & alijs viris magnificis.*

Illi verò Eccleſias ædificantes, in Deum ſpem omnem ponentes,

Martyres honorantes, Sacerdotes venerantes, victorias obtinuerunt Francorum Reges cum Chriſto vicerunt & in gratiam accepti beneficij Eccleſias & Monaſteria ad Dei & Sanctorum cultum ædificarunt & dotarunt, ut Clodoveus Baſilicam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli apud Pariſios, quæ hodie dicitur S. Genovefæ, Childebertus baſilicam ſancti Vincentij quæ poſteà dicta eſt S. Germani, Dagobertus Baſilicam ſancti Dionyſij, & aliàs alij.

Sed quia omnia quæ gloria veſtra profert, recta veraque eſſe cenſentur. Gloria tribuitur Regibus Francorum ſupr. libr. 4. cap. 41. *Et ideo gloriæ veſtræ præceptionem depoſco*, & infr. libr. 9. cap. 20. Felix unus è legatis Childeberti ait ad Guntranum Regem. *Perveniſſe ad gloriam veſtram credo*, & ſupr. lib. 4. cap. 26. *Salve Rex glorioſe*, & infr. libr. 9. cap. 19. *Vitam peto à te glorioſe Rex.*

Nullus Regem metuit, nullus Ducem, nullus Comitem reveretur, Duces & Comites proximi poſt Regem. Auguſtin. in Pſalm. 61. *Et Duces ſunt, & Comites ſunt, & Reges ſunt.*

Nè nos diutiùs hoc blaſphemium proſequatur. Blaſphemium eſt execratio Gregor. infr. h. libr. cap. 41. *Tu hic blaſpemium ſuper me intuliſti.* Blaſphemare eſt execrare Gregor. libr. 5. cap. 47. *Reſidentibus autem illis unus Presbyterorum cœpit Antiſtitem memoratum, impudicis blaſphemare ſermonibus.*

Richaredus filius Leuvieldi de Hiſpanijs egreſſus Caput arietis caſtra obtinuit, & ex Pago Toloſano maximam partem depopulatus eſt. Caput Arietis caſtrum Pagi Toloſani, hodie *Caſtelnaudarry.* Petr. Vvalliſernenſ. Hiſt. Albig. cap. 69. & 70. *Caſtrum novum Arij*, in agro Lauracenſi. *C'eſt le Lauragois.*

Vgernum Arelatenſe caſtrum irrupit. Ugernum notiſſimum caſtrum Arelatenſium, hic Avitus Auguſti nomen ſuſcepit Sidon. carm. 7.

> *Vgerni quo fortè loco pia turba Senatus*
> *Detulerat vim vota preces.*

Ejuſdem meminit Gregorius infr. libr. 9. cap. 7. *Unum etiam caſtrum Vgernum nomine, cum rebus, atque habitatoribus deſolantes nullo reſiſtente, regreſsi ſunt.* Et Cyprian. Diaconus in vit. Cæſarij Arelatenſ. apud Surium.

Et ille, ego ſemper & in exilio, & extra exilium Epiſcopus fui, ſum & ero. Prætextatus Rothomagenſis Epiſcopus poſt mortem Chilperici Regis redux ab exilio, dicente Fredegunde fore aliquando ut exilium repeteret, ait ſe ſemper in exilio fuiſſe & futurum Epiſcopum. Epiſcopus per vim ſecularem exulans, non amittit Epiſcopatum ut probatur de Silverio can. Guiliſarius 23. qu. 4. de ſe ipſo teſtatur Hilarius Pictavienſis Epiſcopus exulans Conſtantij Imp. juſſu, pro defenſione fidei libr. ad Conſtantium. *Epiſcopus ego ſum in omnium Gallicarum Ecclesiarum, atque Epiſcoporum communione licet in exilio permanens, & Ecclesiæ adhuc per Presbyteros meos communionem diſtribuens.* Et ipſe Hilarius in Phrygia exulans ad Synodum Seleucienſem inter cæteros Epiſcopos evocatus memoratur Sulpit. Sever. Hiſt. ſacr. libr. 2.

Adveniente autem Dominicæ reſurrectionis die, cùm Sacerdos ad implenda Eccleſiaſtica officia, ad Ecclesiam maturius properaſſet, antiphonas juxta conſuetudinem incipere per ordinem cœpit. Epiſcopus diebus ſolemnibus maximè, incipiebat antiphonam, id eſt initium pſalmi, quem chorus canebat alternis. Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 1. cap. 6. de Perpetuo Turonenſ. Epiſcopo. *Tunc jactans pallium quo vtebatur, poſuit manum ad ſarcophagum cum reliquis Sacerdotibus, crucibus paratis ac cereis, impoſitaque antiphonâ, dederunt cuncti voces pſallentes in excelſo.* Idem de vit. Patr. cap. 4 de B. Quintiano. *Die tertia cum jam portæ civitatis appropinquarent ſuggerunt ei vt ipſe antiphonam dignaretur imponere, dicentes ſi tu beate Pontifex devotè antiphonam impoſueris, confidimus de ſanctitate tuâ, quod protinus nobis Dominus, pluviam dignabitur benignâ pietate largiri.*

Cumque inter pſallendum formulæ decumberet, crudelis adfuit homicida, qui Epiſcopum ſuper formulam quieſcentem extracto baltei cultro, ſub aſcella percutit. Prætextatus Rothomagenſis Epiſcopus ferro percuſſus à ſiccarijs ſubmiſſis, per Fredegundem, dum formulæ incumberet pſallens in Eccleſia. Formula eſt pulvinum ſuper quo Epiſcopi & Abbates genua flectebant in Eccleſiâ. Gregor. de glor. confeſſ. cap. 92. *Factum eſt autem vt quadam vice S. Germanus Pariſiacæ vrbis Epiſcopus ad hunc*

tumulum vigilias celebraret, haud procul formulam habens in qua genua cùm neceſſitas cogeret, deflectebat. Idem de vit. Patr. cap. 19. de B. Ingunde *Nullum habens ſtratum fœni, niſi tantùm illud, quod intextis junci virgulis fieri ſolet, quas vulgò nattas vocant, hoc ſuperponens formulæ, hoc ſolo ſuperſternens,* & in vit. S. Eugendi Abbatis Agaunenſ. apud Surium 1. Januar. *Nam cùm ipſe noctibus certè oratu longiſſimo, atque ſecreto cunctos in oratorium diutiſſimè anteiret, poſt omnium quoque diſceſſum, nihilominus formulæ ſuæ incumbens, oratione diutinâ paſcebatur in ſpiritu,* vulgò *vne forme.* Petrus Valleſſern. Hiſt. Albigenſ. cap. 17. *Librum Pſalterij quem ſuper formulam invenit.*

Ad quem ſepeliendum Romacharius Conſtantinæ urbis Epiſcopus advenit. Romacharius E. Conſtantienſis adfuit ad funus Prætextati RothomagenſisEpiſcopi. Ad funus Epiſcopi convenire debent comprouinciales Epiſcopi Gregor. de vit. Patr. cap. 6. de Gallo Arvernenſi Epiſcopo. *Exin ablatus, atque veſtitus in Eccleſiam defertur, donec comprovinciales ad eum ſepeliendum convenirent.* Conſtantienſis Epiſcopus eſt unus è ſuffraganeis Rothomagenſis Archiepiſcopi, Conſtantiana caſtra, *C'eſt Conſtance en Normandie.*

Quo expectante, accepto poculo, bibit Abſinthium cum vino & melle mixtum, vt mos Barbarorum habet. Veteribus in delicijs erat vinum abſyntiatum. Lamprid. in Heliogabal. *Roſato atque abſintiato vulgus ad bibendum invitavit.* Capitolin. in Gordian. *Semper tamen vndecumque conditi, nunc roſa nunc maſtiche, nunc abſinthio, cæteriſque rebus quibus gula maximè delectatur.* Plin. libr. 27. cap. 7. *Siquidem Latinarum ferijs quadrigæ certant in Capitolio, victorque abſinthium bibit, credo ſanitatem præmio dari.* Barbaris in delicijs fuit vinum abſinthio & melle conditum, melle ſolebat temperari vinum aſperum Virgil. 4. Georgic.

Dulcia mella premes, nec tantùm dulcia quantùm
Et liquida, & durum Bacchi domitura ſaporem.

Ubi Servius, *quia matres vina aſperrima mellis dulcedine temperabant.* Auguſtin. de Trinit. libr. 9. *Num ergo ſicut ex vino, aquâ & melle vna fit potio.* Vinum abſynthiacum id eſt

abſynthio conditum inter vota epularum laudat & Ambroſ. libr. de Thobia cap. *Si quis inſtaurandum convivium putat, ad negotiatorem mittit, vt abſynthiaci cupellam ſibi gratis deferat.*

Magnus tunc omnes Rothomagenſes cives, & præſertim ſeniores loci illius Francos, mœror obſedit. Ea ætate adhuc Franci, qui medij habitabant in Gallia inter Provinciales, diſtinguebantur ab his, & dicebantur Franci, Provinciales Romani. Et in Gallia Narbonenſi Gothi pariter diſtinguebantur à Romanis. Conc. Narbonenſe celebratum ſub Recaredo Rege anno Chriſti 589. *In cujuſcumque domo Gothi Romani fuerint inventi.* Fortunat. libr. 9. c.16.ad Chrodinum Ducem. *Gentibus obſtrictus, Romanis charus haberis*, & Britanni pariter diſtincti à Romanis in Armoricâ, Conc. Turon. 2. can. 9. *Ne quis Britannum, aut Romanum in Armorico ſine Metropolitani, aut comprovincialium voluntate, vel litteris Epiſcopum ordinare præſumat*, & à Francis diſtincti Romani Fredegar. cap. 24. *Cùm jam Protadius genere Romanus, vehementer ab omnibus in palatio veneraretur*, à Francis diſtincti Arverni Gregor. ſupr. lib. 4. cap. 33. *Legatos ad Iuſtinianum Imperatorem miſit, pacem petens id eſt VVarniarium, & Firminum Arvernum.* & maximè Provinciales quia erant Hæretici, id eſt Arriani. Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 79. *Gomacharius Comes Agathenſis* (is erat Gothus) *ait ſuis, quid putatis, quid iſti nunc Romani dicant.* Idem eod. libr. cap. 80. *Si conſenſeris dictionibus meis exerceamus hodie cachinnum de hoc Romanorum Preſbytero.* A Provincialibus Francos diſtinctos innuit & Gregor. infr. libr. 10. cap. 2. *Erant enim ibi tunc legati Bodegiſilus filius Mummoleni Sueſsionici, & Evantius filius Dinamij Arelatenſis, & hic Grippo genere Francus.* Idem eod. libr. cap. 27. *Inter Tornacenſes quoque Francos non mediocris diſceptatio orta eſt.*

Poſt hæc Leudovaldus Epiſcopus, epiſtolas per omnes Sacerdotes direxit, & accepto conſilio Eccleſias Rothomagenſes clauſit, ut in his populus, ſolemnia divina non ſpectaret, donec indagatione communi, reperiretur hujus auctor ſceleris. Leudovaldus Epiſcopus poſt necem Prætextati interdixit omnibus Eccleſijs Rothomagenſibus, donec auctor necis deprehenderetur. Sic

Leo Agathenſis E. Eccleſiæ ſacris interdixit ob prædium Eccleſiæ vi occupatum à Gomachario Comite Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 79. *Mane autem facto accedit ad lychnos, qui de camerâ Eccleſiæ dependebant, extendenſque virgam quam tenebat in manu, effregit cunctos dicens non hic accendatur lumen, donec vlciſcatur Deus de inimicis, & reſtituat res domus ſuæ.* Sic & Franco Aquenſis E. Eccleſiæ interdixit ob villam Eccleſiæ occupatam à Childerico, & fores Eccleſiæ ſpinis clauſit. Idem de glor. Confeſſ. cap. 71. *Denique condemnatus ſpoliatuſque Sacerdos ad vrbem rediјt, atque proſtratus in orationem coram ſepulchro ſancti, dicto pſalmi capitulo ait, non hic accendetur lumen, neque pſalmorum modulatio canetur glorioſiſsime ſancte, niſi prius vlciſcaris ſervos de inimicis ſuis, reſque tibi violenter ablatas, Eccleſiæ ſanctæ reſtituas.* Anno Chriſti 878. Joannes 8. R. Pontifex Eccleſiæ S. Petri interdixit, altaria cilicio velavit, ob captivitatem quam paſſus eſt à Lamberto & Alberto Comitibus. Annal. Franc. ad hunc ann. *Landbertus VVitonis filius, & Albertus Bonifacij filius Romam cum manu validâ ingreſsi ſunt, & Ioanne Romano Pontifice ſub cuſtodia retento optimates Romanorum fidelitatem Carlmanno ſacramento firmare coëgerunt. quibus inde deſcendentibus idem Pontifex domum ſancti Petri ingreſſus, omnes theſauros quos ibi reperit, ad Lateranis tranſtulit, & altare ſancti Petri cilicio cooperuit, & cuncta oſtia ejuſdem Eccleſiæ clauſit, nullumque ibi officium ad Dei cultum pertinens per plures dies celebratum eſt*, &c.

Tunc deruente igne, ſuper vinctos carceris, adparuit eis beatus Germanus, & comminuens trabem atque catenas quibus vincti tenebantur, reſerato carceris oſtio, vinctos abire permiſit incolumes. Vincti tenebantur catenis ad trabem. Per hoc tempus Pariſiorum civitas magno flagravit incendio, in quo vincti ſoluti à B. Germano Epiſcopo Pariſienſi. Sic vincti ſoluti in tranſitu reliquiarum B. Martini Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 3. cap. 47. idem in funere. B. Gregorij Lingonenſis E. idem de vit. Patr. cap. 7.

Illi vero egreſsi ſe ad baſilicam ſancti Vincentij, in quâ ſepulchrum habetur beati Antiſtitis, contulerunt. Germanus Pariſienſis E. ſepultus in baſilica beati Vincentij, quæ ab eo nomen ac-

cepit S. Germani. Idem Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 90. *Paralyticus qui in portìcu Baſilicæ ſancti Vincentij, in qua beatus Germanus requieſcit in corpore, reſidebat, dirigitur.* Vincti ſoluti gratia S. Germani ſtatim ad ejus baſilicam ſe conferunt gratias acturi, curati ope Sanctorum, annuum cenſum ſancto præſtitare ſolebant, in gratiam beneficij Gregor. de glor. confeſſ. cap. 103. *Teſtiſque eſt ipſe populus hodieque qui cùm ſanitatem recipiunt ſtatim ſe tributarios loco illi faciunt, ac recurrente circulo anni, pro redditæ ſanitatis gratia tributa diſſolvunt.*

Adpropinquare ad aliam portam cœpit, in qua Beati Martini oratorium habebatur, quod ob hoc aliquando factum fuerat eo quod ibi lepram maculoſi hominis oſculo depuliſſet. Oratorium extructum ad portam urbis Pariſiorum ad quam B. Martinus leproſum oſculo mundavit. Hic poſtea ſurrexit nobile cœnobium beato Martino ſacrum, prioratus ordinis Cluniacenſis Martinus quod notandum, leproſum oſculo mundavit, pro ſimplicitate ætatis, oſculum erat pro ſalutatione. Auguſtin. in Geneſim libr. 1. cap. 87. *Conſuetudinis quidem fuit, maximè in illa ſimplicitate autiquorum, vt propinqui propinquos oſcularentur, & hoc hodiè fit in multis locis.* Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 3. cap. 17. *Igitur Sigo Referendarius quondam Sigiberti, ad occurſum noſtrum accedit, oſculatumque juxta me ſedere depoſtulo.*

Aïebant enim hanc vrbem, quaſi conſecratam fuiſſe antiquitus, vt non ibi incendium prævaleret, non ſerpens non glis apparuiſſet. Ante hæc tempora Pariſiorum civitas nullum paſſa eſt incendium, non anguis, non glis ibi viſus eſt, ſed poſtquam in purgando cuniculo pontis, ſerpens gliſque æreus inventus eſt, ex eo ibi fuit copia ſerpentum & glirium, & incendia crebra. Simile quid evenit Conſtantinopoli boum peſtis ſecuta eſt, invento in fundamentis palatij bovis marmorei capite, & confracto, & in calcariam fornacem conjecto Cedren. in Roman. 3. Etiam parietes ædium deprecationibus adverſus incendia inſcribi ſolebant Plin. libr. 28. cap. 2. *Etiam parietes incendiorum deprecationibus conſcribuntur.*

Erat autem ibi crypta ab antiquis tranſvoluto elegantique opere Cap. 34. *expoſita.* Crypta tranſvoluto opere eſt crypta camerata voluta

eſt camera ſeu fornix, Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 35. *in baſilica autem ſancti Venerandi, quæ ſancti Illidij eſt proxima, tranſvoluta cellula à parte Occidentis fuit*, inde corruptum Grota Guillelmus Brito Philippid. libr. 10.

Dum tu conaris Monachi ſubvertere Crotam
vulgò *Grote*.

Poſt hæc pavorem validum perpeſſus clamare cœpit. Pavor eſt timor puerilis. Gregor. de mirac. D. Martin. lib. 2. c. 11. *Conjux Aniani Tribuni, nomine Vnimota, nocte conterrita à pavore vſum vnius pedis perdiderat*, vel pavor eſt vanus timor Lamprid. in Heliogobal. *Habuit Leones & Leopardos exarmatos in delicijs, ignorantibus cunctis, quod exarmati eſſent, ad pavorem & ridilum excitandum*, id eſt pavorem quem ſequebatur riſus re compertâ.

Collidens palmas, & clamans ſe à Sanctis Dei peruri. Energumenus colliſis palmis clamat ſe uri à Sanctis Dei. Colliſio palmarum ſignum lugentium & quiritantium Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 106. *Inter ſonos fletuum, atque conliſiones palmarum.*

Cap. 35. *Ex quibus pauci quodammodo ſcaphis erepti.* Scapha eſt navicula parva, in uſum navis G. Cæſar de bell. Gall. libr. 4. *quod cùm animadvertiſſet Cæſar ſcaphas longarum navium, item ſpeculatoria navigia compleri juſsit.* Et Petron. in Satyric. *Quin potiùs ad temeritatem confugimus, & per funem lapſi deſcendimus in ſcapham.* Hinc inter Juriſconſultos diſputatum eſt an ſcapha eſſet pars ſeu membrum, vel inſtrumentum navis l. ſcapham ff. de evict. l. ult. de inſtruct. inſtr. legat.

Stante Rege & ludum ſpectante, qualiter animal catervâ canum circumdatum fatigatur, quale eſſet animal non expreſſit, ſed fuiſſe cervum aut lupum probabile eſt, beſtiam pro lupo accepit Gregorius de mirac. D. Martin. libr. 4. cap. 5. *Servus Theodulphi civis Turonici cuſtos ovilis dum nocte circa gregem creditum excubaret, nè quicquam ex eo aut beſtia raperet, aut fraus furis auferret.* Simili ſtylo vadum indicio animalis, id eſt feræ oſtenſum Gregor. libr. 4. cap. 39. *Sed cùm Eſeram fluvium exercitus laborioſè tranſiret, nutu Dei animal amnem ingreditur, vadum oſtendit.* Fatigare eſt agitare, vexare Gregor. de glor.

Confeſſ. cap. 62. *Sed à quibuſdam civitatis majoribus opprimebatur atque fatigabatur.* Idem eod. libr. cap. 66. *Puer vnus ex veſtris à febre corripitur, fatigatur vomitu.* Inde fatigatio, idem de mirac. D. Martin. lib. 3. cap. 1. *Et priùſquam limina ſancta egrederer, nullam fatigationem ſenſi.*

Nùm ideò quia Clericus factus ſum, vltor injuriarum mearum non ero. Notatur Badegiſilus Cenomannenſis Epiſcopus, quod propriaſ ulciſceretur injurias, quaſi non prohiberetur eo quòd Epiſcopus eſſet. Epiſcopus non debet ulciſci privatas injurias. Gregor. libr. 1. epiſt. 34. notat Januarium Epiſcopum quod quendam excommunicarit ob propriam injuriam can. inter querelas 23. qu. 4. & Gregorius noſter infr. cap. 40. h. libr. ſe excuſat quod excommunicarit Pelagium ob vim & injuriam factam ſuis, *quod factum*, inquit, *cùm comperiſſem, eum à communione ſuſpendi non quaſi vltor injuriæ meæ, ſed vt faciliùs eum ab hac inſania redderem emendatum.* Cap. 38.

Badegiſili Cenomannenſis Epiſcopi meminit, & Gregor. de mir. D. Mart. libr. 3. cap. 35.

Quinto autem anno Epiſcopatus ſui expleto, cùm jam ſextum ingrediens, epulum civibus, cum immenſa lætitia præparaſſet. Epiſcopi quinquennalia, & decennalia celebrabant, in his ſolemne epulum. Quinquennalia decennalia vicennalia & tricennalia inſtituta ab Imperatoribus de quibus fusè vir doctiſſimus Bulenger. de Imper. libr. 3. cap. 1.

Multas altercationes cum relicta illius defuncti habuiſſe probatur. Relicta dicebatur uxor Epiſcopi, quia Epiſcopus quam primùm electus eſſet, ſecedebat ab uxore. Gregor. de glor. Confeſſ. cap 78. *Aïebat enim fuiſſe Antiſtitem in civitate ſuâ, cum conjuge, ſed cùm ad honorem Sacerdotij acceſsiſſet, lectulum juxta ordinem inſtitutionis Catholicæ ſequeſtravit, quod mulier valde moleſtum tulit.* Plerumque relicta pro vidua Gregor. lib. 9. cap. 1. *Richardus filius ejus fœdus inijt, cum Goiſintha relicta patris ſui* Idem ſupr. eod. libr. cap. 26. *Ingoberga Regina Chariberti quondam relicta migravit à ſeculo.*

Erat enim ineffabili malitiâ. Ineffabilis eſt qui fando exprimi non poteſt. Papias. *Ineffabilis dicitur Deus, quia de eo nihil dignè dici poteſt.* E contrà affabilis eſt jucundus & gratus affatu. Gregor. de vit. Patr. cap. 16. *Cumque vt ætati huic conveniret, amori ſe puellari præſtaret affabilem.*

Rr

Cap. 12. *Ob hoc furta, ſuperventa, pervaſiones.* Superventum eſt violentia repentina & improviſa. Pervaſio eſt invaſio, malè perputatio pro pervaſio. Conc. Andegau. can. 4. *vt à violentia & crimine perputationis abſtineant.* Gregor. de mirac. Martyr. lib. 2. cap. 15. *Ille immemor pervaſionis ſuæ, atque injuriæ quam intulerat.*

Venientibus hominibus veſtris, atque Echinum in vaſis deferentibus. Echinus eſt duplex, terreſtris quem vulgus vocat Erycium, ſeu Erinaceum, fluviatilis marinuſve, piſcis genus quod nomen traxit à terreſtri, ſetis aſperum Horat. epod. Ode 5.

Horret capillis vt marinus aſperis
Echinus, aut currens aper.

Quem imitatus Auſon. epiſt. 22. ad Paulin.

Horrens capillis vt marinus aſperis
Echinus, aut verſus mei.

Echinum in ſingulari dixit pro plurali, id genus enim piſcis copiam portaſſe homines Gregorij noſtri, qui in vaſis portitabant, & quorum vaſa capta à Pelagio quodam nequam homine, ſatis intelligere licet, quæ vaſa poſt mortem ejus recepta ſunt. *Vaſa quoque Echini, quæ pejeraverat, poſt obitum illius, ab ejus promptuario ſunt delata.*

At ille electis duodecim viris, vt hoc ſcelus pejeraret advenit, Pelagius voluit ſe purgare de objectis apud Gregorium duodecima manu, in atrocioribus criminibus purgatio ſolebat indici per ſacramenta duodecim hominum ingenuorum Conc. Triburienſ. *Nobilis homo vel ingenuus ſi in Synodo accuſatus crimen negaverit, ſi fidelem eum eſſe ſciverit, cum duodecim ingenuis ſe expurget.* cap. 1. de purgat. Canonic. can. nobiles 2. qu. 5. Aliàs purgationem indici moris fuit per tres aut quinque aut ſeptem teſtes Ivo Carnot. epiſt. 206 *Poſuerunt hæc in diſcretione Epiſcoporum, vt ſecundum quod audiunt malam famam Presbyterorum crebreſcere & ingraveſcere, exigant purgatoria ſacramenta à Presbyteris infamatis, cum tribus, aut quinque aut ſeptem collegis*, & hoc eſt purgationis genus, quod dicebatur tertia quinta aut ſeptima manu.

Erat autem eo tempore menſis primus, adveniente autem menſe

quinto, quo prata ſecari ſolent. Veteres numerabant menſes anni per primum ſecundum tertium ut infr. hoc libr. cap. 42. *nam menſe ſeptimo arbores viſæ ſunt floruiſſe.* Idem ſupr. h. libr. cap. 1. *Erat ea die ſolemnitas Beati Martini, id eſt IV. nonas menſis quinti.* Idem libr. 9 cap. 2. *Obijt autem menſe ſexto*, &c. cap. 3. ejuſd. libr. *Interea advenit feſtivitas S. Marcelli quæ apud urbem Cabillonenſem menſe ſeptimo celebratur.* Idem cap. 5. ejuſd. libr. *In vineis verò menſe octavo tranſacta vindemia.* Secundum antiquam computationem Latinorum annus incipiebat à menſe Martio gloſſ. in can. ordinationes 76. diſt. inde menſis Martius dictus eſt menſis primus Tertull. adv. Pſychicos. *Cur Paſcha celebramus annuo circulo in menſe primo.* Quandoque tamen menſes numerabant more Romanorum nominibus quemque ſuis Gregor. ſupr. libr. 4. cap. 31. *Quadam tamen vice in Calen. Octobris, ita ſol obſcuratus apparuit.* Idem libr. 5. cap. 17. *In Gallijs verò nos cum multis civitatibus, quarto decimo Calendas Maïas ſanctum Paſcha celebravimus, alij verò cum Hiſpanis duodecimo Calendas Aprilis*, &c.

Depoſuerat enim ſibi ſepulchrum in baſilica ſancti Martini, vici Condatenſis, quod detectum ſui, & effractum in fruſtra reperiunt, ſic poſteà in porticu ipſius baſilicæ eſt ſepultus. Pelagius Præfectus cuſtodum fiſcalium jumentorum, nimia præſumptione poſuit ſibi ſepulchrum in baſilica S. Martini vici Condatenſis, quod poſt ejus mortem effractum eſt, & is ſepultus eſt in porticu ipſius baſilicæ. Olim mortui non ſepeliebantur intra Eccleſiam, præter Epiſcopos vel Abbates aut dignos Preſbyteros, aut fideles laïcos id eſt bene meritos de Eccleſijs, vel pietatis laude commendatos Conc. Moguntin. 1 can. 52. *Nullus intra Eccleſiam ſepeliatur, niſi Epiſcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri aut fideles Laïci* can. nullus 13 qu. 2. idem Synod. Brach. 1. can. 36. Arelat. 3. can. 21. Meldenſ. can 72. Moris fuit Epiſcopos ſepeliri in Eccleſia, Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus elevavit reliquias SS. Gervaſij Prothaſij ſub altare, in quo ſibi ſepulturam deſtinaverat, teſtis ipſe epiſt. 85. *Hunc ego locum prædeſtinaveram mihi, dignum eſt enim, ut ibi requieſcat Sacerdos, ubi offerre conſuevit, ſed cedo ſacris victimis*

dexteram portionem , locus iſte martyribus debebatur. Dioſcorus Hermopolitanus Epiſcopus ſepultus in æde ſacra quæ eſt in ſuburbio Calcedonis quod Quercus dicitur Socrat. lib. 6. cap. 25. καὶ ταφῆς ἠξίωθη λαμπρᾶς , ἐν τῷ μαρτυρίῳ τῷ ἐν τῇ δρυὶ κηδευθεὶς. Sanctimonialis fœmina in Eccleſia ſepulta memoratur. Gregor. dialog. 4. cap. 51. *Hæc igitur defuncta , atque in Eccleſia ſepulta eſt.* Corpus Conſtantini conditum ante fores & porticum Eccleſiæ D. Petri Chryſoſtom. Homil. 66. ad Antioch. Theodoſius Junior Conſtantinopoli ſepultus in dextra porticu Eccleſiæ SS. Apoſtolorum , cum patre Arcadio , & matre Theodoſia, & avo Theodoſio. Nicephor. libr. 14. cap. 58. Poſteà Imperatores intra Eccleſiam ſepeliri inſtitutum Evagr. lib. 4. cap. 30. Majores in atrio Eccleſiæ ſepulti ut Pelagius hic & quidam major villæ. Baldric. Noviomenſ. libr. 3. cap. 22. *In atrio tamen quia major erat villulæ ſubterratus.* Otho II. ſepultus in atrio Eccleſiæ B. Petri Leo Oſtienſ. libr. 1. cap. 9. *Romam rediens eodem tempore defunctus eſt , atque in labro porphyretico ſepultus , in atrio Eccleſia Beati Petri Apoſtoli.* Condatenſis vicus eſt locus Turonenſis Diœceſis, in quo Martinus è vita migravit Gregor. ſupr. libr. 1. cap. 43.

Dum epularetur cum diverſis in triſtega. Triſtega eſt tectum ſeu ſummum tectum à Græcô τριςέγον Act. Apoſtol. cap. 20. ἀπὸ τοῦ τριςέγου. Ibi veteres cœnabant , unde pars iſta ædium dicta eſt cœnaculum l. 3. §. ult. ff. de offic. præſid. l. 1. §. ſi filiusf. de ijs qui dejec. vel effud. Latinis tritectum id eſt tertium tabularum. Ambroſ. in pſalm. 36. *Somno victus , de tritecto cecidit , & reſurrexit.*

Subito effracto pulpito domus , pulpitum eſt culmen tecti domus. Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 4. cap. 26. *Nihilominus & oſtium carceris , ſera ferro munita , obducta claue peſſulo obſerabatur , ſed virtus Antiſtitis lapides dimovit , dejecit pulpita, catenas confregit.*

Cap. 43. *Erant autem eo tempore dies Quadrageſimæ ſanctæ , & Epiſcopus in inſulam maris orationis cauſa ſeceſſerat.* Palladius Santonenſis Epiſcopus orationis cauſa ſecedere ſolebat in inſulam littoris Santonici , eodem ſeceſſu per quadrageſimam uſus eſt.

Eadbertus Lindiſfarnenſis E. Beda libr. 4. cap. 30. *Eadbertus Epiſcopus Lindiſfarnenſis & proximus ſucceſſor ſancti Cudberti, qui tum fortè in remotiori ab Eccleſia loco, repletis vndique pelagi fluctibus cincto, ſolitarius manere ſolebat, in hoc etenim ſemper quadrageſimæ tempus agere, in hoc quadraginta ante dominicum natale dies in magnâ continentiâ orationis & lacbrymarum devotione tranſigere ſolebat.* Monachis ſenioribus, & in perfectione regulari conſummatis, conceſſum ſecedere in ſolitarias cellulas Conc. Agath. can. 38. Caſſian. collat. 18. cap. 4. de quo in Aſcetic.

Cives cum homine obtinere non queunt, ut ſaltem vel celebrata ſolemnitate Paſchali diſcutiatur, in die Paſchali carcerati ſolvuntur, niſi teneantur pro atrociori crimine ut læſæ Majeſtatis vel alio l. nemo deinceps C. de Epiſc. audient. à Theodoſio in feſto Paſchatis carcerati per totum orbem ſoluti, per epiſtolam Chryſoſtom. orat. 20. ad Antiochen.

Metuit negare Epiſcopus, ſcripſit, ſubſcripsitque, ac tradidit agrum, Palladius Santonenſis Epiſcopus captus ab Anteſtio, ut ſe liberaret, ei vendidit & tradidit agrum quem habebat in pago Bituricenſi. Venditor dicitur ſcripſiſſe inſtrumentum venditionis & ſubſcripſiſſe, ea ætate contrahentes propria manu ſcribebant contractum, & ſubſcribebant, non enim notus erat uſus Tabellionum. Idem inſinuat Gregor. infr. libr. 9. cap. 42. *Quæ poſsidere videbamur factis chartis tradidimus.* Palladius Santonenſis Epiſcopus fuit è genere divitis Palladij. Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 60.

Mane autem facto procedente Rege ad matutinas. Reges ſolebant adeſſe ad matutinas, ut de Guntrano Rege traditum eſt hic, de Eorico Gothorum Rege Sidon. libr. 1. epiſt. 2. *Antelucanos Sacerdotum ſuorum cætus minimo Comitatu expetit.* De Friderico I. Imper. Radevic. de ipſius geſt. libr. 2. cap. 76. *Antelucanos Baſilicarum & Sacerdotum ſuorum cœtus, aut ſolus, aut minimo Comitatu expetit.* Cap. 44.

Hoc viſo Rex exclamavit dicens, non eſſe ſimpliciter ho-

minem ſub hoc honore noctis tali in loco quieſcere, ſimpliciter, id eſt ſine dolo, & malo conſilio. Q. Curt. libr. 4. cap. 14. *Præterea breves & mutabiles vices rerum ſunt, & fortuna numquam ſimpliciter indulget.*

Legatos, per diverſa loca exilio condemnari præcipit. Legati miſſi à Fredegunde ad Guntranum per varia loca relegati ob ſubmiſſum ſiccarium in Regem.

LIBR. IX.

QVÆ *autem ibi ipſa die virtutes apparuerunt.* Virtutes B. Radegundis hic pro miraculis ipſius, virtutes B. Martini Gregor. de mirac. ipſius libr. 2. cap. 60. *In quo cùm quinquaginta novem virtutes deſcripſiſſem.* Idem hoc libr. infr. cap. 4. *Erat enim eo tempore ipſe Pontifex magnis virtutibus præditus.* Cap. 1.

Interea advenit feſtivitas ſancti Marcelli, quæ apud vrbem Cabillonenſem menſe ſeptimo celebratur. Sanctus Marcellus martyr, Cabillone martyrium paſſus eſt ſub Antonino Imp. Priſco Præſide, ejus dies feſtus celebratur 4. Septembr. Martyrol. R. Cap. 3.

Verùm vbi peractis ſolemnibus, ad Sacroſanctum altarium communicandi gratia acceſsiſſet. Sacra Communio poſt miſſarum ſolemnia miniſtrari ſolita Gregôr. de mirac. D. Martin. libr. 2. cap. 47. *Cumque expletis, miſsis populus cæpiſſet ſacroſanctum corpus Redemptoris accipere.*

Quia nefas putavit, ſi is qui ab Eccleſia eductus fuerat, truncaretur. Guntranus Rex ſiccarium, qui in Eccleſia ejus vitæ inſidias molitus erat, fuſtibus caſtigatum dimiſit, quia nefas putavit, morte damnari, eum qui de Eccleſia eductus fuerat. In eandem ſententiam Gregor. infr. h. libr. *Childebertus Rex ait, verumtamen promiſsionem habete de vita, etiam ſi culpabiles inveniamini, Chriſtiani enim ſumus. Nefas eſt enim vel criminoſos ab eccleſia eductos punire.*

In vineis verò menſe octavo tranſactâ vindemiâ palmites no- Cap. 5.

vos cum vuis deformatis aſpeximus. Palmites vitium ſunt ſarmenta vitium Gregor. ſupr. libr. 6. cap. 44. *Numquam in his vineis deformatis*, id eſt efformatis. Eadem analogia, deformitas pro ſolemnitatum vel formarum inobſervantia Gregor. infr. hoc libr. cap. 33. *Cur ſub omni deformitate redacta viro conjux ejus aufertur.*

Habebat autem cucullum, ac tunicam de pilis caprarum. Cucullus & tunica veſtes Monachales. Reg. Benedict. cap. 55. *Sufficere credimus cucullam & tunicam, cucullam in hieme villoſam, in æſtate puram.* Cucullus eſt veſtis, quæ habet capitium, quo tegitur caput. Gregor. de vit. Patr. cap. 17. de Nicetio Epiſcopo. *Nam cæteris reficientibus ſæpe ipſe contexto capite à cucullo nè agnoſceretur in publico, cum vno tantùm puero Sanctorum baſilicas circuibat.*

Hic enim colobio indutus erat, amictus deſuper Syndone. Colobium fuit veſtis linea ſine manicis, propria Ægyptiorum Monachorum. Caſſian. de inſtit. cœnobit. libr. 1. cap. 5. *Collobijs quoque lineis induti, quæ vix ad cubitorum ima pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus, vt amputatos habere eos actus, & opera mundi hujus ſuggerat abſciſsio manicarum, & ab omni converſatione terrenam ortificatos eos velaminis linei doceat indumentum.* Idem Sozomen. lib. 3. cap. 13. Ruffin. de vit. Patr. libr. 2. cap. 3. *Tabennenſij appellantur, quibus vſus eſt indui colobijs, quaſi ſacris lineis*, idem libr. 1. cap. 7. *Indumentum ejus ſtupeum collobium erat, quod apud illos lebetes appellatur & linteum quod collum & caput obvolveret.* Impoſtor de quo Gregorius loquitur hic, colobio amictus erat, & deſuper Syndone. Jacobum imitatus videtur, qui ſyndone, id eſt lineo pallio dumtaxat uſus eſt, more Nazarenorum de quo Euſeb. libr. 2. cap. 24. Epiphan. hæres 78. art. 13. de quo & Matth. cap. 14. *Fugit adoleſcens, relicta ſyndone quâ erat amictus.*

Mandatum miſit dicens, occurrant reliquijs ſanctis. Impoſtor quidam Deſiderius nomine, qui ſe dicebat Burdegalenſem cum Turonis veniſſet quaſi geſtans reliquias Sanctorum Vincentij & Felicis martyrum, mandavit Gregorio Epiſcopo, ut occurreret reliquijs Sanctorum. Gregor. de mirac. Martyr. lib. 1. c. 44. *Manè autem facto Sacerdos admonitis civibus cum*

crucibus

crucibus & cereis, ad occurſum ſanctarum reliquiarum devotiſſimus proferat.

Et ingreſſus in oratorium, me poſtpoſito, ipſe capitellum vnum atque alterum, ac tertium dicit, ipſe orationem profert, & ipſe conſummat. Capitulum eſt officium quoddam poſt matutinas. Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 4. *Ad cujus tumulum Beatus Martinus, cum ad orationem veniſſet, poſt effuſas preces dicto etiam capitulo ait Benedic inquit mihi vir Dei.* Capitulum pſalmi eſt pſalmus, quia Pſalmi Davidis diſtincti legebantur per capita. Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 71. *Denique condemnatus ſpoliatuſque Sacerdos ad vrbem rediit, atque proſtratus in orationem, coram ſepulchro ſancti dicto pſalmi capitulo ait*, &c. Inde capitellum eodem ſenſu pro officio quodam poſt miſſas. Idem libr. 1. de mirac. Martyr. cap. 5. *Reſpondens autem Beatus Ambroſius, nolite inquit turbari, multùm enim mihi valet ſic obdormiſſe, cui tale miraculum dominus oſtendere dignatus eſt, nam noveritis fratrem meum Martinum Sacerdotem egreſſum fuiſſe de corpore, me autem ejus funeri obſequium præbuiſſe, peractoque ex more ſervitio capitellum tantùm vobis excitantibus non expleui.* Idem de vit. Patr. cap. 6. *At ille pſalmo quinquageſimo, & benedictione decantata, & alleluyatico cum capitello expleto conſummavit officium totum temporis matutini.*

Hæc cernens Epiſcopus miſit Archidiaconum ſuum dicens, ſi reliquias Sanctorum exhibes, pone eos paululùm in Baſilicâ, & nobiſcum celebra dies ſanctos. Ragnemodus Epiſcopus Pariſienſis, impoſtori cuidam, qui circumferebat reliquias, quas dictitabat eſſe Vincentij & Felicis martyrum per Archidiaconum mandavit, ut ſi verum eſſet, eas deponeret in baſilicâ. Hoc pertinebat ad officium Archidiaconi, Archidiaconus eſt miſſus & Vicarius Epiſcopi ejuſque juriſdictionem exercet, & hoc jure idem impoſtor memoratur infrà captus ab Archidiacono & in cuſtodiam miſſus *Captuſque*, inquit, *ab Archidiacono, & catenis vinctus juſſus eſt cuſtodiri.* Archidiaconum miſſum Epiſcopi indigetat & Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 86. *Quod audiens Benedictus Agricola Epiſcopus, miſit Archidiaconum ſuum, vt beatum vrbis cœmeterio deferret.* In Eccleſia Turonenſi fuére duo Archidiaconi Gregor. libr. 5. cap. 58. *At*

ille iterùm vinctus relaxato Leudaſte, cuſtodiæ deputatur, dicens Gallienum eadem die & Platonem Archidiaconos fuiſſe præſentes, &c.

Perſcrutatiſque cunctis quæ habebat, invenit cum eo ſacculum magnum, plenum de radicibus diverſarum herbarum, ibique & dentes talpæ, & oſſa murium, & vngues atque adipes vrſinos, videnſque hæc maleficia eſſe, cuncta juſsit in flumen proÿci. Ragnemodus Epiſcopus maleficia inventa in ſacculo impoſtoris cujuſpiam juſſit in flumen projici.

Et exhibentes aquas abluto pavimento, reſperſo etiam herbulis odoratis, Moris erat ædes ſacras ſterni herbulis odoriferis, idem de cryptis & tumulis Sanctorum Gregor de vit Patr. cap. 8. *Et ſtatim accedens quaſdam de herbulis quas devotio populi ſacrum jecit in tumulum, manu linteo operta, Sacerdote porrigente ſuſcepit.* Idem de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 71. *Accidit autem fortuitò, vt extensâ dexteræ manus palma folium herbæ ſalviæ, quod pro honore Martyrum in crypta conſperſum fuerat operiret.*

Elevatis Amelius Beorretanæ vrbis Epiſcopus oculis. Amelius Beorretanus Epiſcopus, eâ tempeſtate claruit, ſubſcripſit Conc. Matiſconenſi 2. anno Chr. 588. Beorritana urbs vulgò Berritana. Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 74. *Eſt alius Martyr intra terminum vrbis Berritanæ, Presbyterij honore præditus.* Idem de glor. Confeſſ. cap. 49. *infra terminum autem Berritanæ vrbis in vico Sexiacenſi ſanctus Iuſtinus Presbyter quieſcit,* Begorra eidem infr. h. libr. cap 20. *De civitatibus verò, hoc eſt Burdegala, Lemovica, Cadurco Benarno & Begorra,* Hæc eſt Tarba Bigeronum Gall. *Tarbe.*

Cap. 7. *Ennodius cum Ducatum vrbium Turonicæ, atque Pictavæ adminiſtraret, adhuc & vici Iulienſis atque Benarnæ vrbium principatum accipit.* Ducatus erant incertis finibus pro voluntate & arbitrio principum. Duces præerant univerſæ Provinciæ, Comites ſingulis civitatibus & parebant Ducibus ut inſinuat Gregorius infr. h. c. *Sed euntibus Comitibus Turonicæ atque Pictavæ vrbis ad Regem Childebertum, obtinuerunt eum à ſe removeri.* Vicus Julienſis Adurræ civitas Epiſcopalis. Notit. Provinc. *Civitas Adtorenſium Vico Iuli.* Vicus Juli Gregorio hic &

infr. h. libr. cap. 20. *Vico-Iuli Conſeranis, Lapurdo & Albige.* eidem ſupr. libr. 7. cap. 31. *Et Nicetius Comes loci illius, Germanus Ruſtici vici Iulienſis Epiſcopi.* Benarnum eſt Laſcurra civitas Epiſcopalis Benarni, Notit. Provinciar. *Civitas Benarnenſium Benarno.* Synodo Agathenſi interfuit Galactorius Epiſcopus de Benarno.

Vaſcones verò de montibus prorumpentes, in plana deſcendunt, vineas agroſque depopulantes, domos tradentes incendio, nonnullos abducentes captivos cum pecoribus, contra quos ſæpiùs Auſtrovaldus Dux proceſſit, ſed parvam vltionem exercuit ab eis. Vaſcones è jugis Pyrenei montis varijs excurſionibus Novempopulaniæ, per id temporis infeſti fuére, ab Auſtrovaldo Duce ſæpius tentati minori ſucceſſu. Hi tandem in Novempopulania ſedes poſuére, & ei Vaſconiæ nomen dedére, de quo fuſiùs dixi Rer. Aquitanic. lib. 1. cap. 16. Auſtrovaldum Comitem vocat Gregor. ſupr. lib. 8. cap. 44. *Aſſumptoque ſecum Auſtrovaldo Comite Carcaſſonam petijt.* Tandem Vaſcones à Theodoberto & Theodorico Regibus domiti, & tributarij facti de quo Fredegar. cap. 22.

Per Agericum prorſus Epiſcopum, qui erat Regis pater ex lauacro. Agericus Virdunenſis Epiſcopus pater Childeberti filij Sigiberti Regis ex lavacro, ex baptiſmo, quia eum ſuſcepit ex fonte baptiſmi. Cap. 8.

Tunc adductus ad locum vbi Rex morabatur, nudatus armis, ac per manicas tentus, ab Epiſcopo repræſentatur Regi. Guntrannus Boſo Brunichildi Reginæ exoſus, præſentatur Regi inermis, & per manicas tentus. Rei ſordidati, & ſine cingulo apparent ante tribunal judicis Ammian. lib. 22. *Inducta in judicium fœmina quædam, quum Palatinum adverſarium ſuum, è numero protectorum cinctum præter ſpem conſpexiſſet, hoc factum inſolens tumultuando querebatur, & Imperator proſequere ait mulier, ſi quid te læſam exiſtimas, hic enim ſic cinctus eſt, vt expeditiùs per lutum incedat, parùm nocere tuis partibus poteſt.*

Datis literis, & pueris deſtinatis, cum evectione publica. Legati vel miſſi Principis utebantur evectione publica, id eſt curſu publico, itineris expediendi gratia, ut & evocati à Principe l. Evectionum C. de curſ. public. Sidon. libr. 1. epiſt. 5. Cap. 9.

Egreſſo mihi Rhodanuſiæ noſtræ mœnibus publicus curſus vſui fuit, vt potè ſacris apicibus accito. Evectione publica uſi ſunt etiam Epiſcopi evocati ad Concilium ut Hilarius Pictavienſis Epiſcopus exulans in Phrygia, ad Synodum Seleucienſem vocatus data evectionis copia Sever. Sulpit. Hiſt. ſacr. libr. 2. *Qua tempeſtate Hilarius quartum jam exilij annum in Phrygia agens, inter reliquos Epiſcopos per Vicarium ac Præfectum data evectionis copiâ adeſſe compellitur.* Conſtantinus epiſt. ad Ælafium in actis Conc. Arelatenſ. 1. *Data evectione publica per Africam & Mauritaniam, inde ad Hiſpaniam brevi tractu facias navigare.* Proficiſcentibus ob cauſam publicam evectio data, Auguſtin. 5. Confeſſ. cap. 13. *Itaque poſteaquam miſſum eſt à Mediolano Romam ad Præfectum vrbis, vt illi civitati Rhetoricæ magiſter provideretur, impertitâ etiam evectione publicâ.* Privatis non licuit uti evectione publica ſine diplomate, ſeu codicillis principis l. continuus §. cum ita de V. O. l. eos §. ult. ad leg. Cornel. de falſ. l. 3. C. de curſ. public. Hieronym. in vit. Hilarionis. *Secreto ab Imperatore cauſam ei ſimpliciter indicans, & acceptis ad Conſularem quoque Paleſtinæ literis, cum ingenti honore & comitatu Gazam deductus eſt.* Symmach libr. 4. epiſt. 6. *Evectiones impetrâſſe me gaudeo.* Hieronym. ad Julian. *Iam demiſſo ſynthemate equus publicus ſternebatur.*

Ac gemmarum precioſitatibus. Precioſitas eſt pretium rei. Jo. Andreas in Cle. Roman. de jurejur. *Nec etiam multum videtur expediens, priuilegijs Bullam auream apponi, propter pretioſitatem enim metalli, eſt de ſubſtractione Bullæ periculum.*

Aſcenſo equo, præcedentibus pueris, alijſque ſequentibus ferebatur. Baſternas matronarum præcedebat ordo id eſt agmen Eunuchorum Hieronym. ad Euſtoch. *Præcedit caueas baſternarum ordo ſemiuirorum.*

Tanta in theſauris illius reperiunt, quanta nec in ipſo ærarij publici regeſto, poterat inueniri. Regeſtum hic eſt ærarium publicum Gregor. infr. h. libr. cap. 12. *Multitudo autem auri argentique, ac diuerſarum ſpecierum, in ejus regeſtis reperta eſt.* Idem eod. libr. cap. 35. *& ingreſſa in regeſtum reſerauit arcem monilibus, ornamentiſque precioſis refertam.* Idem libr. 10. cap.

19. *Multa enim auri argentique in hujus Epiſcopi regeſto pondera ſunt reperta.* Aliàs regeſtum Scribarum pro ſcrinio Scribarum Vopiſc. in Probo. *Vſus etiam regeſtis Scribarum porticus porphyretica.* Gregor. infr. libr. 10. cap. 19. *Hæc Epiſcopus negare non potuit, ſcripta enim iſta in regeſto Chilperici Regis, in vno ſcriniorum pariter ſunt reperta.*

Infra caſtrum Vabrenſe quod villæ Vrſionis propinquum erat. Vabrenſe caſtrum in finibus Rutenorum, ſedes Epiſcopatus è Rutheno delibati. Gregor. infr. h. libr. cap. 12. *Erat enim villa in Pago Vabrenſi.* Illic fuit cœnobium clariſſimum ordinis ſancti Benedicti. Odo Cluniacenſ. vit. S. Geraldi libr. 2. cap. 6. *Tum verò nobiles quoſdam pueros ad Vabrenſe cœnobium direxit, nam tunc regularis obſervantiæ fervor incaleſcebat, vt ſcilicet apud fraternitatem illam ſub normâ regulari ijdem pueri imbuerentur.*

Filium enim ejus ex lavacro ſuſceperat, & ob hoc miſericordiam de eo habere voluit. Brunichildis Regina Berthefredo vitam condonare voluit, ſi à Clothario diſcederet, quia ejus filiam è baptiſmi fonte ſuſceperat. Suſcepti è baptiſmo dicuntur filioli affectus demonſtrandi causâ. Nithard. libr. 3. *Meminerit, quod frater filioluſque ejus ſit.*

Hæc ille audiens adſumpta matre cum ſorore & conjuge ad occurſum patrui deſtinat. Deſtinare eſt inſtituere iter ſeu profectionem Gregor. infr. libr. 4. cap. 31. *Rex autem ad reliquas civitates capiendas Boſonem cum Anteſtio deſtinat.* Idem de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 39. *Ex hoc enim quiſque fidem cujuſcumque rei, ab alio voluerit elicere, non aliter niſi ad hujus baſilicam deſtinat.* Idem de vit. Patr. cap. 17. de Nicetio Trevirenſi E. *Et ille verè inquit, dico vobis, quia deſtinavit Rex vt me avulſum à Monaſterio huic oneri conſecrari juberet.* Q. Curt. libr. 8. cap. 4. *Sed jam nec retinere arma lubrica rigentes manus poterant, nec ipſi deſtinare, in quam regionem obverterent corpora.* Idem libr. 9. cap. 9. *intellectum eſt mare deſtinari ab ignaris naturæ ejus.* Cap. 10.

Et ille nequaquam, ſed tranſmitte Abbates & creditos tuos, vt hæc quæ loquor exponant Guntranus Boſo de ſalute ſua deſperans, compellat Magnericum Trevirenſem Epiſcopum,

ut pro eo intercedat apud Guntranum Regem, per Abbates & creditos. Ea ætate Abbates erant in poteſtate Epiſcopi, & conveniebant juſſi ad Synodum Epiſcopalem Conc. Antiſſiodor. can. 7. *Vt medio Maio omnes Presbyteri ad Synodum in civitatem veniant, & Kalendis Novembris, omnes Abbates ad concilium conveniant.* Cui conjungendi ſunt, can. Epiſcopus & can. annis ſingulis. 8. diſt. A Gregorio Lingonenſi Epiſcopo ad tranſlationem ſepulchri ſancti Benigni Martyris Divionenſis adhibiti Abbates ſimul cum clero Gregorius de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 51. *Sed ſanctum ſepulchrum neſcio quâ causa faciente, foris evenit, quod ille intus transferre cupiens conuocauit ad hoc obſequium Abbates, atque alios religioſos viros.* Ad tranſlationem B. Deſiderati Presbyteri ab Agricola Cabillonenſi Epiſcopo adhibiti quoque Abbates cum omni Clero. Idem de glor. Confeſſ. cap. 86. *Quod audiens Benedictus Agricola Epiſcopus miſit Archidiaconum ſuum, ut beatum vrbis cœmiterio deferret, ſed reſiſtentibus Monachis, quod juſſus fuerat non implevit. Poſt hæc ædificato Xenodochio leproſorum Sacerdos ſuburbano in ejus Baſilicam conlectis Abbatibus & omni Clero beatum corpus tranſtulit.* Abbates paſſim miſſi & legati Epiſcoporum. Gregor. infr. h. libr. cap. 43. *Poſt hæc Maroveus Epiſcopus, Porcarium Abbatem Baſilicæ Beati Hilarij ad Gundegiſilum Epiſcopum, & reliquos comprovinciales ejus deſtinat.* Crediti ſunt fideles ſeu vaſſi. Gregor. ſupr. libr. 7. cap. 40. *Satimque miſit Rex viros, qui hæc deferre deberent, cum vno puero, quem valde creditum Mummolus habens, hæc ei commendaverat.*

Cap. 11. *Cadurcum Brunichildi Reginæ refudit.* Childebertus Rex filius Sigiberti Regis Auſtraſiæ Brunichildi Reginæ Cadurcum reſtituit. Cadurcum præter alias civitates Brunichildi Reginæ nubenti datum fuerat dotis & Morganegibæ nomine, quod apertiùs exponitur à Gregorio infr. h. lib. c. 20. *De civitatibus verò hoc eſt Burdegala Lemovica Cadurco Benarno & Begorra, quas Gaileſvindam germanam dominæ Brunichildis tam in dote quàm in Morganegiba, hoc eſt matutinali domo in Franciam venientem certum eſt adquiſiſſe, quas etiam per judicium glorioſiſſimi Domini Guntchramni Regis, vel Francorum, ſuperſtitibus*

Chilperico & Sigiberto Regibus, Domna Brunichildis noſcitur acquiſiſſe, ita convenit vt Cadurcum civitatem cum terminis, & cuncto populo ſuo, Domna Brunichildis de præſenti in ſua proprietate percipiat. A Brunichilde nomen accepiſſe creditur caſtrum Brunichildis in finibus Cadurcorum, hodie *Burniquel* Vicecomitatus nomine inſigne.

Cumque eos extrahere de Baſilicâ non auderent, ignem applicare nituntur. Ignis admovebatur confugis in Eccleſiam, nè viderentur dejici de Eccleſia, ſed potius igni cedere. Hinc apud Plaut. in Rudent. Act. 3. Sc. 4. Leno poſcit ignem ut ancillas quæ ad aram Veneris perfugerant admoto igne compellat fano cedere. *Volcanum adducam is Veneris aduerſarios ſt. Nullum habemus ignem, ibo herclè aliquo ignem quæritatum, ignem magnum hic faciam, immò haſce ambas hic in ara viuas comburam.* Atque ita apud Euripidem in Andromachâ, Hermione interminatur Andromachæ quæ in templum confugerat ſe ignem ſubmiſſuram quo templo cedere cogatur πῦρ σοι προσοίσω. *Ignem tibi admouebo*, ubi Scholiaſtes ἔθος ἦν τοῖς εἰς βωμὸν καταφεύγουσι πῦρ προσφέρειν. Turneb. adverſar. libr. 9. c. 12.

Aſcendentes ſupra tectum, cum ab ipſis tegulis ac macerijs quibus oratorium opertum erat, inlidentes interfecerunt. Godegiſilus Dux Berthefredum obſidione vallat intra domum Eccleſiæ, obſeſſus tegulis & macerijs quibus domus Eccleſiæ operta erat eliſus. Maceria eſt paries ſicco lapide conſtructus, maceriæ ſunt cæmenta quibus paries, ſine calce & arena ſtructus eſt, inde ſumptum nomen oppidi quod vocatur Maceriæ, de quo Gerbert. epiſt. 94. *Moſomum, & Macerias multitudine militum communite*, vulgò *Maiſieres.* Et ita maceriæ amnis ſunt cluſæ, quæ coërcent aquam amnis. Gregor. de vit. Patr. cap. 17. *Dixeruntque ei lapſus noſter* (fortè legendum capſus) *in quem piſces decidere ſoliti ſunt, prorſus deſertus habetur, ſed & maceriæ ipſæ de locis ſuis, amnis impetu evulſæ poſcuntur.* Maceria etiam eſt clauſura domus ſtructa pariete ſine calce & arenâ. Ambroſ. in Luc. libr. 3. cap 3. *Maceria quoque domum claudit, hæc ſi maneat domus tuta eſt.* Maceria in horto eſt caſa quæ apponitur horto ex lateribus ſine calce & arena congeſtis. Plaut. in Truculento. *Quid maceria illa ait in horto quæ eſt, quæ in no-*

Cujac. ad leg. 157. de VS.

ctes ſingulas latere ſit minor , non mirum eſt vetus eſt maceria, lateres ſi veteres. Terent. in Adelph. *Atque hanc in horto maceriam jube dirui.*

Inde Rex Guntchramnus , valde in amaritudinem excitatus eſt. Amaritudo eſt amaritudo cordis, id eſt mœror triſtitia Gregor. infr. h. libr. cap. 23. *Agericus verò Viridunenſis Epiſcopus cum ex illo diuturnæ amaritudinis felle graviter ægrotaret* , & infra. *vel etiam addita amaritudine* , & rurſùs *fellis amaritudine*
Cap. 14. *aggravatus.* Idem eod. libr. cap. 32. *Additum eſt etiam huic cauſæ aliud amaritudinis incendium.* inde amaricari dolere , triſtari Gregor. P. moral. lib. 5. c. 2. *Sed hoc amaricatum cor ad gaudium ſuum quandoque reducitur*, & infra. *Vita quippe amaricatis datur , cum hujus mundi gloriæ triſtibus gementibuſque tribuitur.* Alias amaritudo pro acerbitate Gregor. lib. 10. cap. 15. *& pro calcis amaritudine , nè lavantibus noceret novitas ipſius fabricæ.*

Cap. 15. *Et accepto ſignaculo beatæ Crucis , cum chriſmatis unctione credidit Ieſum Chriſtum.* Recaredus Rex Gothorum converſus ad fidem Catholicam , & reconciliatus Eccleſiæ accepto ſigno crucis , id eſt benedictione quæ confertur per ſignum crucis , cum chriſmatis unctione , de quo & Gregor. libr. 1. epiſt. 4. libr. 7. epiſt. 126. Roderic. Tolet. lib. 2. cap. 15. Notandum hic quod narrat Gregorius , eò maximè motum Recaredum quod à ſuis Epiſcopis nulla ſigna curationum ederentur ſuper ægrotos , è contrà multa ab Epiſcopis Catholicis.

Deinde nuncios mittit ad Provinciam Narbonenſem. Provincia Narbonenſis , ea erat quæ adhuc erat in ditione Gothorum quæ & Septimania , vel Gothia dicebatur. Arelatenſis vel Maſſilienſis Provincia dicebatur , pars Provinciæ quæ erat in ditione Francorum , licet utraque eſſet Narbonenſis Provinciæ. Gregor. ſupr. libr. 8. cap. 30. *Hæc audiens Rex Leudegiſilum in locum Calumnioſi cognomento Ægilanis Ducem deligens omnem ei Provinciam Arelatenſem commiſit.* Idem ſupr. h. libr. cap. 7. *propter ſuperioris anni devaſtationem quàm in Septimaniâ Regis Guntchramni exercitus fecit , in Arelatenſem Provinciam proruperunt.* Idem libr. 4. cap. 39. *& Amo quoque Arelatenſem debellavit Provinciam.* Idem libr. 8. cap. 43. *anno quoque duodecimo Childeberti Regis Nicetius Arvernus Rector Maſſilienſis Provinciæ ,*

Provinciæ, & reliquarum vrbium quæ in illis partibus ad regnum Regis ipſius pertinebant eſt ordinatus. Idem libr. 10. cap. 25. *At in Gallijs Maſsilienſem Provinciam, morbus ſæpè nominatus invaſit.* Et hæc poſteà ſimpliciter Provincia dicta eſt Otho Friſing. de geſt. Frideric. libr. 2. cap. 29. de regno Burgundiæ. *Prætenditur enim hæc Provincia penè à Baſileâ, junctam habens, dominatui ſuo, eam terram, quæ propriè Provincia vocatur.*

In Baſilica ſancti Aniani Confeſſoris. Anianus Aurelianenſis Epiſcopus, vitæ ſanctitate claruit temporibus Valentiniani III. ejus meritis Aurelianis urbs liberata ab obſidione Attilæ, de quo Sidon. libr. 8. epiſt. 15. Gregor. ſupr. libr. 2. cap. 7. Aimoïn. libr. 1. cap. 6, Ejus memoriæ dicata eſt baſilica Aurelianis, Monaſterium ſancti Aniani ibidem conſtruxit Rex Robertus & ſolemniter dedicari curavit anno Chr. 1029. teſte Helgaldo in ejus vit.

Quo veniente reſident pariter ad convivium Galli ſedentes veſcebantur. Idem fuit mos veterum. Virgil. 7. Æneïd. Cap. 19.

Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis.

Et ibi Servius. *Majores enim noſtri ſedentes epulabantur quem morem habuerunt à Laconibus & Cretenſibus, vt Varro docet in libris de gente populi Romani,* & idem in illum verſum 1. Æneïd. *fuſique per herbam. Significat autem diſcumbentes, nam olim ſedentes veſci conſueverant.* Poſt epulas menſæ removebantur, & remotis menſis Franci in eiſdem ſubſellijs quibus diſcubuerant reſidebant. Gregor. infr. lib. 10. c. 26. *Invitatis enim ad epulum multis, hos in vnum fecit tres ſedere ſubſellium. Cumque in eo prandium elongatum eſſet, vt nox mundum obrueret, ablata menſâ ſicut mos Francorum eſt, illi in ſubſellia ſua ſicut locati fuerant reſidebant.* Apud veteres quoque poſt epulum menſæ remotæ. Virgil. 1. Æneïd.

Poſtquam exempta fames epulis, menſæque remotæ.

Chramiſindus exanimum corpus nudatum veſtimentis adpendit in ſæpis ſtipite. Chramiſindus cæſo Sichario, occiſi corpus veſte nudatum, adpendit in ſepis ſtipite. Oſvaldi Regis Nordhanumbrorum à Rege Merciorum in prælio cæſi caput cum manibus & brachijs ſtipiti ſuſpenſum. Beda Hiſt. libr. 3. cap.

12. *Porro caput & manus cum brachijs à corpore præciſas juſsit Rex qui occiderat, in ſtipitibus ſuſpendi.*

Ingreſſuſque Eccleſiam ad pedes proſternitur Regis dicens vitam peto ô glorioſe Rex, eo quod occiderim homines qui parentibus meis clam interfectis, res omnes diripuerunt. Chramiſindus interfecto Sichario in ultionem necis parentum, properat ad Childebertum II. Regem & ad pedes provolutus vitæ gratiam depoſcit & impetrat. Puellæ quæ Amalonem Ducem vim ſibi facientem ipſius gladio occiditGuntranumRegem vitam condonaſſe refert Gregor. infr. h. libr. cap. 27. *Tunc Rex miſericordiſsimus non ſolùm ei vitam donavit, verum etiam præceptionem tribui juſsit, vt in verbo ſuo poſita à nullo vmquam parentum defuncti illius in aliquo moleſtiam pateretur.* Solus Princeps pœnæ dat veniam. l. Divi fratres ff. de pœn.

Et Regina Brunichildis, eo quod in ejus verbo Sicharius poſitus taliter fuerat interfectus frendere in eum cœpit. Proprium Regum eſt tuitionem ſeu ſalvam gardiam & ſecuritatem tribuere, & ab his eam impetrari oportet. Ivo Carnotenſ. epiſt. 9. *Quicumque autem illi ſunt, ſi conductum bonum mihi & his qui mecum ſunt miſeritis, vt ſecuri ſimus in eundo & redeundo, & apud vos morando.* Tuitio conceditur codicillis principis, & quibus dabatur hi dicebantur recipi in verbo Regis. Gregor. infr. h. libr. cap. 27. de puella quæ Amalonem Ducem vim ſibi inferentem occidit. *Guntranus Rex præceptionem tribui iuſsit, vt in verbo ſuo poſita à nullo vmquam parentum defuncti illius in aliquo moleſtiam pateretur.* Etiam Reginas tuitiones præſtare moris fuit, ut hoc loco legimus Sicharium poſitum fuiſſe in verbo Brunichildis Reginæ, quod paulò poſt repetitur, *ſed quoniam Regina Brunichildis in verbo ſuo poſuerat Sicharium,*

Voſagenſem territorij Biturici pagum expetijt. Voſagenſis territorij Biturici pagus. Pagus plerumque latiùs accipitur pro regione ut Pagus Toloſanus, Pagus Turonenſis, *Pays*, *Contrée*, interdum pro vico *vn Bourg*, ut hic Pagus Voſagenſis Biturigum, inde Pagenſes pro Vicanis, de quo ſupr. in libr. 7. cap. 47.

Sed & ad Aginnum properans, epiſtolam ejus elicuit vt à nullo contingeretur. Non modò à Rege & Regina, ſed etiam à

Ducibus concedi ſolebant libelli ſeu codicilli ſecuritatis, ut hoc loco Chramiſindus ab Aginno Duce epiſtolam ſeu præceptum ſecuritatis elicuiſſe legitur. A Richerio Senonenſi Archiepiſcopo ſecurum conductum expetijt Ivo Carnotenſis Epiſcopus ad eum venturus, teſtis ipſe epiſt. 50. *Vnde rogo manſuetudinem veſtram, vt à Picueris vſque ad vos ſecurum mihi conductum præparetis.*

Cùm Domini Guntchramnus, Childebertus Reges & D. Brunichildis Regina Andelaum charitatis ſtudio conveniſſent. Andelaum caſtrum celebre conventu habito inter Guntranum & Childebertum Reges, de quo & Fredegarius cap 7 *Guntramnus ſe cum Childeberto, pacem firmans, Andelao conjunxit*, Idemque cap. 38. *Dirigenſque per Andelaum, Naſio caſtro capto, Tullum ciuitatem perrexit.* Idem ni fallor quod Andilegum de quo Beda libr. 3. cap. 8. *Maximè in Briga, & in Cale, & in Andilegum Monaſterio.* Recentioribus Andeliacum, olim nobilis villa Rothomagenſis Eccleſiæ, ut Innocent. III. libr. 1. epiſt. 108. Petr. Bleſen. epiſt. 28. & 33. vulgò *Andely.* Cap. 20.

Id inter ipſos conſtat fixa deliberatione finitum, ut in illam tertiam portionem de Pariſienſi ciuitate, cum terminis & populo ſuo, quæ ad Domnum Sigibertum de Regno Chariberti conſcripta pactione pervenerat De Regno Chariberti Regis, qui ſine liberis maſculis deceſſit, tertia pars Pariſiorum urbis pervenit ad Sigibertum Regem Auſtraſiæ unum è fratribus, Regnum ſcilicet Chariberti qui erat Rex Pariſiorum diviſum eſt inter Guntranum, Chilpericum & Sigebertum, & Pariſiorum urbs diviſa eſt in tres partes inter eoſdem, poſteà ex pacto inito inter Guntranum & Childebertum filium Sigiberti tertia Pariſiorum quæ ab initio ceſſerat Sigiberto tranſlata eſt ad Guntranum. *Cum Caſtellis Duno & Vindocino.* Dunum & Vindocinum caſtra pagi Carnotenſis. *Chaſteau-Dun, & Vendoſme.*

Et quicquid de Pago Stampenſi vel Carnoteno in pervio illo, antefatus Rex cum terminis & populo ſuo perceperat. Pervium eſt totus ille tractus, vel tranſitus ut infr. hoc cap. *Convenit ut in vtroque regno, utriuſque fidelibus, tam pro cauſis publicis, quàm priuatis, quicumque voluerit ambulare pervium, nullis temporibus denegetur.* Idem infr. hoc libr. cap. 32. *nè ullus de*

Childeberti regno, per ejus regni territorium pervium poſſet habere, & infra, *Pervium patefecit volentibus ad Regem Childebertum accedere.* Fredegar. cap. 26. *Cùm eſſet autem peruius ille locus, ubi Loa fluvius tranſmeat.* Gregor. libr. 3. cap. 47. *ita ut torrentes concatenati gelu, peruium populis iter, tamquam reliqua humus præberent.*

Abrincatus, Vicojuli, Conſeranis, Lapurdo & Albigæ. Abrincatum civitas Epiſcopalis *Aurenches*, Vicus Julij, civitas Adura, *Ayre*, Conſeranis Conſeranorum civitas *Couzerans*. Lapurdo Lapurda caſtrum Bigeronum in quo locatus Tribunus cohortis Novempopulaniæ, vulgò *Lourde*. Scaliger Auſon. lect. libr. 2. cap. 7.

Vt quicquid Domnus Guntchramnus Rex filiæ ſuæ Chlotildi contulit. Hac ætate Reges dicebantur Domni eliſo nomine Domini, quaſi ſoli Deo conveniret nomen Domini ut infr. h. cap. *Pari conditione repromittit Domnus Guntchramnus Rex.* Eadem ratione Reginæ dicebantur Domnæ ut infr. hoc cap. *Domnam Brunichildem Reginam* & rurſus *Domna Brunichildis noſcitur acquiſiſſe* & infr. h libr. cap. 43. *Domna Radegundis*, ut infr. h. libr. cap. 40. *Peccaui in Dominum, & Domnam meam Radegundem.* Domna Agnes cap. 43. h. libr. *Domnam & ſororem meam Agnetem.* Eadem ratione Romanus Pontifex dicebatur Domnus Papa, Domnus Apoſtolicus pro Domino ut apud Ivon Carnotenſ. epiſt. 28. *Domnus Papa Vrbanus.*

Vt ſi quid de agris fiſcalibus, vel ſpeciebus, atque præſidio, pro arbitrij ſui voluntate facere, aut cuiquam conferre voluerint. Hæc clauſula repetitur infr. h. cap. ijſdem verbis Species ſunt, ſpecies auri & argenti *eſpeces d'or ou d'argent*, præſidium eſt pecunia quæ auxilij cauſa ſeponitur, vel locus ſecretior ubi ejuſmodi pecunia eſt l. ſi chorus §. 1 de legat. 3. ubi legatis mobilibus quæ ibi erunt, legato non continentur nummi repoſiti fœnoris cauſa, ſed nummi præſidij causâ ſepoſiti, inde lucem accipit alter locus Gregor. libr. 10. cap. 1. *Reliqua vendidit cum omni præsidio domus.* Præſidium etiam pro viatico ſumptum Plaut. in Pœnulo. *Trecentos nummos Philippos portat præsidij.* idem in Perſa. *Marſupium habent, inibi paulum præsidij.*

De civitatibus vero hoc eſt Burdegala Lemovica Cadurco Be-

narno & Begorra. Benarnum nè quid de alijs urbibus dicam quæ nimis notæ ſunt, eſt Laſcurra prior civitas Epiſcopalis, *Leſcar* unde nomen regioni, vel oppidum quod hodie vocant *Ortæis* ut vult Scaliger Auſon. lect. libr. 2. cap. 7. Begorra eſt Tarba Bigeronum, vel Turſa ut vult idem Scaliger eodem loco ex Antonino *Torſa vbi caſtrum Begorra.*

Tam in dote quàm in Morganegiba, hoc eſt matutinali dono apud Germanos dotem non uxor marito, ſed uxori maritus dicebat. Tacit. de morib. Germ *Dotem non vxor marito, ſed vxori maritus offert.* Hunc dotis morem ſecuti Franci Germanici populi, in Galliam tranſvexére. Gailevisntæ Reginæ dotis nomine dictæ Burdegala Lemovicum & aliæ civitates preter dotem etiam uxor munera accipiebat à ſponſo & ſponſi propinquis, Morganegibam vocabant, hoc eſt matutinale donum, quia fiebat mane die nuptiarum, & hoc eſt donum quod jure Morganatico dicebatur fieri Albert. Argentinenſ. in Chronic. *Cui ſorori dominium de Kibburg. quod ipſe Rex ſibi retinuerat, Morganatico jure donavit.* Dona ſponſalitia more Francorum erant annulus, calcei oſculum & poculum. Gregor. de vit. Patr. cap. 20. *Sed cùm ad legitimam perueniſſet ætatem cogentibus juxta conſuetudinem humanam parentibus, ut arrham puellæ quasi uxorem accepturus daret.* & mox *denique dato ſponſæ annulo porrigit oſculum, præbet calciamentum, celebrat ſponſalium diem feſtum.* idem cap. 16. ejuſd. libr. de Venantio poſtea Abbate, *cumque vt ætati huic conuenit, amori ſe puellari præſtaret affabilem, & cùm poculis frequentibus etiam calciamenta deferret*, &c.

Sed juxta conſuetudinem Canonum placebat glorioſiſſimo nepoti veſtro, ut vnuſquiſque Metropolis comprovincialibus ſuis conjungeretur, & tunc quæ inrationabiliter in regione propria fiebant, ſanctione Sacerdotali emendarentur. Conc. Provinciale quot annis iterum celebrandum à Metropolitano adhibitis Epiſcopis ſuffraganeis, primum ante quadrageſimam, ſecundum Auguſti tempore Conc. Nicen. can. 5. Conc. Chalcedonenſ. can. 19, Synod. 6. in Trull. can. 17. juxta hos Canones Childebertus Rex per legatos monuit Guntranum Regem, ut unuſquiſque Metropolitanus Concil. Provinciale convoca-

ret, & quæ emendanda erant in utriuſque regno emendarentur. Pleraque Concilia Provincialia indicebantur juſſu aut monitione Regum, & ſæpiùs etiam eorumdem voluntate dies dicebatur ut patet infra ex hoc ipſo capite.

Tunc juſsit, ut in Calendis menſis quarti hæc Synodus prolongaretur. idem infr. hoc libr. cap. 32. de Guntrano R. *Vnde etiam Synodum Epiſcoporum in Kalendis Novembribus congregare præcepit.* Idem infr. libr. 10. cap. 15. de componendo diſſidio Mon. Pictavienſis. *Hæc autem Childebertus Rex audiens, legationem ad Guntchramnum Regem direxit vt ſcilicet Epiſcopi conjuncti de vtroque regno; hæc quæ gerebantur ſanctione canonica emendarentur.*

Sed Rex ac ſi bonus Sacerdos, juſsit omnem populum ad Eccleſias conuenire, & rogationes ſumma cum devotione celebrare, & nihil aliud in vſu veſcendi niſi panem ordeaceum, cum aqua mundâ. Peſtis depellendæ cauſa à Guntrano Rege Rogationes, id eſt proceſſiones ſolemnes inſtitutæ, una cum jeiunio in pane ordeaceo & aqua, panis ordeacei uſus Monachorum & pœnitentium. Gregor. de vit. Patr. cap. 7. de Gregorio Lingonenſi Epiſcopo. *Et electus à populo Lingonicæ vrbi Epiſcopus ordinatur, cui magna fuit abſtinentia, ſed nè jactantia putaretur occultè ſubcinericios panes ex hordeo alijs tenuibus ſupponebat, triticum frangens alijs erogabat, ipſe verò clam hordeum nemine intelligente,* &c. Hieronym. in vit. Pauli. *Ieſum teſtor & Sanctos Angelos ejus, in ea eremi parte, quæ juxta Syriam Sarracenis conjungitur, vidiſſe me Monachos de quibus unus per triginta annos clauſus, ordeaceo pane & lutulenta aquâ vixit.* Auctor ſermon. ad fratres in eremo ſermo 1. *Sed cunctis diebus alijs, herbas crudas panem ordeaceum & aquam ſumatis.*

Per triduum enim ipſius eleemoſynis largiùs ſolito præcurrentibus. Eleemoſynæ regiæ per triduum peſtis depellendæ cauſa, pariter ſolemne erat triduanum jejunium Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 63. *Ibique continuato cum vigilijs & orationibus triduano jejunio.* Et hoc exemplo triduanæ Ninivitarum pœnitentiæ. Annal. Franc. ad ann. 781. *Carlus congregato exercitu in Baioariâ, juxtà Aniſum fluuium, cum omni populo ſuo, jejunijs & obſecrationibus triduo celebratis exercitum dividit.* Fre-

degar. cap. 11. *cum alijs multis Epiſcopis triduanum facientes jejunium &c.* idem cap. 22. *cum beatis Ruſtico & Patricio Epiſcopis triduanum jejunium facientibus.* Beda Hiſt. libr. 2. cap. 2. *Horum ergo plurimi ad memoratam aciem, peracto jejunio triduano, cum alijs orandi causâ convenerant.*

Mulier quædam cujus filius quartano typo gravabatur. Quartanus Typus eſt febris quartana à Græco τύπος. Iſidor. origin. libr. 4. cap. 7. *Typhi ſunt frigidæ febres, quæ abuſive typhi appellantur, ab herba quæ naſcitur in aqua, quæ latinè forma, atque ſtatus dicitur eſt enim acceſsionum revolutio, per ſtatuta temporum intervalla.* Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 2. cap. 23. *Factum eſt autem ut quadam vice, una puellarum ſuarum malè à quartani typi febre quateretur* idem cap. 32 *Quidam de Diaconis noſtris malè à quartani typi febre cruciabatur.* Idem lib. 3. cap. 50 *Lupus Burdegalenſis vrbis Presbyter, quodam tempore graviter à quartano typo vexabatur* Inde quartanarij dicti laborantes febri quartana. Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 24. *Quartanarijs quoque & gulam dolentibus, data benedictâ aquâ ſæpiùs medebatur.* Idem cap. 82. ejuſd. lib. *Quartanarijs verò tam præſens beneficium erat, ut aquam tantùm benedictam ad bibendum tribuens, continuò eos redderet ſanitati.* idem cap. 83. ejuſd. libr. *cùm ſemel atque infirmi ſive quartanarij ſiue varijs febribus oppreſsi ſubderentur:* Tertianum typum pro tertiana febri dictitavit & Ruffin. de vit. Patr. libr. 1. cap. 1. *Poſt finem unus ex fratribus noſtris, tertiano typo grauiſsimè vexabatur.*

Cùm ego ipſe ſæpius laruas energia famulante, nomen ejus invocantes audierim. Laruæ ſunt dæmones qui corpora humana occupant. Conc. Nannetenſ. *Nec laruas dæmonum ante ſe fieri conſentiat.* can. nullus 44. diſt. alij Talamaſcas vocant Burchard. libr. 2. cap. 161. *Laruas dæmonum quas vulgò Talamaſcas dicunt*, Laruas idem Gregor. de vit. Patr. cap. 19 *quid etiam de energumenis, qui adducti ad cellulam beatæ cum limen ſanctum fuerint ingreſsi, integræ menti reſtituuntur.* Iſidor. orig. libr. 8. cap. 10. *Laruas ex hominibus factos dæmones aiunt, qui meriti male fuerint.* Martian. Capell. libr. 2. *Lemures qui ſi vitæ prioris adjuti fuerint honeſtate in lares domorum vrbiumqne vertuntur, ſi autem depravantur ex corpore laruæ per-*

hibentur, ac mania. Energia eſt vis, quàm à dæmone patiuntur energumeni id eſt arrepti à dæmone. Gregor. infr. hoc libr. cap. 34 *Vnde factum eſt ut inualeſcente temulentia tempore præcedente à dæmonio correptus, per energiam vexaretur*, idem libr. 4. cap. 11. *Nam quadam vice conducta pecunia, mulierem clamare fecit in Ecclesiâ, quaſi per energiam & ſe ſanctum magnum, Deoque charam confiteri, à Græco* ἐνέργεια.

Interea navis ab Hiſpania, vnà cum negotio ſolito, ad portum ejus adpulſa eſt. Maſſylia Narbonenſis Galliæ civitas emporium celeberrimum, inde Cataplus Maſſilienſis laudatur ſupr. libr. 4. cap. 38. *Igitur advenientibus ad Cataplum Maſsilienſium navibus tranſmarinis.* Eadem litteris & mercatura claruit Strabo libr. 4.

Cap. 22. *Et ſe infrà baſilicæ ſancti Victoris ſepta continuit:* Cœnobium S. Victoris apud Maſſyliam inſtitutum à Joanne Caſſiano.

Buccioualdo Abbate poſtpoſito, ferebant enim hunc eſſe ſuperbum, & ob hoc à nonnullis Buccus *validus vocitabatur.* Bucciovaldus Abbas dictus eſt Buccus validus, vel potius Buccus olidus, Buccus idem quod hircus, quod animal eſt grave, & malè olens. Horat. Epod. Ode 12.

Polypus, an gravis hirſutis cubet hircus in alis.

Idemque carmin. libr. 1. Od. 16.

Olentis uxores mariti. Seren Samonic. de Medicin.

Si jungas olidæ grave quod minxére capellæ.

Charimerem enim Referendarium, Charimeres fuit Referendarius Childeberti II. Regis Gregor. de glor. Confeſſ. c.95 *Hæc audiens Charimeris, qui nunc Referendarius Hildeberti Regis habetur, dum de hoc dolore laboraret.* Hic ex Referendario electus eſt Viridunenſis Epiſcopus.

Obijt autem & Licerius Arelatensis Epiſcopus in cujus Ecclesiam Virgilius Abbas Auguſtodunensis, opitulante Syagrio Epiſcopo ſubſtitutus eſt. Virgilius ex Abbate Auguſtodunenſi electus eſt Arelatenſis Epiſcopus ad eum extant epiſtolæ Gregorij libr. 4. epiſt. 117. Auguſtodunenſe Xenodochium conſtructum eſt à Siagrio Auguſtodunenſi E. & Prunichilde Regina Gregor. libr. 11. epiſt. 10. unde ſumptus eſt can. hinc eſt etiam 16. qu. 1. Siagrij Auguſtodunenſis Epiſcopi meminit & Gregor.

Gregor. de vit. Patr. cap. 8. *Nuper autem in conſpectu Guntranni Principis Siagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum Regi referentem audivi* &c. Ait Abba pro Abbas ut ſupra hoc cap. *Buccio-valdus quoque Abba ejus, pro Epiſcopatu cucurrit.* Iſidor. origin. libr. 7. cap. 13. *Abba autem Syrum nomen ſignificat in latinum pater.* Hieronym. in epiſt. ad Galat. cap. 4. *Abba pater Hebraïcum eſt, id ipſum ſignificans quod & pater.* Idem Auguſtin. de verb. Apoſtol. ſermo. 13. cap. 14.

Obijt autem & Deocherius Vincienſis Epiſcopus. civitas Vincienſium, Ventio *Vence.* Cap. 24.

Hic autem Fronimius Bituricæ *vrbis incola fuit, atque in vrbe Agathenſi Epiſcopus ordinatus,* Phronimius factus eſt Epiſcopus Agathenſis, ejuſdem meminit Gregor. de vit. Patr. cap. 8. *Phronimius igitur Agathenſis Epiſcopi famulus epileptici morbi acceſſu fatigabatur,* & infr. *Venit ad civitatem, erat enim ibi eodem tempore Phronimius Epiſcopus cujus ſupra meminimus.*

Cùmque non inveniret, quibus eum muſcipulis poſſet innectere. Muſcipula Papiæ. *Pedica laqueus quaſi mures capiens.* Gregor. ſupr. libr. 5. cap. 49. *Dolis omnibus ac muſcipulis præparatis,* inde muſcipulare, eſt muſcipula capere. Fredegar. cap. 56. *Produlfus volens nepotem ſtabilire in regnum, adverſus Dagobertum muſcipulare cœperat, vne ratiere.*

Mulier valde cordata. Cordatus cui cor ſapit, id eſt ſapienſ. Auguſtin. de peccat. remiſſ. contr. Pelag. *Ipſos quoque fatuos videmus, quos vulgò moriones vocant, ad cordatorum delicias adhiberi, & in mancipiorum æſtimatione pretioſiores eſſe cordatis.* M.Tull. Tuſcul. 1. *Egregiè cordatus homo catus Ælius Sextus.* cap. 26.

Vt in his quæ de voluntate ſua, id eſt pro anima remedio cogitabat, adjutor exiſterem. Ingoberga relicta Chariberti Regis, Gregorium noſtrum accivit, ut eo adjutore uteretur, in his quæ de voluntate ſua id eſt ultima voluntate ſeu diſpoſitione, pro animæ remedio cogitabat. Pro animæ remedio fieri dicebantur legata, ſeu donationes piæ, quæ fiebant pro remiſſione peccatorum. Gregor. de mirac. Martyr. libr. 2. cap. 14. *Ferunt etiam in oratorium prædij illius ſanctum Iulianum martyrem cum Tetradio Epiſcopo conloquentem, cuidam religioſo revelatum fuiſſe, promittentem ſe Epiſcopo villam quam pro animæ ſuæ*

Teſtamentũ vix fiebat ſine juriſperito l. Lucius §. ult. de leg. 2.

remedio ſibi reliquerat recepturum, idem infr. h. libr. cap. 42. *Aut ex his quæ alij pro animarum ſuarum remedio, vel ſorores ibidem de rebus proprijs contulerunt.* Teſtamento adhibebatur adjutor, id eſt Advocatus vel Juriſperitus conſilij cauſa. Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 61. *Denique conjuncti adjutores cauſam diſcutiunt.*

Quæ cùm me benignè excepiſſet, Notarium vocat, & habito mecum conſilio, quædam Eccleſiæ Turonicæ, & baſilicæ ſancti Martini, quædam Cenomannicæ Eccleſiæ delegavit. Ingoberga Regina in piam cauſam teſtatura, accepto conſilio Gregorij noſtri, quædam Eccleſiæ Turonenſi, & baſilicæ S. Martini quædam Cenomannenſi Eccleſiæ delegavit, id eſt legavit, Notarius hic eſt Scriba exceptor, qui dictata excipit Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 4. cap. 10. *Bodilo vnus de Notarijs noſtris cùm ſtomachi laſsitudine animo turbatus erat, ita vt nec ſcribere juxta conſuetudinem, nec excipere quæ ei dictabantur poterat.* Delegare ſumptum pro legare delegatum, pro legato Optat. adverſ. Donatiſt. libr. 3. *Brevis auri & argenti ſedenti Ceciliano, ſicut delegatum à Menſurio fuerat, traditur adhibitis teſtibus.* Delegatio etiam pro legato, vel qualibet diſpoſitione ultima. Anaſtaſ. in Innocent. I. *In quo loco beatiſsimus Innocentius ex delegatione illuſtris fœminæ Veſtinæ titulum Romanum conſtituit.* Hac de re plura in Gregorium libr. 7. epiſt. 16.

Multos per chartulas liberos derelinquens. Ingoberga Regina teſtamento quam plures ſervos manumiſit per chartulam, manumiſſiones fiebant per chartulam ſeu brevem libellum Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 68. *Vxor verò ejus poſt hæc voluit eos iterùm ad ſervitium revocare, ſed capitis dolore percuſſa virum ſecuta eſt, & ſic hi in ingenuitate perpetuâ, abſque vllius ſcripturæ munitione manſerunt*, vel per tabulas cereas, ſeu cerâ oblitas Gregor. infr. libr. 10. cap. 9. *Dimiſsi ſunt poſtea multi à conjuge VVaroci cum cereis & tabulis quaſi liberi, & ad propria ſunt regreſsi.* inde manumiſſi per chartulam, Chartularij dicti. Capitular. libr. 6. cap. 8. *Homo Chartularius ſimiliter faciat.* Cujac. 4. Obſer. 5. Veteres ſcribebant ſtylo ferreo, in tabellis cereis ſeu ceratis. Priſcian. libr. 1. *Plerumque in ceratis tabulis antiqui ſcribere ſolebant & poſteà delere.* Fre-

degat. cap. 39. *quo indiculo relecto Alboïnus diſruptum projecit in terram. Inventus eſt à puero VVarnharij, ſuper tabulâ cerâ linitâ denuò ſolidatur.* Greg. de glor. Martyr. lib. 1. c. 43. *At illi magiſtri ſanguinem ſitientes, ceratas in caput inlidunt tabellas, ſecantes latitudinibus ſtilorum*, apud Romanos quoque moris fuit ſervos manumitti per tabellas Martial. libr. 9. ep. 88.

Affers neſcio quas mihi tabellas.
Et dicis modo liberum eſſe juſsi.

Manumiſſio etiam fiebat ſine ſcriptura fractis tabulis ſervitutis. Auguſtin. epiſt. 50. *peſsimorum ſervorum vt liberi abſcederent tabulæ frangebantur*, quandoque manumiſſi revocabantur in ſervitutem fractis tabulis manumiſſionis. Gregor. de mirac. D. Martin. lib. 3. cap. 41. *His diebus puella quædam à filijs patroni confractâ libertate ad jugum ſervitutes addicitur.*

Ibique baſilicam ſancti Marcelli ingreſſa, ea eſt baſilica S. Marcelli Cabillonenſis martyris, qui paſſus eſt ſub Antonino. Martyr. R. 4. Sept.

Brunichildis, quoque juſsit fabricari ex auro, ac gemnis meræ magnitudinis clypeum, ipſumque cum duabus pateris ligneis, Cap. 28. *vulgus Bacchinon vocant, in Hiſpaniam Regi mittit.* Reccaredo Regi Gothorum à Brunichilde Regina miſſus eſt clypeus ex auro ac gemmis affabrè factus. Clypei ex auro fiebant, id eſt diſci ſeu lances in modum clypei, in quibus imagines Principum vel clariorum virorum reponebantur, Trebell. Pollio in Claudio. *Illi clypeus aureus, vel vt Grammatici loquuntur, clypeum aureum Senatus ejus judicio in Romana curia collocatum eſt, vt etiam nunc videtur, expreſſa thorace vultus ejus imago.* Tacit. 2. Annal. ſub fin. *Cùm cenſeretur clypeus auro & magnitudine inſignis, inter auctores eloquentiæ adſeruit Tiberius, ſolitum paremque cæteris dicaturum.* Plin. libr. 35. cap. 3. *Scutis enim qualibus apud Troiam pugnatum continebantur imagines, vnde & nomen habuere clypeorum.* Pateræ ſunt vaſa potoria patentia & latiora, cujuſmodi quæ vocant taſſas. Virgil 2. Georgic.

Hic laticis qualem pateris libamus & auro.

Sidon. libr. 9. epiſt. 33.

Pateræ ſcyphi lebetes ſociant falerna nardo.

Hoc loco pateræ ligneæ, ſunt thecæ quibus incluſa erant vaſa

auro & gemmis conflata, quæ muneris cauſa miſſa ſunt, cum clypeo aureo, quæ vaſa Bacchinon vocant. Bachia ſunt vaſa non unius uſus vinaria & aquaria Iſidor. orig. libr. 20. cap. 5. *Bacchia primùm à Baccho, quod eſt vinum nominata, poſteà in vſus aquarum tranſijt inde Bacchinum vel Bacchinon* vulgò *Baſsin.* Patera eſt phiala aurea vel argentea, qualis dono dari ſolebat à Rege Perſarum Imperatori, vel ejus legatis. Vopiſcus in Aureliano. *Data eſt ei præterea, quum legatus ad Perſas eſſet, Patera qualis ſolet Imperatoribus dari à Rege Perſarum, in quâ inſculptus erat Sol.*

Illo quoque recuſante non ſe his verbis eſſe communem. Id eſt non convenire in eandem ſententiam, communis videtur qui convenit in eandem ſententiam cum alio, & in communem ſententiam conſentit.

Cap. 29. *Childebertus verò Rex deſcriptores in Pictavos invitante Meroveo Epiſcopo juſsit abire*, à Childeberto Rege in Pictones miſſi ſunt deſcriptores, id eſt cenſitores, ut cenſus totius pagi ageretur, & vectigalia imponerentur, pro modo cenſus, & eo pertinent hæc verba quæ ſequuntur, *Vt ſcilicet populus cenſum quem tempore patris reddiderat, factâ ratione innovaturæ reddere deberet*, innovatura eſt nova peræquatio cenſus, ait deſcriptores miſſos Pictavum invitante id eſt provocante Meroveo Epiſcopo, hunc tamen commendat, idem de mirac. D. Martin. lib. 2. cap. 44. *Actum eſt autem hoc per feſtivitatem ſancti Patroni in qua Meroveus Pictavus Antiſtes aderat, non immeritò Hilarij beatiſsimi diſcipulus prædicandus.*

Florentianum Majorem domus Regiæ, & Romulſum Palatij ſui Comitem. Florentianus fuit Major domus Childeberti Regis, Romulſus Comes palatij, utriuſque meminit, idem Gregor. de mirac. D. Martin. lib. 4. cap. 1. *Advenerat etiam in hac feſtivitate, & Florentianus Major cum Temulſo* (leg. Remulſo) *Palatij Comite.*

Deſcriptam vrbem Turonicam Chlotharij Regis tempore manifeſtum eſt, librique illi ad præſentiam Regis abierant, ſed compunctoper timorem ſancti Martini Antiſtitis Rege incenſi. Turonibus vectigalia remiſſa ſunt à Chlothario Rege ob reverentiam B. Martini.

Poſt mortem verò Chlotharij Regis Chariberto Regi populus hic ſacramentum dedit. Similiter etiam & ille cum juramento promiſit, vt leges conſuetudineſque novas populo non infligeret. Initio regni Charibertus Rex, jurejurando cavit populo ſe novas leges & conſuetudines non inflicturum, id eſt nova vectigalia & onera. Conſuetudines ſunt exactiones quæ ex antiqua conſuetudine præſtantur cap. ſuper quibuſdam extr. de V.S.

Quod pertineret ad Spolium. Spolium eſt ſpoliatio ut infr. h. cap. *Pro ſpolijs civium noſtrorum* vel veſtis ſpolio rapta. Gregor. infr. lib. 10. c. 25. *Spolia tamen non habentibus largiebantur.* Cauſa ſpolij eſt actio ex can. redintegranda quæ datur ſpoliatis ut reſtituantur. Tertull. de reſurrect. carn. cap. 12. *Ita quod hodie ſpolium efficitur ſi detrahatur, hoc fuit indumentum, cùm ſuperſtruebatur.* Spolia ſunt res captæ ab hoſtibus. Idem libr. 3. cap. 29. *Cum magnis hi ſpolijs in Gallias redierunt.* Idem cap. 32. ejuſd. libr. *Multa ſecum ſpolia ipſe, vel ſui deferentes*, Tryphoninus in l. bona fides §. 1. ff. depoſit. *Latro ſpolia quæ mihi abſtulit*, ubi plura dixi.

Gaiſo verò Comes ejuſdem temporis accepto Capitulario quod anteriores ſcriptores feciſſe commemoravimus tributa cœpit exigere. Tributa & vectigalia exigebantur per Comites, & inferebantur fiſco, & vectigalium exactio fiebat pro ratione Capitularij, id eſt codicis cenſualis in quo continebatur modus vectigalium, quem quiſque ſuſtineret, & hoc eſt quod apertiùs ſignificat Gregor. his verbis ſequentibus. *Oſtendens Capitularium in quo tributa continebantur*, Inde nomen Capitulario, quod vectigalia imponerentur in capita, propter res & poſſeſſiones, vulgò *Capdaſtre.*

Sed protinùs epiſtolam cum auctoritate miſerunt, nè populus Turonicus pro reverentia S. Martini deſcriberetur, Auctoritatis nomine intelligitur præceptum ſeu diploma regium, quia vim & poteſtatem legis habet, ut & in epiſtola R. Radegundis infr h. lib. c. 42. *Et per auctoritates præcellentiſſimorum Domnorum Regum.* Syn. Meldenſ. can. 71. *Vt auctoritatem Sigillo regio roboratam more Tractoriæ Chriſtianiſſimus Princeps donet ſingulis Epiſcopis*, in jure inſtrumentum auctoritatis eſt inſtrumentum emptionis

l.ult ff. de pignorat. act. quia emptor ſi evincatur venditorem laudat id eſt denuntiat auctorem, ut adſit in judicio evictionis.

His diebus Ingeltrudis quæ monaſterium in atrio ſancti Martini ſtatuerat. Ingeltrudis conſtruxit monaſterium in atrio cœnobij ſancti Martini, id fuiſſe monaſterium puellarum patet ex his quæ ſequuntur. *Cùm Ingeltrudis Monaſterium puellarum infra atrium ſancti Martini collocare cœpiſſet,*non jure id factum, monaſteria enim puellarum, longiùs à cœnobijs virorum collocari debent, propter inſidias diaboli aut propter oblocutiones hominum Conc. Agathenſ. can. 28. can. monaſteria 18. q. 2. Ejuſdem monaſterij & Ingeltrudis meminit Gregor. infr. libr. 10. cap. 2. *Ingeltrudis verò Religioſa, quæ in atrio ſancti Martini, puellarum monaſterium collocavit,* &c.

Tunc ego accedens ad monaſterium, Canonum Nicenorum decreta relegi, in quibus continetur quia ſi quæ reliquerit virum & thorum, in quo benè vixit ſpreverit anathema ſit, in cauſis Eccleſiaſticis ſententia profertur lectis priùs Canonibus Gregor. infr. libr. 10. cap. 16. *Reſeratis à nobis & recenſitis Canonibus viſum eſt æquiſsimum, eas vſque quo dignam agerent pœnitentiam, à communione privari*, idem eod. libr. cap. 19. *Hæc Epiſcopi audientes, ac lamentantes fratris opprobrium obtentâ vitâ ipſum ab ordine Sacerdotali, lectis Canonum ſanctionibus removerunt*, ex Conc. Nicen. laudatur Canon. ut quæ temerè diverterit à viro anathema ſit.

Me obvium non habebit, obvius contrarius ſupr. hoc libr. cap. 26. *Sed ille non obvius de hac conniventia, conſilium ad confirmandam pacem præbuit.* inde in obvium pro in adverſum ſeu contrarium Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 80. *Elevata in obviam manu ſignat.*

Et hæc dicens miſit clam nuncios ad eam, mandans vt veſte mutatâ, ac pœnitentia accepta, Baſilicam ſancti Martini expeteret. Berthegundis conſilio Ingeltrudis matris divertit à viro, prætextu pœnitentiæ, & veſtem mutavit, quod infra repetitur. *Erat enim in veſte religioſa, adſerens ſe accepiſſe pœnitentiam.* Pœnitentia conjugatis non niſi ex conſenſu utriuſque danda Conc. Arelatenſ. 2. Can. 2. Can. pœnitentiam 33. qu. 4.

Tunc accenſa felle, ad Regem abijt, quaſi filiam exhæredatura de facultate paterna. Exheredare hoc loco impropriè accipitur, pro privare bonis paternis, alijs locis exheredari feudo dicitur, qui ob delictum amittit feudum, & exheredatio eſt commiſſum ſeu privatio feudi. Suger. in Ludovic. Craſſo. *Et cum ipſo ſuo nequiſsimo perſuaſore Thoma, turrim noſtram ad noſtri exheredationem, occupare concertaverunt*, & infra, *& tam ipſum præfatum Thomam nequiſsimum, quam ſuos dominio ejuſdem perpetualiter exheredavit.* Robert. Montenſ. in ſupplem. Sigebert. ad ann. 1156. *Henricus II. Rex Anglorum exhereditavit VVilhelmum Peurel ac Notinguelan cauſa beneficij, quod tunc propinatum Ranulpho Comiti Ceſtriæ.* Idem ad ann. 1157. *Guillelmus Rex Siciliæ exhereditavit etiam Comitem de Baſſevilla cognatum ſuum quia ab ipſo deſciverat*, quandoque hereditatus pro exheredatus idem ad ann. 1164. *Et hereditatus, factus eſt Monachus Radingis.*

In qua cauſa Theutarius Prèsbyter, qui nuper ex Referendario Sigiberti Regis converſus Presbyterij honorem accepit. Converſus dicitur ex magiſtratu Regio Presbyter ordinatus ut hic, vel ex laïco Monachus Gregor. ſupr. libr. 6. cap. 5. *Ille autem in eodem loco converſus tonſurato capite, fideliſsimus Monachus nunc habetur.* Sic converſi dicti qui in perſecutione vel ſchiſmate lapſi, pœnituére. Auguſtin. de Hæreſib. ad Quod vult Deum. *Meletiani à Meletio nuncupati, nolentes orare cum converſis, id eſt eis qui in perſecutione ceciderunt vel ſchiſma fecerunt*, converſi etiam gentiles ad fidem converſi. Idem de tempor. ſermon. 74. *Converſi ſunt, baptizati ſunt, ad menſam Domini acceſſerunt.*

Ejuſdē Theutarij Presbyteri meminit Greg. infr. h. libr. c. pen. & lib. 10. cap 16.

Riguntbis autem filia Chilperici, cum ſæpiùs matri calumnias inferret. Calumnia eſt accuſatio Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 81. *cognoſcitque uir ille boves quos perdiderat hos recipiens, hominem abſque calumnia redire permiſit*, & idem ſupr. h. libr. cap. 33. *Scilicet nè calumniam quæ ejus dolo fabricata fuerat exciperet*, inde calumniari pro accuſare, idem de mirac. Martyr. libr. 2. cap. 16. *calumniari cœpit ac dicere, meus ille erat inquit, & hic furto eum ſuſtulit.* Idem infr. libr. 10. cap. 8. *Illud etiam ordinantes, vt rebus ſuis quæ ei ex paterna ſucceſsione evene-*

rant, abſque calumnia frueretur, id eſt ſine lite, ſine querela.

Cap. 35. *Interea mandatum mittit agenti, vt ſe adveniente omnia, quæ erant ad expenſam ejus neceſſaria præpararet.* Agens eſt idem quod actor ut ſignificat ipſe Gregor. infra *mandans iterùm actori.* Idem ſupr. libr. 7. cap. 42. *converſuſque ad agentem voce flebili ait.* Sic agenres in rebus in Notit. Imper. Hieronym. in Abdiam. *Eos enim quos nunc agentes in rebus, vel veredarios appellamus, veteres frumentarios nominabant.* Ambroſ. 2. offic. 27. *Legebatur reſcripti forma, directio magiſtri officiorum ſtatututa, Agens in rebus imminebat.*

Et injecta manu voluit eum retinere. Id eſt manu injecta propria auctoritate. Manus injectio eſt cùm rem ſine judice vindicamus ut docet Servius in illum locum 10. Æneïd. *Injecere manum Parcæ.* Tertull. 1. adverſ. Marc. *conveniens enim, & quodammodo injecta manu detinens adverſarij ſenſum.* quod probat l. Titius ff. de ſervit. exportand. & l. generali C. de Decur.

Mandat iterùm actori, vt domo ſcopis mundatâ, ſtragulis ſcamna operirent. Moris fuit ſcamna ſtragulis operire. Veteres ſedebant in ſcamnis ſtratis ſtragulis, ſtragula eſt veſtis diſcolor, ſic dicta quod ſtratu & amictu apta ſit. Iſidor. origin. libr. 19. cap. 26. *Stragulum veſtis eſt diſcolor, ſic dictum autem quod in ſtratu & in amictu aptum ſit.* Stragula veſtis eſt omne pallium περίστρωμα, ſtratum, quod inſternitur l. in ſtratum de VS. Veteres etiam diſcumbebant in lectis ſtratis aulæis, id eſt velis depictis. Virgil. 2. Æneïd.

—— *Auleis jam ſe regina ſuperbis*
Aurea compoſuit ſpondâ, mediamque locavit.

Ubi Servius *antiqui ſtibadia non habebant, ſed ſtratis tribus lectis epulabantur.*

Cujus mediam alvum, ictu penetrans, à tergo egreſſa Falarica. Falarica eſt genus teli quod mittitur à phalis id eſt turribus ligneis Feſto, Nonio & Iſidoro. Virgil. 9. Æneid.

Sed magnum ſtridens contorta falarica venit.

Et ibi Servius. *Hoc autem telo pugnatur de turribus quas phalas dici manifeſtum eſt.*

Abbo de obſid. Pariſ. libr. 1.

Mit

Mittitur arte ſala vexare ſalarica binos
Artifices.

Childebertus Rex morabatur, cum conjuge & m a tre uâ infra terminum vrbis, quam Strataburgum vocant. Strateburgus eſt caſtrum munitiſſimum quod veteres Argentoratum vocabant clade Alemannorum notum. Ammian. libr. 15. *Argentoratus Barbaricis cladibus nota*, Gregorius infr. libr. 10. cap. 18. *qui ſtatim ad Argentoratenſem vrbem quàm nunc Stratesburgum vocat, deductus exilio condemnatus eſt.* Nithard. libr. 3. ad ann. 842. *Ludhuvicus, & Karolus in civitate, quæ olim Argentaria vocabatur, nunc autem Strazburgo vulgò dicitur convenerunt.* Cap. 36.

Cumque confortata ab incommodo, ad Regis præſentiam acceſſiſſet. Confortare eſt firmare, corroborare Gregor. ſupr. lib. 4. cap. 5. *Expergefactus autem & Deo gratias agens, pro hac conſolatione, quod cum per cæleſtem nuncium confortare dignatus eſt.* Beda Hiſt. libr. 4. cap. 26. in fin. *Donec legitimus Rex Victred. id eſt filius Echberti confortatus in Regno.* Cap. 38.

Septimina vero cum Droctulfo vehementer cæſa, ac cauterijs accenſis in facie vulnerata. Septiminia & Droctulfus fuſtibus cæſi, & cauterio in facie, id eſt ferro candenti inuſti pœnæ cauſa, quod conſtitutione Conſtantini vetitum eſt, l. ſi quis C. de pœn. Cujac. 7. obſer. 13.

Vt ſcilicet trahens molam his quæ in Gynæcio erant poſitæ. Septiminia pœnæ cauſa damnata ad molam, ut his quæ in Gynecio erant, farinam in dies ſingulos pararet, Gynecium eſt textrinum Principis in quo veſtes regiæ texebantur l. 24. C. Th. de Annon. & tribut. l. 6. C. eod. de Judæis, & Cœlicol. Gyneciarij ſunt artifices Gynecij de quibus in utroque codic. tit. de de Murelegul. & Gynecciar. & in notit. Imper. & quia mulieres maximè dabant operam texendis veſtibus & lanificio, in Gynecio Principis, Septimina damnata eſt ad molam ut his quæ erant in Gynecio Principis farinam pararet, corruptè geniciarias vocat Synod. Meldenſ. can. 75. *Si autem laïci capellas habuerint, à ratione & auctoritate alienum habetur vt ipſi decimas accipiant, & inde canes, aut geniciarias ſuas paſcant.* Apud Romanos damnatio in miniſterium metallicorum, & in opus Salinarum erat pœna, propria fœminarum l. aut damnum §.

in miniſterium l. capitalium §. Divus ff. de pœn. l. mulier de captiv. & poſtlim. reverſ. ut hic damnatio ad molam eſt pœna mulieris. Servi etiam pœnæ cauſa damnari ſolebant in piſtrinum ſeu molam Terent. in Andria. *Verberibus cæſum te Dave in piſtrinum dedam vſque ad necem*, idem in Phorm. *Herus ſi redierit molendum vſque in piſtrino.* Leo Oſtienſ. Chronic. Caſſin. libr. 2. cap. 60. *A quibuſdam noſtris captus & tonſuratus, indutuſque ſacco, ad ſecernendam farinam, in piſtrino poſitus eſt.*

Droctulfum autem inciſis capilllis, & auribus ad vineam excolendam delegaverunt. Damnati in metallum, vel ad rus colendum, tondebantur, in fronte notis inurebantur, & auribus truncabantur ut ſi fortè fuga ſe ſubriperent dignoſcerentur. Hilarius Pictavienſ. libr. contr. Conſtantium. *Sed tamen querela famoſa eſt, juſſos à te Epiſcopos non eſſe, quos condemnare nullus audebat, etiam nunc in Eccleſiaſticis frontibus ſcriptos, metallicæ damnationis titulo recenſeri.* Eodem conſilio ſervis fugitivis capilli abſcindebantur Conc. Epaunenſ. can. 39 vel dextra auris notæ causâ præcidebatur Auguſtin. de Agon. chriſtian. cap. 39. *Populus autem ipſius quando non audit Prophetas & Evangelium, ſatis ſignificat, ſervum ſe eſſe non liberum, & aurem dexteram ſe habére præciſam.*

Cap. 39. *Ex monaſterio dejecta ipſam ſubſtituerent principalem.* Principalis hoc loco pro Abbatiſſa. Sic Spiritus ſanctus dicitur ſpiritus principalis. Pſalm. 50. *Et ſpiritu principali confirma me.* Aliàs principales ſunt primi Decurionum l. jubemus C. de liberal. cauſ. Tertull. de coron. milit. *Coronatur & vulgus nunc ex principalium proprietatum exultatione.*

Qui licet Apoſtolorum temporibus non fuerit, tamen Apoſtolicam gratiam non effugit. Martinus Turonenſis E. vir Apoſtolicus gratia & meritis. Sever. Sulpit. Hiſt. ſacr. libr. 2. cap. 63. *Auſus etiam miſer eſt ea tempeſtate Martino Epiſcopo, viro planè Apoſtolis conferendo palam objectare hæreſis infamiam*, idem epiſt. 2. de eodem. *Vt eſt conſertus Apoſtolis & Prophetis.*

Si qua in Pictavina civitate veſtro Monaſterio meruerit ſociari, ſecundum beatæ memoriæ Domini Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi conſtituta, nulla ſit vlterius diſcedendi licentiâ. Monaſterium

puellarum B. Radegundis Pictavienſis inſtitutum ſub regula Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi quæ ſcripta eſt virginibus. Fortunatus Pictavienſis Epiſcopus libr. 5. de B. Radegunde.

Atque adſcita ſibi ſervetur in vrbe Geneſi
Regula Cæſarij Præſulis alma pij.

Idem libr. 8. de eodem.

Regula Cæſarij linea nata ſibi eſt.

Ut rursùs Gregor. ipſe infr. cap. 40. h. libr. *Arelatenſem vrbem expetunt, de qua regula S. Cæſarij, atque Cæſariæ beatæ ſuſcepta*, & rursùs cap. 42. ejuſd. libr. ex epiſt. B. Radegundis. *Inſuper congregationi per me Chriſto præſtante collectæ, regulam ſub qua ſancta Cæſaria degit, quàm ſolicitudo beati Cæſarij Antiſtitis Arelatenſis ex inſtitutione Sanctorum Patrum convenienter collegit adſcivi.*

Vnde anhelæ, & ſatis exiguæ erant. Exiguus tenuis exinanitus, defectus. Gregor. ſupr. lib. 4. cap. 37. *Non aſcendetis niſi ſatisfaciatis priùs, his quos exiguos reliquiſtis.* Papias. *Exiguus, imbecillis, infimus, multùm egens, parvus.* Auguſtin. de nat. bon. contr. Manich. *ideò quippe & parva, atque exigua, jam communi loquendi vſu modica dicuntur.*

Tempore Chlotharij Regis, cum Beata Radegundis hoc monaſterium intuliſſet, ſemper ſubjecta & obediens, cum omni congregatione ſuâ anterioribus fuit Epiſcopis. Cap. 40. Tempore B. Radegundis monaſterium Pictavienſe ſemper fuit ſubjectum Epiſcopo Diœceſano, poſt eam idem monaſterium etiam paruit Epiſcopo Gregor. infr. h. cap. *Quâ migrante iterùm petijt Abbatiſſa, ſe ſub Sacerdotis ſui poteſtate degere.* Ea ætate monaſteria utriuſque ſexus erant in poteſtate Epiſcopi Conc. Aurelianenſ. 1. can. 11. *Abbates pro humilitate religionis, in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant, & ſi quid extra regulam fecerint, ab Epiſcopis corrigantur, qui ſemel in anno in loco vbi Epiſcopus elegerit, accepta vocatione conveniant.* Can. Abbates 18. qu. 2. Conc. Arelatenſ. 5. can. 2. *Monaſteria, vel monachorum diſciplina ad eum pertineant Epiſcopum, in cujus ſunt territorio conſtituta.* can. monaſteria ead. cauſ. & quæſt.

In partes Orientis clericos deſtinat, pro dominicæ crucis ligno. Radegundis Regina reliquias dominicæ crucis miſſis Clericis

Hieroſolymam obtinuit, & in Pictavienſi monaſterio in arcâ argenteâ, cum alijs reliquijs Sanctorum collocavit, cum ſolemni pompâ id eſt grandi pſallentio & cereorum ac Thymiamatis id eſt ſuffitus apparatu, de quo Gregor. ipſe de mirac. Martyr libr. 1. cap. 5.

Regis ſe tuitione munierunt. Abbatiſſa Pictavienſis quia iniquiorem experiebatur Meroveum Epiſcopum, monaſterium commendavit tuitioni Regiæ. VVifredus Comes Bituricenſis cum uxore Oda poſuit monaſterium Stradenſe, & ultro ſubmiſit tuitioni Pipini Regis Auctor Anonym. vit. Genulfi lib. 2. cap. 8. *Quibus vt ſe tempus obtulit, continuò de rebus eidem loco delegandis teſtamentum faciunt, Domnique Pipini Regis adeuntes præſentiam, vota ſuggerunt, & locum ſibi rebus decretis per teſtamentum ejus poteſtati committunt, vt ipſius auctoritate atque Francorum deinceps Regum providentia tueretur.* Monaſteria ab ipſis fundatoribus ſolebant commendari tuitioni regiæ, quod patribus Galliarum non diſplicuit Synod. Meldenſ. can. 41. *Providendum eſt regiæ majeſtati, vt monaſteria quæ ab hominibus in ſua proprietate conſtructa, prædeceſſores illius cauſa defenſionis & Mundeburdi ſuſceperunt, vt libera libertate, ibidem religio obſervaretur.*

Vnde factum eſt vt abſens ad Childebertum Regem præceptionem eliceret, vt ei hoc monaſterium ſicut reliquas parochias regulariter liceat gubernare. Meroveus Pictavenſis Epiſcopus neſcio quo animo reſpuit regimen monaſterij S. Radegundis ſed conſilio Gregorij noſtri ejuſdem regimen ad ſe revocavit obtento etiam ſuper hac re præcepto regio, nam ea ætate pleraque etiam quæ pertinerent ad Eccleſiam, manu regia feliciter gerebantur.

Intenditis contra rationem & nullomodo vobis ea ſeries inſeri poteſt, quæ blaſphemiam arceat. Id eſt nullatenus recta ratio vobis animo inſeri poteſt, quæ culpæ notam arceat, eadem analogiâ ſerietas eſt tractatus de rebus ſerijs Sidon. lib. 1. epiſt. 9. *Tandem reditum eſt in publicam ſerietatem quæ rebus actitandis, januam, campumque patefecit.* Idem libr. 9. epiſt. 13. *cum ſerietate*, id eſt ſerio, ſeries propriè eſt ordo & catena rerum geſtarum. Ambroſius de Paradiſ. cap. 12. *Pura enim & ſimplex*

mandati forma ſervanda eſt, vel teſtimonij ſeries intimanda eſt, plerumque teſtis, dum aliquid ad ſeriem geſtorum ex ſuo adjicit, totam teſtimonij fidem partis mendacio decolorat.

Et ſe infra baſilicam ſancti Hilarij tutaverunt. Tutare ſe idem eſt quod tuitionis ſeu tutelæ cauſa intra Eccleſiam confugere, ſe in tuto ponere. Gregor. libr. 6. cap. 4. *At ille cernens ſe in diſcrimine, tutatâ intra vrbis Lugduni Clauati muros conjuge ſuâ, ad Guntchramnum Regem confugit*, Papias. *Tutari ſervare defendere.*

Dicentes quia Reginæ ſumus. Chrodieldis filia Chariberti Regis, & Baſina filia Chilperici Regis queruntur de mala tractatione Abbatiſſæ Pictavenſis, quia Reginæ erant. Regum filiæ etiam velatæ inter ſanctimoniales Reginæ dicebantur, ut & ipſa Chrodieldis infr. libr. 10. cap. 15. *Nolite inquit super me quæso vim inferre, quæ sum Regina, filia Regis, Regisque alterius consobrina*, ut apud veteres Ilia Numitoris filia, & Veſtæ Sacerdos dicitur Regina. Virgil. 1. Æneïd.

—— Donec Regina Sacerdos.
Marte gravis, geminam partu dabit Ilia prolem.

Ubi Servius. *Regina Regis filia abuſivè dicit more poëtico.* Et Ilione majori natarum Priami ſceptrum tribuit idem vates eod. libr.

Præterea ſceptrum Ilione quod geſſerat olim
Maxima natarum Priami.

Lucillæ ſorori Auguſtæ honores conceſſit Commodus thronum regium, & ignis prælationem Herodian. libr. 1. καὶ γὰρ ἐπὶ τῦ βασιλείυ καθῆστο, ἐν τοῖς θεάτροις, καὶ τὸ πῦρ προεπόμπευεν αὐτῆς. *Nam & in ſpectaculis in regio throno ſedebat, & ignis ei præferebatur.*

Dum autem hæc agerentur Gundegiſilus Burdegalenſis, adjunctis secum Nicaſio Egolismenſi, & Saffario Petrogorico ac ipso Meroveo Pictavenſi Episcopis, eò quod hujus vrbis Metropolis eſſet ad baſilicam S. Hilarij advenit. Pictavum eſt ſub Metropoli Burdegalenſi, idcircò Chrodieldis & Baſina ſanctimoniales cœnobij Pictavienſis, quia per contumaciam ad monaſterium, è quo cum quadraginta virginibus egreſſæ erant, redire ſuaderi non potuêre, à Gundegiſilo Burdegalenſi Metropolita-

no adjunctis Meroveo Pictavienſi & alijs Coëpiſcopis, conventu habito in baſilica S.Hilarij excommunicatæ ſunt. Eadem de causâ indictâ Synodo Gundegiſilus Burdegalenſis cum ſuis ſuffraganeis convenit Gregor. infr. lib. 10. cap. 15. *Guntchramnus verò Rex Gundegiſilem Burdegalenſum, cum Provincialibus ſuis, eò quod ipſe Metropolis huic vrbi eſſet.*

Exurgens turba Murionum. Morio ſtultus à Græco μῶρος ſtultus. Auguſtin. epiſt. 28. *Quidam verè tantæ ſunt fatuitatis, vt non multùm à pecoribus differant, quos Moriones vulgò vocant.* Idem libr. 1. de peccator. remiſſ. contr. Pelagian. cap. 33 *Ipſos quoque fatuos videmus quos vulgò Moriones vocant; ad cordatorum delicias adhiberi, & in mancipiorum æſtimatione pretioſiores eſſe cordatis* Idem libr. 3. contr. Julian. cap. 3. *Quis autem neſciat, quos vulgò Moriones vocant, natura ita fatuos, vt quibuſdam eorum, penè ſenſus pecorum conferatur.*

Tanta eos in ipſa S. Hilarij baſilica cæde mactavit. Mactare eſt fuſtibus aut virgis quem cædere. Pelagius in can. de Benedicto 32 qu. 1. *Vt eum cùm ipſa quoque adultera diſtrictè mactare non differas.* Gregor. P. in Ezechiel. Homil. 10. *Sæpè enim quoſdam vidimus tota ſe mente ad ſanctæ lectionis ſtudium contuliſſe, atque inter verba dominica recognoscentes, in quantis deliquerint, ſemetipsos in lachrymis mactare.* Et Gregor. noſter de vit. Patr. cap. 10. *Rusùmque ad eum veniens tanta eum cæde mactavit, vt vix putaretur euadere,* inde ni fallor ortum vernaculum *Matter,* Orderic. Vital. libr. 12. *Castrum condere cæpit, quod Mata putetenam, id eſt deuincens meretricem pro deſpectu Haduiſſæ Comitiſſæ nuncupavit.* Mactare etiam pro affligere, vexare, dixere veteres. Plaut. in Aulular. *Dotatæ mactant & malo & damno viros*, & infr. eod. *non edepol. nunc ego te mediocri macto infortunio*, idem in Pœnulo. *Divitem audacter ſolemus mactare infortunio*, idem in Epidico. *Si ero reprehenſus macto ego illum infortunio.*

Non inquiſito Cleni fluminis vado. Clenus amnis, *c'eſt le Clain.* Oritur è finibus Lemovicum Pictavum præterlabitur, mergitur Vigenna fluv.

Radegundis peccatrix. In ſubſcriptione epiſtolæ ad Epiſcopos Galliæ Radegundis Regina ſe dicit peccatricem humili-

ſtatis caauſa, eodem genio in ſubſcriptionibus conciliorum Epiſcopi ſe dicunt peccatores.

Electione etiam noſtræ congregationis Domnam & ſororem meam Agnetem Abbatiſſam inſtitui. B. Radegundis Monaſt. puellarum Pictavis condidit & dotavit, & ei Agnetem ſororem Abbatiſſam impoſuit, non ſine electione congregationis. Ejuſdem meminit Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 4. cap. 29. *Venerabilis verò Agnes Pictavarum ſanctimonialium Abbatiſſa relatum ſibi ab ipſo cui contigit Treverico negotiatore*, &c.

Epiſtolæ vicarietate proſternor. Epiſtolæ vicarietas quædam eſt, id eſt Vicarium officium, quia per epiſtolam abſentes, amicis præſentium vice funguntur. Senec. epiſt. 40 *Si imagines nobis amicorum abſentium jucundæ ſunt, quæ memoriam renouant, & deſiderium abſentiæ falſo atque inani ſolatio leuant, quanto jucundiores ſunt litteræ, quæ vera amici abſentis veſtigia veras notas afferunt.* Eugenius Epiſcopus Carthaginenſis in epiſt. ad Catholicos apud Gregor. libr. 2. cap. 3. *Neceſſarium duxi, has pro me Vicarias veſtræ dirigere ſanctitati.* Tertull. de idololatr. *litteræ Vicariæ oris noſtri.*

Seu Abbatiſſam alteram, quam ſororem meam Agnetem quam Beatiſsimi Germani præſentibus ſuis fratribus benedictio conſecravit. Germanus Pariſienſis Epiſcopus Agnetem ſororem B. Radegundis Abbatiſſam Pictavienſem benedixit. Benedictio Abbatum moris antiqui eſt, pertinetque ad Epiſcopum cap. ſicut tuis de Simon cap. ſtatuimus de ſuppl.neglig. Prælat. cap. meminimus de accuſat. cap. cùm contingat de ætat. & qualit. & ordin. præfic. Ivo Carnot. epiſt. 73. & 88.

Aut extra regulam, exinde egredi quis tentaverit. Extra regulam idem eſt ac præter regulam, aliàs extra regulam dicuntur facta, delicta monachorum, quæ non pertinent ad regulam, quorum tantùm cognitio pertinebat ad Epiſcopum, in his quæ pertinebant ad regulam, Monachi habebant ſuum judicem, nimirum Abbatem Conc. Tolet. 4. can. 50. *Hoc tantùm ſibi in Monaſterio vindicent Sacerdotes Abbates, aliaque officia inſtituere, atque extra regulam facta corrigere* can. hoc tantùm 18. qu. 2.

Vt ſicut prædones & ſpoliatores pauperum, extra gratiam veſtram habentur. B. Radegundis in epiſt. ſcripta ad Epiſcopos, eorum & Regum tuitioni commendat Pictavienſe Monaſterium, violatoribus emunitatum ipſius, imprecatur ut ſicut prædones & ſpoliatores pauperum, alieni ſint à gratia Epiſcoporum, id eſt excommunicentur, ſubjunxit & atrociorem imprecationem ut Dei & ſacræ Crucis & B. Mariæ judicium incurrant & beatos Confeſſores Hilarium & Martinum habeant contradictores & perſecutores.

Ex permiſſu & ſolatio Domnorum Regum. Solatium accipe pro ope & auxilio. Gregor. infr. libr. 10. cap. 3. *Nunciantes adeſſe exercitum in ſolatium eorum,* & cap. 8. ejuſd. libr. *Sed innocentius ſi de filijs tuis vnum accipio, quem Clericum factum, in ſolatio meo retineam, faciam quæ precaris.* Idem ſupr. libr. 5. cap. 14. *Cumque parvum ſolatium qui eum ducebant haberent, ab ipſo Gauleno in itinere excuſſus eſt.* Solatiari, pro opem ferre Gregor. M. libr. 1. epiſt. 13. *Huic vos ſolatiari in quo ſibi neceſſe fuerit admonemus, nulluſque ſit ei de quolibet moleſtus articulo.* Idem eod. lib. epiſt. 19. *Solatiante domino nobis.* Solari eſt refici ſeu recreari. Adrevald. de mirac. S. Benedicti libr. 1. cap. 4. *Tres eum corvi, quibus ſolari ſolitus erat, ſunt circumvolantes ſecuti.*

Et vt hæc ſupplicatio mea, quam manu propria ſubſcripſi vt in vniuerſalis Eccleſiæ archivo ſervetur, effuſis cum lachrimis deprecor. B. Radegundis in fin. epiſt. deprecatur Epiſcopos ut epiſtola illa, quæ continet commendationem ſui monaſterij, perpetuæ memoriæ cauſa deponatur in archivo univerſalis Eccleſiæ, id eſt in archivo Eccleſiæ Romanæ, intelligens ibi tutiorem fore epiſtolam, ubi tuta ſunt diligenti cuſtodiâ, inſtrumenta totius Eccleſiæ. In archivo eccleſię Romanæ deponũtur inſtrumenta eccleſiaſtica cuſtodiæ cauſa c. ad audientiã extr. de præſcript. Clem. Romani in fin. de jurejur. Gregorii & aliorum Pontificum epiſtolas in ſcrinio Eccleſiæ Romanæ cuſtodiæ cauſa depoſitas, & inde petitas per Nothelmum Presbyterum Londinenſis Eccleſiæ refert Beda in præf. Hiſt. *Nothelmus poſtea Romam veniens, nonnullas ibi Beati Gregorij ſimul & aliorum Pontificum epiſtolas perſcrutato ejuſdem ſanctæ Eccleſiæ Romana*

manæ ſcrinio, permiſſu ejus qui nunc ipſi Eccleſiæ praeeſt Gregorij Pontificis invenit, de quo plura dixi in Ecdico adverſ. Joan. Launoium Presbyter. & Theologum.

Cui provocatæ Chrodieldis, cum reliquis puellis ad audientiam dixerunt, non venimus quia à communione ſuſpenſæ ſumus, ſi reconciliari meremur, tunc ad audientiam venire non differimus. Chrodieldis & ſociæ ad audientiam id eſt in judicium vocatæ à Theutario Preſbytero Miſſo regio, judicio abſtinuerant, quod eſſent ſuſpenſæ à communione. Excommunicatus non poteſt ſtare in jure & judicio cap. cum deſideres extr. de ſen-tent. excommunicat. c. decernimus eod. tit. in 6. c. pia de ex-cept. eod. Hodie in Gallia exceptio excommunicationis non poteſt opponi in foro ſeculari, id eſt excommunicatus non prohibetur agere in judicio. gloſſ. in pragmatic. tit. de cauſis §. ſtatuit. 2. in verb. effuſus. Aufrer. de poteſt. Eccleſ. ſup. laïcos num. 2.

LIBR. X.

Cap. I. SVBSECVTA *eſt de veſtigio clades, quam inguinariam vocant.* Romæ exorta eſt pæſtis ſæviſſima quâ primus omnium percuſſus eſt Pelagius Papa. Lues inguinaria dicitur à percuſſione inguinis. Iſidor. libr. 4. cap. 6. *Ipſa & inguina ab inguinum percuſsione.* Gregor. ſupr. libr. 9. cap. 21. *Nam tunc ferebatur Maſsiliam à lue inguinaria valde vaſtari.* Idem de mirac. Martyr libr. 2. cap. 45. *Igitur Cautini Epiſcopi tempore, quo ingruentibus peccati ſpopuli Arverna Regio ab excidio luis, quàm inguinariam vocant devaſtabatur*, idem ſupr. libr. 4. cap. 5. *Hujus tempore cum lues illa quam inguinariam vocant, per diverſas regiones deſæviret.*

In rebus proprijs ſex in Sicilia Monaſteria congregavit, ſeptimum intra vrbis Romæ muros inſtituit. Gregorius morte patris rerum ſuarum compos factus, in proprijs prædijs ſex in Sicilia monaſteria condidit & dotavit, ſeptimum in urbe in honorem S. Andreæ, ad Clivum Scauri, in quo & monachum profeſſus eſt teſte Joanne Diacono libr. 1. cap. 4. ſe monachum fuiſſe non ſilvit, & ipſe Gregor. in Ezech. Homil. 11. *Et quidem in Monaſterio poſitus, valebam & ab ocioſis linguam reſtringere, & in intentione orationis penè continuè mentem tenere*, & Beda Hiſt. libr. 2. cap. 1.

Septimuſque Levita ad adjutorium Papæ adſciſcitur. Gregorius à Benedicto Pontifice Diaconus Cardinalis creatus, nec multò poſt à Pelagio Apocriſarius miſſus Conſtantinopolim

teſte Joan. Diacono libr. 1. cap. 23. 26. Baronies maluit eum Diaconum Cardinalem creatum à Pelagio.

Vnde factum eſt vt epiſtolam ad Imperatorem Mauricium dirigeret, cujus filium ex lavacro ſancto ſuſceperat. Gregorius cum Apocriſiarij officio fungeretur in aula Conſtantinopolitana, Mauritij Imp. filium ex ſacro baptiſmi fonte ſuſcepit Jo. Diac. libr. 1. cap. 40.

Septiformem Letaniam, Gregorius peſtis avertendæ causâ majorem Letaniam, id eſt ſolemnem proceſſionem indixit, quam ſeptiformem vocat Gregorius quod per ſeptem ordines diſtincta eſſet ut narratur fuſiùs hic & apud Jo. Diaconum libr. 1. cap. 41.

Clamantes per plateas vrbis Kyrie eleiſon. Gregorius I. in litâ ſolemni, quam inſtituit peſtis depellendæ causâ, juſſit cantari Kyrie eleiſon. Idem inſtituit Kyrie eleiſon decantari ad Miſſas, Sigibert. in Chronic. ad ann. 592. *Hic inter multa quæ Eccleſiæ vtilia fecit & inſtituit, Antiphonarium regulariter centonizavit, & vtiliter compilavit. Kyrie eleiſon à clero, ad Miſſas cantari præcepit*, de quo ipſe Gregor. libr. 7. epiſt. 63. & Joannes Diac. libr. 2. cap. 21. Nec omittendum quod apud Chriſtianos Kyrie fuit clamor militaris. Luitprand. Hiſt. libr. 2. cap. 3. *Haud morâ bellum incipitur, atque ex Chriſtianorum parte ſancta mirabiliſque vox* Κύριε, *ex eorum* (Hungarorum) *turpis & diabolica Hui Hui frequenter auditur.*

Sed nec deſtitit Diaconus noſter, niſi ad Epiſcopatum ejus de Porto rediret, & qualiter ordinatus fuerit præſenti contemplatione ſuſpicere. Gregorius invitus electus. Pontifex fugam molitus, à fuga reductus. Diaconus Gregorij noſtri, qui tum Romæ verſabatur horum omnium ſpectator, non prius receſſit ab urbe quam Gregorius rediret de Porto, id nomen portus Romani in oſtio Tyberis, unde è fuga retractus eſt, ad Epiſcopatum ejus, id eſt ad Pontificatum ſuſcipiendum, & Pontifex ordinaretur.

Aut populum commanentem. Manentes ſunt manentes vicani ſeu municipes, vulgò *manans & habitans*. Gregor. de vit. Patr. cap. 1. *Verum vbi relinquentes hoc habitaculum, quod expetierant ad villas manentium ſunt regreſſi.* Cap. 3.

Cap. 5. *Reſponderunt hoc Animodi Vicarij dolo, qui pagum illum judiciaria regebat poteſtate factum fuiſſe.* Vicarius hic eſt Vicarius Comitis, qui erat Prætor ſeu Judex pagi Gregor. ſupr. libr. 7. cap. 23. *Injurioſus ex Vicario, ex Comite verò Eunomius.*

In ſupradicta vero vrbe, Childebertus Rex omne tributum tam Eccleſijs, quam Monaſterijs, vel reliquis Clericis, qui ad Eccleſiam pertinere videbantur, aut quicumque Eccleſiæ officium excolebant largâ pietate conceſsit. Childebertus Rex Eccleſiæ Arvernæ & monaſterijs omne tributum remiſit, Agri à Principe Eccleſijs conceſſi immunes à tributis & vectigalibus. Conc. Aurelianenſ. 1. can. 7.

In confinio verò termini Arverni Gabalitani atque Ruteni Synodus Epiſcoporum facta eſt contra Tetradiam relictam quondem Deſiderij. Synodus Epiſcoporum Aquitaniæ celebrata eſt contra Tetradiam uxorem Eulalij Comitis Arvernorum, quæ viro relicto ob ſævitiam & malos mores tranſierat ad Deſiderium, à quo modo receſſerat, ex quo relicta Deſiderij dicitur.

Denique cum in oratorio domus ſuæ, hæc in oratione frequenter incumberet. Majores habebant privata oratoria domi, & clericos quos obſervantes vocat Conc. Aurelian. 4. can. 26. oratorium Mariligenſis domus quæ erat villa regia memorat Gregor. infr. h. libr. cap. 18. *Ante hos verò dies cùm Rex in oratorium domus Mariligenſis ingrederetur.*

In cilicio quo orabat ſuggillata reperitur. Religioſiores orabant ſtrati ſuper cilicio, ſedebant etiam in cilicio. Sulpit. Sever. Dialog. 1. *Iactis in terram cilicijs conſedimus,* & infra, *quod cùm dixiſſet paululùm omnes conticuimus, dein cilicium, cui inſederat, ad me propius admovit*, ijdem in cilicijs cubabant Hieronym. de Paulâ. *Sed ſuper duriſsimam humum ſtratis ciliciolis quieſcebat.*

Cautini Arvernēſ. E. meminit Greg. de mirac. Mart. lib. 2. cap. 45.

Tu verò ſi idoneus es, vt adſeris, accede propiùs & ſume tibi Euchariſtiæ particulam, atque impone ori tuo. Eulalius Comes à Cautino Arvernenſi Epiſcopo à communione remotus ob rumorem de nece uxoris, eo poſtulante admiſſus ad communionem purgationis cauſa, id eſt ut ſe purgaret de ſuſpicione criminis per SS. Euchariſtiam, ait ſume tibi Euchariſtiæ particulam, quia ex more antiquo Sacerdos tradebat SS. Eucha-

riſtiam in manu fidelium, quibus liberum erat, aut ſtatim eam conſumere, aut domum aſportare & ſumptionem reſervare in tempus opportunum. Tertull. de orat. cap. 14. in fin. *Accepto Corpore Domini, & reſervato, vtrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificij, & executio officij.* Idem libr. 2. ad uxor. cap. 5. *Non ſciet maritus quid ſecreto ante omnem cibum guſtes, & ſi ſciverit panem non illum credit eſſe qui dicitur.* Ambroſ. de exceſſ. Satyr. *Satyrus in naufragio ab his quos initiatos eſſe cognoverat, divinum illud fidelium ſacramentum popoſcit, non vt curioſos oculos inſereret arcanis, ſed vt fidei ſuæ conſequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium involuit in collo, atque ita ſe dejecit in mare.* Ruffin. de vit. Patr. libr. 1. cap. 29. *Aliud quoque multo terribilius addebat.* (Macarius Junior) *quod vidiſſet eo tempore quo fratres accedebant ad ſacramenta, vbi porrexiſſent ad ſuſcipiendum palmas, in nonnullorum manibus prævenientes Æthiopis carbones déponere.* Beda Hiſt. libr. 4 c. 24. *Rursùs ille & tamen ait afferte mihi Euchariſtiam, quâ accepta in manu, interrogauit*, Ioann. Diacon. libr. 1. cap. 33. *Tunc in eadem navi reſidentes, non jam ex mortis vicinia, ſed ex ipſa ejus præſenti viſione turbati, omnes ſibi metipſis pacem dederunt corpus & ſanguinem acceperunt.* Fideles in manibus lotis accipiebant SS. Euchariſtiam, & per ſe eam ori admovebant. Auguſtin. de tempor. ſerm. 245. *Si erubeſcimus, ac timemus Euchariſtiam, manibus ſordidis tangere, plus debemus timere ipſam Euchariſtiam intus in anima polluta ſuſcipere.* Viri ſumebant Euchariſtiam purâ id eſt nuda manu, fœminæ velatæ linteolo, quod dicebatur dominicale à dominico corpore Chriſti, quod in eo ſuſcipiebatur. Conc. Antiſiodor. can. 41. *Vt vnaquæque mulier, quando communicat, dominicalem ſuum habeat.* Auguſtin. de tempor. ſermo. 252 *Omnes viri quando communicare deſiderant, lavant manus ſuas & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi corpus Chriſti accipiant.* Moribus Ægyptijs fideles Euchariſtiam in manu accipiebant, eamque aſportabant domum, & in armario reponebant Pallad. Hiſt. Lauſiac. cap. 79. οὗτος ὁ πίστικος κατὰ τὸ ἔθος τῆς χώρας ἔλαβεν κοινωνίαν τῇ ἁγίᾳ, καὶ βαλὼν αὐτὴν, ἐν μυστικίῳ ἀπέθετο ἐν τῷ ἰδίῳ ἀρμαρίῳ. *Fidelis juxta conſuetudinem regionis die ſancto cœnæ dominicæ*

ſumptam communionem inuoluit in linteo, & in armario repoſuit. Et quia honeſtiores aſſumebant Euchariſtiam in vaſe aureo vel argenteo in contemptum tenuiorum, nè id fieret vetitum eſt Synod. 6. in Trull. can. 101. Et quia aliquando evenit ut quis Euchariſtiam in manibus acceptam non conſumeret hoc vetitum eſt Conc. Tolet. 1. can. 14. *Si quis autem acceptam à Sacerdote Euchariſtiam, non ſumpſerit, veluti ſacrilegus propellatur.* Conc. Rothomagenſ. can. 2. apud Burchardum libr. 3. cap. 76. decretum eſt ut deinceps à laïcis Euchariſtia nuda manu non attingeretur, ſed à Sacerdote in os fidelium immitteretur. Ait Euchariſtiæ particulam, quia Euchariſtiæ particula tradebatur, quâ acceptâ ſtatim accipiens eam conſumebat, & hoc eſt quod ſignat Gregorius his verbis, quę ſequuntur, *at ille accepta Euchariſtia communicans abſceſsit.* Confracta SS. Euchariſtia Sacerdos particulam ſumebat & alias fidelibus diſtribuebat. Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 87. *Verum ubi explicitis verbis ſacris, confracto corporis Dominici ſacramento, & ipſe ſumpſit, & alijs diſtribuit ad edendum, mox equini hinnitus ad modum vocem emittens, ad terram ruit, ac ſpumas cum ipsâ myſterij ſacri particula, quam dentibus comminuere non valuit, ab ore projiciens, inter manus ſuorum ab Eccleſia deportatur.* Et hoc inſinuat Auguſtin. ſermon. de verb. Domin. *Et norunt fideles, quemadmodum manducent carnem Chriſti, vnuſquiſque accipit partem ſuam, unde & ipſa gratia partes vocantur.* Beda Hiſt. libr. 4. cap. 14. *Simul & infirmanti puero de ſacrificio dominicæ oblationis particulam deferri mandavit.*

Sed concubinæ ejus inſtigante inuidiâ, maleficijs ſenſum ejus oppilauerunt, ſenſus pro mente Gregor. ſupr. libr. 4. cap. 31. *Sed & ſenſum vis illa veneni auferebat ab homine.* Idem libr. 5. cap. 5. *Aſperiùs extra ſenſum factus.* Idem cap. 16. ejuſd. libr. *Cùm autem Iuſtinus Imperator amiſſo ſenſu amens effectus eſset.* Oppilare, idem valet quod obſtruere Gregor. ſupr. libr. 6. cap. 48. *Certè ſi obpilatas habet aures.* Auguſtin. libr. 3. de Trinit. *Sed quid vltra differimus evidentiſsimo atque graviſsimo alio documento oppilare.* Eſaiæ 6. *Incraſſa cor populi hujus, & aures eorum oppila.*

Suſceptoque Innocentius Epiſcopus puero, totondit comam ca-

pitis ejus, deditque eum Archidiacono Eccleſiæ ſuæ. Joannes filius Eulalij Comitis & Tetradiæ ſuſceptus ab Innocentio Epiſcopo Rutenenſi, ordinatus eſt in Clericum tonsâ comâ capitis. Clerici ordinati per tonſuram capitis. Gregor. de vit. Patr. cap. 9. *Sed abijt ad Arcadium Biturigiæ vrbis Epiſcopum, petijtque comam capitis tonderi, adſciri ſe in ordinem Clericorum, quod Epiſcopus domino volente ſine mora complevit*, de quo intelligendus Ammian. libr. 22. *Dum ædificandæ præeſſet Eccleſiæ, cirros puerorum licentius detondebat.* Clericus tonſus traditus eſt Archidiacono inſtituendus. Clerici erant ſub cura & manu Archidiaconi qui præerat menſæ canonicæ, quæ erat menſa Clericorum Gregor. d.c. 5. *Nec multo poſt Diaconatus officium ſumens vacabat jejunijs, delectabatur vigilijs, exercebatur lectione, atque in oratione aſsiduâ promptus effundebatur, vt nec ad convivium menſæ Canonicæ, cum reliquis accederet Clericis, quod audiens Archidiaconus frendens contra eum ait*, &c. Hinc Majorinum lectorem in Diaconio Cæciliani fuiſſe ſignat Optat. Milevit. libr. 1. *Et Majorinus qui lector in Diaconio Cæciliani fuerat.*

Cumque res quas de ejus abiens ad Deſiderium domo abſtulerat, inquireret judicatum eſt, Tetradia vt quadrupla ſatisfactione ablata reſtitueret. Tetradia judicio Synodi Epiſcopalis damnata eſt in quadruplum, Eulalio marito reſtituere res amotas, cum ab eo ſeceſſit ad Deſiderium. Actio furti eſt in quadruplum l. in furti ff. de furt. Plaut. in Perſa *neque quadruplari me volo, neque enim decet*, idem in Curcul. *quam ego pecuniam quadruplicem abs te & vxore auferam.* Judex qui temerè judicaſſet damnabatur in quadruplum Gregor. ſupr. libr. 4. cap. 44. *Quatuor millibus ſolidorum Archidiaconum condemnavit, quod in præſentia Regis Sigiberti veniens, quadrupla ſatisfactione, inſequente Iovino compoſuit.*

In quorum capite Beppolenum & Ebracharium Duces delegit. Cap. 9. Duces in capite, vulgò *en chef.* Gregor. ſupr. libr. 4. cap. 30. *Erat enim tunc Firminus Comes vrbis illius, qui cum ipſis in capite abijt.* Idem eod. libr. cap. 49 *Quod illi diſſimulantes Rex Godegiſilum, & Guntchramnum Duces in capite dirigit.*

Baiocaſsinos Saxones juxta ritum Britannorum tonſos atque

cultu veſtimenti compoſitas, in ſolatium VVaroci abire præcepit, Ait Baiocaſſini Saxones, Saxones ex Anglia tranſvecti Baiocaſſibus miſti, quâ de causâ dicti ſunt Baiocaſſini Saxones, ritu Britannorum tonſi, & veſtes cultu ſimiles. Ritu Britannorum ſuſcepére Normanni, ubi enim ij Duce Guillelmo transfretarunt, quærente Haroldo Rege Anglorum à ſpeculatoribus miſſis ut eos obſervarent, quale nam eſſet hominum genus, reſponſum eſt omnes clericos videri, quia raſi & tonſi eſſent, Anglis diſpares qui erant intonſi. Continuator Bedæ libr. 3. cap. 11. *Redeuntes percunctatur Heroldus, quid rerum apportent, illi verbis ampliſsimis ductoris magnificam confidentiam proſecuti ſerio addiderunt penè omnes in exercitu illo Presbyteros videri, quod totam faciem cum vtroque labro raſam haberent, Angli enim ſuperius labrum pilis inceſſanter fruticantibus intonſum dimittunt.* Idem Matth. Paris in Haroldo ad ann. 1066. Baiocaſſini Saxones memorantur & ſupr. libr. 5. cap. 27. ubi dixi.

Quo recedente, & Regalis Epiſcopus, cum Clericis & Pagenſibus vrbis ſuæ ſimilia ſacramenta dedit. Pagenſes ſunt populares, regionis incolæ à pago. Gregor. ſupr. libr. 8. cap. 18. *Nam VVintrio Dux à Pagenſibus ſuis depulſus, Ducatu caruit.* Fredegar. c. 36. *Enovalaus Comes Sigiontenſis, cum Pagenſibus ſuis.*

Ad Andegauam vrbem direxit, Meduanæ torrentis expetens pontem. Meduana torrens *la R. de Maine*, Andegavum mediam perfluit, inde brevi tractu Ligeri mergitur VVillelm. Brito Philippid. libr. 10.

A Borea rubeus mediam Meduana pererrat
Qui ſuus inde fluens, quaſi per duo millia lapſus,
In Ligerim nomen perdit, mutatque colorem.
Et ſic hybernus Ligeris Meduana Vigenna
Efficitur fluvius.

Dum Guntramnus Rex per Voſagum ſylvam venationem exerceret veſtigia occiſi bubali deprehendit. Venatio ſtudium gentilitium Regum Francorum Eginart. in vit. Caroli M. *Aſsiduè exercebatur equitando ac venando, quod illi gentilitium erat, quia vix vlla in terris natio invenitur, quæ in hac arte Francis poſsit æquari*, & paulo ante *tum filios quamprimùm ætas patiebatur,*

batur, more Francorum equitare armis, ac venationibus exerceri fecit. Geſta Dagoberti cap. 2. *Cum autem adoleſcentiæ ætatem, vt genti Francorum moris eſt, venationibus exerceret.* Inde venationes vernæ & autumnales uſu ſolemnes Regibus, maximè apud Voſagum quæ eſt ſylva regia confinis Ardennæ in vit. Caroli M *& inde per Arduennam vſque ad Rumorici montis altitudinem, Voſagique latiſsimam vaſtitatem, totum quod ſuperfuit, dimidium æſtivi, & autumni temporis tranſegit*, Gallis *Voyſe.*

Cumque cuſtodem ſylvæ arctius diſtringeret, quis hæc in regali ſylva gerere præſumpſiſſet. Cum Guntranus Rex in Voſago ſylva venatione ſe exercendo, veſtigia occiſi bubali deprehendiſſet, & cuſtodem ſylvæ graviùs perſtringeret, quiſnam eſſet auctor facinoris, & à cuſtode ſylvæ audiſſet hunc eſſe Chundonem Cubicularium Regis Chundone capto, & in vincula truſo, & rem inficiante Rex indixit duellum, & à Cubiculario datus nepos qui pro ſe certaret, quo occiſo, Chundo quaſi convictus vinctus ad ſtipitem lapidibus eſt obrutus, de quo ſeriùs Regem pœnituit. In regia ſylva venari non licet, abſque permiſſu Regis, Otho. III. Imp. dedit foreſtam Rothardo Epiſcopo Cameracenſi, ita ut nulli in ea venari liceret, ſine licentia Epiſcopi ejuſve ſucceſſorum. Baldric. Nov. l. 2. cap. 108.

Rex campum dijudicat. Guntranus indicit campum id eſt ſingulare certamen. Campus propriè eſt locus ſingularis certaminis. Baldric. Noviomenſ. libr. 1. cap. 10. *Ipſum quidem hominem ad ſingulare certamen, quod ruſticè dicimus campum provocaverunt.* Idem libr. 3. cap. 57. *Campum contra eum accepit, & legaliter fundum ſuum adjudicatus perdidit.* Campus etiam uſurpatur pro loco exercitationis, inde campeſtria ſunt ſubligacula ſeu ſuccintoria, quibus juvenes ſuccingebantur, cùm exercerentur in campo, & campeſtrati qui ita ſuccincti erant. Auguſtin. de civit. libr. 14. cap. 16. *Et fecerunt ſibi campeſtria id eſt ſuccinctoria genitalium, porro autem campeſtria Latinum quidem verbum eſt, ſed ex eo dictum eſt quod juvenes, qui nudi exuebantur, in campo pudenda operiebant, vnde qui ita ſuccincti ſunt campeſtratos vulgus appellat.* Idem Auguſtin. de

nupt. libr. 2. cap. 30. Campum etiam accipe pro loco ſupplicij Auguſtin. libr. 1. contr. Epiſt. Parmeniani cap. 7. *quin etiam audet queri Parmenianus, quod eos Conſtantinus ad campum, id eſt ad ſupplicium duci juſsit.*

Ingeltrudis verò Religioſa, quæ in atrio ſancti Martini puellarum Monaſterium collocavit, cùm ægrotare cœpiſſet, neptem ſuam Abbatiſſam inſtituit, vnde reliqua congregatio maximè murmuravit. Non injuriâ murmuravit congregatio hujuſce monaſterij, quod Eugeltrudis neptem Abbatiſſam deſignaſſet, quia electio Abbatis vel Abbatiſſæ pertinet ad Monachos vel Monachas can. congregatio 16. qu. 7. cap. cum dilectus de conſuetudin.

Hæc verò cum filiâ diſcordiam tenens, pro eo quod res ſuas ei abſtulerat, obſecravit vt neque in monaſterio, neque ſuper ſepulchrum ejus permitteretur orare. Eugeltrudis ob offenſam, vetuit nè filiæ liceret orare in monaſterio, vel ſuper tumulo ipſius. Veteres orabant ſuper tumulis mortuorum illato pane & vino Auguſtin. in pſalm. 48. *Invocabunt nomina eorum in terris ipſorum. Tollunt panem & merum ad ſepulchra, & invocant ibi nomina mortuorum.*

Rex verò oblitus judicij, quod matri fecerat, huic aliam præceptionem manus ſuæ roboratam ſubſcriptione largitus eſt. Epiſtolæ codicilli & reſcripta Principum muniuntur ſubſcriptione Principis, vel Referendarij ſive Cancellarij ipſius. Gregor. infr. h. libr. cap. 19. *Requiſituſque Otho, qui tunc Referendarius fuerat, cujus ibi ſubſcriptio meditata tenebatur, negat ſe ſubſcripſiſſe.*

Cùm oſſa arida obtecta cute, nervis ſolidata, venis infecta flante ſpiritu animata, infecta id eſt refectâ, vel coloratâ tinctâ, ut lana infecta, lana tincta l. ſi cui lana §. 1. de legat. 3 l. pediculis §. Labeo de aur. & arg. legat.

Cap. 13. *Vnde & à Ragnemodo Pariſiacæ Vrbis Epiſcopo, ſæpiùs excommunicatus eſt, quod ad Eccleſiam ſuam, in qua Diaconus ordinatus fuerat, redire differret.* Theodulfus Diaconus Eccleſiæ Pariſienſis à Ragnemodo excommunicatus eſt, quod eo invito tranſijſſet ad Andegavenſem Eccleſiam, & ſe Audoveo Epiſcopo ſubjeciſſet, Clericus ordinatus in quapiam Eccleſia non poteſt invito Epiſcopo ordinari in alia Eccleſia, alioquin ſuſ-

ceptus cum eo qui ſuſcepit eum excommunicatur, donec ad propriam revertatur Eccleſiam Conc. Chalced. can. 20. can. clericos 71. diſt. Quod ait ſæpiùs excommunicatum cautè intelligendum, ſemel excommunicatus non poteſt rurſus excommunicari, ſed indicta excommunicatio poteſt ſæpiùs denuntiari, & hoc eſt quod voluit Gregorius Theodulſum ſæpiùs denuntiatum excommunicatum.

Factum eſt autem ut ædificaret ſuper muros urbis ſolarium. Solarium eſt deambulatorium quod ſoli patet. Anaſtaſ. in Adriano. *Ubi & deambulatorium ſcilicet ſolarium ſuum, cum cancellis æreis nimis pulcherrimè conſtrui fecit.*

Sudarium Epiſcopi quod baltheo dependebat. Id eſt è cingulo. Petrus Bleſenſ. ſermo. 41. *Sudarium namque quod & manipulus dicitur geſtas in læva, quondam meſſores ob ſudorem detergendum zonæ alligatum ſudarium portabant.* Sudarium eſt linteolum quo ſudor oris detergitur, à quo diminutivum ſudariolum Hieronym. in Sabinianum Diaconum. *Futuro matrimonio in ſpeluncâ illa venerabili, quaſi quoſdam obſides accipis capillos, ſudariola infelicis, & cingulum dotale pignus deportas.* Sudarium geſtitari ſolebat, pendens è cingulo. Sudarium linteolum quo ſudor oris tergitur Gregor. infr. h. libr. cap. 24. *Cui ille qui erat ſenior, tenens ſudarium in manu ſua ait,* & infra, *& elevans manum excuſſit ſudarium.*

Niſi pedes Epiſcopi Abbas velociter amplexus eſſet. Abbas commune nomen præpoſitis Eccleſiarum ſecularium & Regularium ut Abbas Cadurcinæ urbis ſupr. lib. 7. cap. 30.

Gravabatur enim dolore humoris podagrici. Abbatiſſa M. S. Radeg. Pictav. dicitur laboraſſe Podagra. Fœminas non laborare Podagra niſi poſtquam menſtrua defecerint, dixit Hyppocrat. 6. Aphoriſm. ſua ætate etiam fœminas eſſe Podagricas ob mutatam vitæ rationem tradit Senec. epiſt. 95. Cap. 15.

Introeuntes in oratorium, repererunt jacentem ſuper humum, ante archam ſanctæ Crucis. B. Radegundis Pictavis condidit Monaſterium puellarum, & in eo collocavit reliquias crucis dominicæ in arca argentea de quo Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap 5. & Gregor. infr. hoc cap. *Palla altaris quod erat ante crucem dominicam,* & rursùs, *quod cùm Chrodieldis cernens*

acceptâ cruce dominicâ, cujus prius virtutem deſpexerat, in obviam egreditur.

Intereà Iuſtina Præpoſita, cum alijs ſororibus, palla altaris, quod erat ante crucem dominicam, extincto cereo Abbatiſſam operit. Juſtina erat Præpoſita Monaſt. S. crucis Pictavienſis. Præpoſitus eſt qui poſt Abbatem præeſt Monaſterio Conc. Aquiſgranenſ. can. 31. *Vt Præpoſitus infra & extra Monaſterium, poſt Abbatem majorem reliquis Abbatis ſubditis habeat poteſtatem.* Palla altaris eſt pallium, quo tegitur altare.

Cælo modicum albeſcente, id eſt diluculo ut in l. Titius §. 1. de liber & poſth. *eodem die albeſcente cælo.* Virgil. 4 Æneïd. *Vt primum albeſcere lucem vidit.* Gell. libr. 15 cap 25. ex Mattio veteri poëtâ *jam jam albicaſſit Phœbus & recentatur.*

Et aſsiduæ cædes, & reliquæ plagæ à ſeditionarijs perpetrarentur. Seditionarij pro ſeditioſis ut apud eundem ſupr. libr. 5. cap. 31. factionarij pro factioſis.

Dum ſeditioni quam Chrodieldis ſchola commovit reſiſterent. Schola hic pro ſchola ſeu cœtu conſpiratorum ut infra hoc capit. *Poſteà verò multæ inter has ſcholas inimicitiæ ortæ ſunt.*

Sed nos reſultare cœpimus dicentes. Reſultare eſt repugnare contradicere ut infr. hoc cap. *Si vim vellent inferre pariter reſultarent*; & rursùs, *& acriùs reſultantes gladiorum ictibus adfectos.* Virgil. 4. Georgic. *Vociſque reſultat imago.* Ambroſ. in pſalm. in proem. *Vox miſſa gratiore plauſu, in montibus reſultat.* Gregor. Papa libr. 1. epiſt. 20. *Sed quia divinis judicijs non poteram reſultare*, ubi plura obſervavi.

Tunc reſidentibus Sacerdotibus qui aderant, ſuper tribunal Eccleſiæ, adfuit Chrodieldis multa in Abbatiſsam jactans convicia. Tribunal Eccleſiæ eſt ambo ſeu ſuggeſtus Eccleſiæ.

Alijs cæſarie, alijs manibus, nonnullis auribus, manibuſque deciſis ſeditio depreſſa quievit. Abſciſſio manuum, aurium, capillorum pœnæ genus frequens apud Francos. Aimoin. lib. 3 c 43. *Leudaſtis de fiſcalinis ortus ſervis fugâ ſe ſervitio ſubtraxit quam dum ſæpiùs reductus repetit, auris abſciſione ſignatus eſt.* Hoc genus pœnæ à Juſtiniano vetitum Nov. 134. cap. ult.

Quæ enim ſanctitas in hac Abbatiſſa verſatur, quæ viros Eunuchos facit, & ſecum habitare imperiali ordine præcipit. Chro-

dieldis notat Leuboveram Abbatiſſam Pictavienſem, quod apud ſe haberet Eunuchum, eoque uteretur more imperiali. Eunuchi ſc. erant in obſequio & miniſterio Imperatorum. Claudian. libr. 1. in Eutropium Eunuchum penes quem ſumma rerum fuit, ſub Arcadio.

Præfecti ſed adhuc gemmis, veſtique dabantur
Cuſtodes, ſacroque adhibere ſilentia ſomno,
Militia Eunuchi numquam tranſgreſſa cubile.

De Eunuchorum officio plura dixi in Gregor. libr. 6. epiſt. 23. quæ his junge.

Adfuit Reovalis Archiater dicens, puer iſte parvulus cùm eſſet, & infirmaretur in femore deſperatus cæpit haberi, tunc ego ſicut quondam apud vrbem Conſtantinopolitanam agere conſpexeram, inciſis teſticulis puerum ſanum genitrici mæſta reſtitui. Leuboveræ Abbatiſſæ Pictavienſi inter cætera cum objectum eſſet, quod in miniſterio haberet virum, qui muliebri veſte amictus pro fœmina habebatur, re patuit eum eſſe Eunuchum qui ob infirmitates puerulus exſectus fuerat à medico, ferunt enim exſectione virilium lepram curari C. ex parte de corpor. vitiat. Ætius ſerm. 13. cap. 122. Boët libr. 1. de diſciplin. ſcholaſt. ideò ob infirmitatem exſecti à medicis non arcentur à ſacris ordinibus, & in ſuſceptis permanent Conc. Nicen. can. ſi quis à medicis 55. diſt. Cujac. 17. obſ. 24.

Adjicientes etiam eo quod diverſæ earum, in balneo lavarentur. Monachis utriuſque ſexus balneo interdictum niſi certis temporibus Auguſtin. epiſt. 109. ad Monachas quaſdam. *Lavacrum etiam corporum, vſuſque balnearum non ſit aſsiduus, ſed eo quod ſolet intervallo temporis tribuatur, hoc eſt ſemel in menſe.* De uſu balneorum ſe excuſavit Abbatiſſa hoc factum, per tempus quadrageſimæ, ut jejunij rigor levaretur. Et hoc eſt quod ſequitur. *De Balneo verò quod opponeretur, retulit hoc factum diebus quadrageſimæ.* Cap. 16.

Ad tabulam ipſa luſerit. Ludus tabulæ eſt ludus calculorum, quia calculis in tabula luditur. Auguſtin. de tempor. ſermon. 56. *Tempus quod vobis furioſus tabulæ ludus ſolebat auferre, lectio divina incipiat occupare.* Fredegar. c. 27. *Protadius in tentorio Theodorici Regis, cum Petro Archiatro, ad tabulam ludens*

ſedebat. Paul. VVarnefrid. de geſt. Longobard. lib. 1. cap. 13. *de ſpe victoriæ nihil ambigens ad tabulam ludit.* Sidon. lib. 8. epiſt. 12. *Hic tabula calculis ſtrata bicoloribus. Hic teſſera frequens, eboratis reſultatura pyrgorum gradibus expectat.* Teſſeræ ſunt taxilli luſorij, inde ludentes hoc genere ludi dicuntur teſſerarij. Ammian. libr. 28. *Quidam aleatorum vocabulum declinantes, ideòque ſe cupientes appellari teſſerarios.* Abbatiſſa Pictavienſis incuſata, quod tabula luſerit, ſeſe purgavit dicens, id nec vetitum per regulam, nec per Canones id eſt per Cæſarij Arelatenſis regulam quam impoſuit B. Radegundis monaſterio Pictavienſi.

Atque ſeculares cum Abbatiſsâ reficerent. Abbatiſſa Pictavienſis incuſata quod ſeculares cum ea reficerent, id eſt reficerentur epulis, reſpondit ſe nullam hac ſuper re conſuetudinem inſtituiſſe, ſed ut moris erat à temporibus B. Radegundis diebus certis fidelibus Eulogias, id eſt epulas benedictionis nomine obtuliſſe, numquam tamen ſe cum illis epulatam.

De palla holoſerica veſtimenta neptis ſuæ temerariè fecerit. Abbatiſſa eadem culpata quod neptis ſuæ ſponſalia celebravit intra monaſterium, eique veſtem contexuérit de pallâ quæ data erat ad ornatum altaris; non negavit ſponſalia celebrata intra monaſterium, ſed hoc actum coram Epiſcopo clero & ſenioribus, & ſi qua culpa eſſet veniam petijt, de pallâ non negavit ſe nepti veſtem confeciſſe, de Maforte Holoſerico quem muneris cauſa ei dedit nobilis monacha cui nomen erat Didimia, de eo quod reliquum fuit pallam confeciſſe ad ornatum altaris Gregorij verba infra hæc ſunt. *De palla quod reputaret protulit Monacham nobilem, quæ ei Mafortem Holoſoricum quem de parentibus detulit, muneris cauſa conceſſerit.* Maforte Holoſericum, erat veſtis muliebris, caput & humeros tegens, veſtis laxioris genus fuiſſe ex eo liquido colligas, quod Maforte de quo ſermo eſt hic, fuit idoneus ad veſtem neptis Abbatiſſæ, & ad pallium altaris. Mafortis meminit Fortunat. in vit. S. Hilarij apud Surium 13. Jan. *Item cum juxta conſuetudinem, quadam nocte cereus illuminatus fuiſſet, caſu ſuper ſepulchrum ejus ardens corruit, ita vt ſuper Mafortem quo cecidit, ſine læſione aliquâ perarderet.* Idem in vit. S. Radegund. Apud Surium Auguſt. 13. *Ma-*

ſortem novum linteum, auro vel gemmis ornatum. Maſortc fuit & pallium monaſticum Caſſian. de inſtit. Cœnobit. libr. 1. cap. 7. *Poſt hæc anguſto palliolo tam amictus humilitatem, quam vilitatem pretij, compendiumque ſectantes, colla pariter, atque humeros tegunt, quæ Maſortes tam noſtro quam ipſorum nuncupantur eloquio.* Libato nomine à græco μαφόριον, eliſum ex ὠμοφόριον quod id genus veſtis humeros tegat.

Foliola aurea quæ fuerant in gyro pallæ. Lymbus pallæ de qua Abbatiſſa nepti veſtem contexuit, erat ornatus foliolis aureis. Palla eſt breve pallium uſque ad genu, Valer. Flacc. 3. Argonautic. *Summo palla genu.*

Vittam de auro exornatam eidem nepti ſuæ ſuperfluè fecerit. Abbatiſſa incuſata quod neptis ſponſalia celebravit, intra monaſterium, & quod vittam auro ornatam eidem fecerit. Vitta eſt faſcia quæ in modum coronæ imponebatur capiti nubentium puellarum. Vittam de corona ſponſalitia intelligi opportunum eſt, quia vitta tradita eſt puellæ, occaſione ſponſalium, & Abbatiſſa probavit per teſtes ſe eo nomine accepiſſe viginti ſolidos à ſponſo puellæ, ut hæc fierent ad ornatum puellæ. Diadema vocat Hieronym. in Ezechiel. libr. 4. cap. 16. in illa verba. *Et coronam decoris in capite tuo. Coronam autem vocat diadema fœminarum, quo capillorum ſtringitur & ornatur ambitio.* Coronam ob collocandas nuptias adhibuit M. Tull. 3. de orator. *Tetulit coronam ob collocandas nuptias.* Tertull. de coron. milit. *Coronant & nuptiæ ſponſos.*

Barbatorias intus eo quod celebraverit. Varios inter lapſus qui objiciebantur Abbatiſſæ Pictavienſi illud fuit, quod barbatorias intus, id eſt intra monaſterium celebraret, conſuetudo prava inoleverat, ut clerici & Monachi laruas ſeu perſonas agerent in Eccleſia & monaſterio, & ut mulieres veſte virili induerentur, & barbatorias, id eſt capillum & barbam, virilem in modum aſſumerent, quod vetuit Conc. Nannetenſ *Nec laruas dæmonum ante ſe fieri conſentiat, quia hoc diabolicum eſt, & à ſacris Canonibus prohibitum*, can. nullus 44. diſt. can. nullus de conſecr. diſt. 5. & Synod. in Trull. can. 62. ubi morem ſeculi rectè obſervat damnatque Balſamo. De hujuſmodi ludo intelligendus locus ſingularis in fragment. Petronij. *Tum*

Trimalcio amici inquit hodiè ſervus meus barbatorium facit & Satyrici dicuntur qui ludi cauſa ſibi imponunt larvam, id eſt barbam Accurſ. in l. unic. in pr. C. de latin. liber. toll. *Satyrici ludentes imponunt laruam, id eſt barbam, vt etiam juvenis videatur ſenex, qui non eſt.* De his Eĸĸeard. junior de caſib. monaſt. S. Galli cap. 2. *Saltant Satyrici, pſallunt Symphoniaci.*

De veſtimento verò dixit, ſi quis earum arcellulas ſcrutaretur, ampliùs eas habere quàm neceſsitas indigeret. Arcellulæ ſunt parvulæ arcæ, in quibus veſtes vel pecuniæ reponuntur, Gregor. ſupr. libr. 2. cap. 40. *In hanc arcellulam ſolitus erat pater meus numiſmata auri congerere.* Monaſterijs debet eſſe unum veſtiarium, de quo Monachi veſtem aſſumere debent Auguſtin. epiſt. 109. ad Monachas quaſdam. *Et ſicut paſcimini ex vno cellario, ſic induamini ex vno veſtiario.*

Sed ad juſsionem Epiſcoporum repromiſit, cervice ſe inflexa, per pœnitentiam, quicquid juberetur implere. Abbatiſſa Pictavienſis de varijs inſimulata, de nonnullis confeſſa, de his ſubmiſſa cervice ſe pœnitentiam accepturam promiſit. Ait cervice inflexa, quia pœnitentes accipiebant pœnitentiam proſtrati, demiſſo capite & cilicio tecto Conc. Agathenſ. can. 9. *In capite quadrageſimæ omnes pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo civitatis, ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demiſsis, reos ſe eſſe ipſo habitu & vultu proteſtati.* Idem Conc. can. 15. *Pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum & cilicium ſuper caput à Sacerdote ſicut vbique conſtitutum eſt conſequantur.* Can. pœnitentes can. in capite 50. diſt. pœnitentium caput quoque ab Epiſcopo virgâ feriebatur Optat. Milevit. lib. 1. cap. 9. *Et quaſſetur illi caput de pœnitentiâ.*

Tunc nobis percunctantibus, cauſam adverſæ partes quæ majora crimina commiſerunt, id eſt quæ prædicationem ſui Sacerdotis, intra monaſterium, nē foras procederent deſpexerunt. Chrodieldi & ſocijs, quod fuit inter majora crimina objectum, quod ſpreta monitione Marovei Epiſcopi è ſeptis monaſterij egreſſæ ſunt ſine conſenſu Abbatiſſæ. Monachis utriuſque ſexus non licet egredi è Monaſterio ſine conſenſu Abbatis vel Abbatiſſæ Syn. 6. in Trull. can. 46.

Mo-

Monaſterium ſeditioſiſsimè accenſis in corte cuppis. Monaſteſterio Pictavienſi ignis ſubjectus ', accenſis in corte cuppis. Cortis vel curtis à Latino curia corruptum hic accipitur pro aula, aliàs curtis ſeu cortis eſt villa prædium Frodoard. in Chronic. ad ann. 937. *Quidam Presbyter de Bouonis curte ſic enim villa vocatur.* Adamus Bremenſ. libr. 4. cap. 5. *Quinquaginta ergo cortes dominicales habuit Archiepiſcepus.* Curiam pro fundo ſeu prædio interpretatur Innocent. III. in cap. cum Bertholdus de re judicat. *Cùm Bertholdus miles curiam ſuam ſive fundum Nuinenaſten P. militi pignori obligaſſet*, ait ſeditioſiſſimè id eſt per ſeditionem.

Vectibus ac ſecuribus contractis poſticis. Poſtica eſt oſtium in poſteriori parte ædium. Feſtus *poſticum oſtium dicitur in poſteriori parte ædium.* Papias. *Poſticum oſtium eſt latens oſtium, dictum quod remotum ſit à publico.* Plaut. in Moſtellariâ *Nunc ergo me illa per porticum ad congerrones conferam*, Gall. *vne poterne.*

Denudata & diſciſſa capillis Abbatiſſa, graviter ad ridiculum ducta, & tracta per compita. Abbatiſſæ capilli vulſi notantur. Hac ætate ſanctimoniales ſaltem quæ erant regij generis non erant tonſæ ad cutem, quod erat contra Canones. Etiam Veſtales deponebant capillum. Plin. libr. 16. cap. 44. *Antiquior illa eſt* (Lotos) *ſed incerta ejus ætas quæ capillata dicitur, quoniam Veſtalium virginum capillus ad eam defertur.* Abbatiſſa nudata veſte, traducta ad ridiculum id eſt ut rideretur ab omnibus, ridiculum eſt riſus publicus. Plaut. in Amphit. *Equidem joco dixeram dudum ridiculi causâ.* Lamprid. in Heliogabalo. *Habuit leones & leopardos exarmatos in delicijs, quos edoctos per manſuetarios, ſubitò ad ſecundam & tertiam menſam jubebat accumbere ignorantibus cunctis, quod exarmati eſſent, ad pavorem & ridiculum excitandum.* Conſpectu ſc. ferarum excitabatur pavor, mox ubi apparuiſſet eas eſſe exarmatas & innoxias pavorem excipiebat riſus convivarum. Gregor. de mirac. Martyrum libr. 1. cap 79. *Qui ait ad Epiſcopum ſile ſile decrepite, jam infrenatum te loris, circuire vrbem ſuper aſinum faciam, vt ſis in ridiculo omnibus, qui te aſpexerint.* Idem libr. 3. cap. 13. *Ita vt & quadam vice vxori quæ ſanctus fecerat pro ridiculo indicaret.* Idem libr. 6. cap. 46. *Nec aliunde magis dum*

ſecretus eſſet exercebat ridicula vel jocos, quam de Eccleſiarum Epiſcopis. Auguſtin. de fide contr. Manich. cap. 74. *Magna ridicula, magna cæcitas.*

Cap. 19. *Cùm primum decurrente pure, cœpiſſent ipſa vulnera claudi.* Pus eſt ſanies manans è vulnere, vel ulcere. Gregor. de vit. Patr. cap. 19. *Mulier quædam filiam ſuam exhibuit vulneribus plenam, & ut quidam vocant, pus eadem generat,* & infra, *erumpente ſanguine mixto cum pure.*

Ibique ſub cuſtodia degens, Rex Epiſcopos arceſsiri, ad ejus examinationem præcepit. Epiſcopi adhibiti à Childeberto Rege ut audirent Ægidium Epiſcopum Rhemenſem, etiam in crimine Læſæ Majeſtatis, ob reverentiam ordinis Epiſcopalis.

Villas verò quas memoras, per illius Regis chartus emerui. Donationes prædiorum & rerum immobilium fiebant per chartham, quæ non valebat niſi munita eſſet ſubſcriptione Referendarij cui ſucceſſit Cancellarius, quo pertinent verba quæ ſequuntur. *Requiſituſque Otho, qui tunc Referendarius fuerat, cujus ibi ſubſcriptio meditata tenebatur, adfuit negat ſe ſubſcripſiſſe.*

Quia ſi radix cujuſlibet rei inciſa non fuerit, culmus qui terris eſt editus non areſcet. Culmus eſt calamus ſpicę, qui à radicibus naſcitur. Virgil. 1. Georgic. *Culmumque levem ſtipulaſque volantes*, & ibi Servius. *Culmus dicitur ipſe calamus, ſtipulæ verò folia quæ ambiunt calmum.*

Negavit ſe Epiſcopus has epiſtolas, vel miſiſſe ſuo nomine vel ſuſcepiſſe à reſcripto Chilperici. Reſcriptum hoc eſt reſponſoria epiſtola. Reſcripta ſunt reſponſa Principum ad libellos ſeu preces judicum, vel privatorum, ut in rubr. C. de diverſ. reſcript.

Sed puer ejus familiaris adfuit, qui hæc notarum titulis, per tomos chartarum comprehenſa tenebat. Adverſus Ægidium prolatæ ſunt epiſtolæ, quas dicebatur ſcripſiſſe ad Chilpericum Regem, vel ab eo accepiſſe, ſed de his convictus eſt per puerum ejus familiarem, qui has epiſtolas per notas ſcriptas, varijs tomis id eſt voluminibus collectas, apud ſe tenebat, Notarij erant qui dictata ſcribebant per notas, unde nomen No-

tarij Auguſtin. de Doctrin. Chriſtian. libr. 2. cap. 26. *Ex eo genere ſunt etiam notæ, quas qui didicerunt, propriè jam notarji appellantur.*

Nam ego novi me ob crimen Majeſtatis reum eſſe mortis. Ægydius Rhemenſis Epiſcopus læſæ majeſtatis inſimulatus apud Epiſcopos, & teſtibus tabuliſque convictus rem ipſe confeſſus eſt, ſe reum mortis non negavit, ob crimen læſæ majeſtatis. Rei damnati antequam traderentur ſupplicio deducebantur ad Eccleſiam, & ibi publicè reatum confiteri ſoliti Sigibert. ad ann. 1094. *Iubente Vicedomino vocata mulier venit, & qualiter hominem occidiſſet, nequaquam celavit, judicatum eſt igitur eam ignibus debere concremari, ſed priùs ducta ad Eccleſiam Beatæ genitricis Mariæ, peccatum ſuum coram Deo & hominibus exordine narravit*, &c.

Hæc Epiſcopi audientes, lamentantes fratris opprobrium obtenta vita, ipſum ab ordine Sacerdotali, lectis Canonum ſanctionibus remouerunt. Ægidius Rhemenſis Epiſcopus in Concilio Epiſcoporum Metis congregato depoſitus. Remiſsâ ei à Rege pœna capitis, interceſſione Epiſcoporum. Idem Flodoard. Rhemenſ. Hiſt. libr. 2. cap. 2.

Epiphanio Abbatis officio, qui baſilicæ ſancti Remigij præerat remoto. Epiphanius Abbas S. Rhemigij, teſtis auditus adverſus Ægidium Rhemenſem Epiſcopum, idemque cum eo, eodem judicio, Abbatis officio depoſitus, quia inventus eſt particeps ſcelerum Ægidij.

Veniam petijt promittens ſe cum charitate Abbatiſſæ monaſterium ingredi. Baſina admiſſorum veniam petijt, & promiſit ſe redituram ad Pictavenſe monaſterium, è quo diſceſſerat cum charitate Abbatiſſæ, id eſt cum bona venia Abbatiſſæ. In caritatem receptum Nantinum Comitem ab Heraclio Epiſcopo Engoliſmenſi, id eſt in gratiam ſeu communionem dixit Gregor. ſupr. libr. 5. cap. 36. *Convaleſcentibus autem apud civitatem Sanctonas Sacerdotibus deprecabatur Nantinus vt pacem Epiſcopi mereretur. At ille fratrum juſsioni obaudire procurans Comitem in charitatem recepit.* Caritatis nomine pro gratia uſus eſt idem libr. 6. cap. 19. *Sed ille cuncta emendans fratris, quæſivit integrè charitatem.* Idem cap. 31. ejuſd. libr. *Ideò Childebertus nepos* Cap. 20.

tuus charitatem quam nunc tecum retinet integrè vult ſervare. In præceptum Abbatis dicitur caritas, quia Abbas debet præeſſe cum charitate ut & Epiſcopus. Conc. Cabillonenſ. 2. can. 11. *Cavendum eſt nè cùm Epiſcopi Parochias ſuas peragrant, nec quod abſit cum charitate, ſed cum quadam judiciaria invectione ſtipendia ab ijs exigant.* Can. cavendum 10. qu. 3. Regulæ monaſticæ ſcopus eſt charitas, id eſt ſtudium charitatis hinc regula Ciſtercienſium, dicta eſt charta charitatis. Sigibert. ad ann. 1107. *Stephanus Abbas Ciſtercienſis, regulam compoſuit quam voluit nominari chartam charitatis.*

Gladiumque mirabilem, cujus capulum ex gemmis Hiſpanicis, auroque diſpoſitum erat. Filij VVaddonis, ut ſibi conciliarent Childebertum Regem, ei obtulére Baltheum auro & gemmis ornatum, & gladium cujus capulum auro gemmiſque Hiſpanicis inſignitum erat. Gemmarum Hiſpanicarum appellatione intelligi oportet gemmas quæ ab Indis per Hiſpanos petebantur, & ab Hiſpania ad nos perveniebant, in Hiſpania contexebantur etiam veſtes pretioſæ quas ſpaniſcas vocarunt pro Hiſpanicis ut Spaniam pro Hiſpaniâ Anaſtaſ. in Leon. 4. *Veſtem de ſpaniſco vnam ornatam in circuitu de fundato, ſimiliter vela de ſpaniſco ornata in circuitu de fundato*, & rursùs. *Vela de Spaniſco duo.*

Cap. 22. *Vivarienſem Avennicamque vrbem, graviter lues inguinaria devaſtavit.* Vivario Albenſium civitas Epiſcopalis Provinciæ Narbonenſis vulgò *Viviers*; alia ab Alba Helviorum Plinio memorata libr. 3. cap. 4. quæ eſt noſtris *Aubenas* ejuſdem Diœceſis.

Cap. 24. *Oppleta ligni congerie pice tergoribuſque ſuillinis immixti.* Martyres cremari ſolebant lignis pice tergoribuſque ſuillis immixtis, igni damnati ſolebant & indui tunica pice & ſulfure illitâ, Senec. epiſt. 14. *Cogita hoc loco carceres & cruces, & eculeos, & vncum, & adactum per medium hominem qui per os emergat ſtipitem, & diſtracta in divorsum actis curribus membra, illam tunicam alimentis ignium, & illitam & intextam.*

Cap. 25. *Ibique indutus pellibus, quaſi religioſus orabat.* Ea ætate impoſtor quidam fingens ſe Chriſtum adjuncta ſorore ſeu mere-

tricula, quam vocitabat Mariam, vagabatur per Galliam, plebis turbas poſt ſe trahens.

Ad quem includendũ pars adverſa, divinandi ei tribuit facultatem. Impoſtori huic pars adverſa ſive adverſarius id eſt diabolus tribuit poteſtatẽ divinandi, Diabolus Hebraica lingua vocatur Sathan id eſt adverſarius ſive contrarius, vel Belial id eſt Apoſtata. Græcis & Latinis Diabolus à Græco διάβολος quod eſt calumniator. Hieronym. in Eſaïam libr. 7. cap. 27. *Tradunt Hebræi, Diabolum id eſt criminatorem, quod Græcum nomen eſt Hebraicè appellari Sathan, hoc eſt adverſarium, appellaturque Belial, id eſt Apoſtata, prævaricator & abſque jugo, unde & Apoſtolus quæ inquit communicatio Chriſti ad Belial*, quod ijſdem ferè verbis repetit idem in epiſt. ad Epheſ. libr. 2. cap. 4. Gregor. ipſe libr. 6. cap. 29. *Princeps verò noſter, quem vos diabolum nominatis, nihil in ea participatur.*

Iſque accepto Epiſcopatu, omnem ſcholam deceſſoris ſui, Syros de genere ſuo, Eccleſiaſticæ domui miniſtros ſtatuit. Euſebius ex negociatore Syro factus Epiſcopus Pariſienſis ſtatim omnem ſcholam miniſtrorum deceſſoris ſui dimiſit. Scholæ Palatinorum erant diverſa tagmata ſeu ordines & corpora militantium ſub uno Comite in palatio, ſic dicta à Græco σχολάζω quæ ſonat vaco. Ambroſ. in 1. ad Corinth. cap. 12. *Scholæ enim ſunt quæ poſitis in ſe dant dignitatem, ut loci honor hominem faciat glorioſum, non propria laus.* Corippus de laudibus Juſtin. libr. 3. Cap. 26.

Aciti proceres omnes ſcholaque palati eſt.

Similiter ſchola cantorum dicitur chorus ſive corpus pſaltarum Eccleſiæ, incertus auctor in vit. Carol. M. *Præcipiens de omnibus civitatibus Franciæ magiſtros ſcholæ antiphonarios eis ad corrigendum tradere, & ab eis diſcere cantare*, & infra *quantumque Magiſterium Romanum ſuperat Metenſe, in arte cantilenæ tanto ſuperat, Metenſis cantilena cæteras ſcholas Gallorum.* Abbas Urſpergenſ. in Carolo M. *Fuit autem conſuetudo, ut in Baſilica ejus, Magiſter ſcholæ deſignaret, pridiè ſingulis quod reſponſorium quis cantare deberet in nocte.*

Nam illum non oportet ſcandalizari, ſi conſobrinum ejus filium fratris mei de ſancto ſuſcipium lavacro, quia hanc petitionem nullus Chriſtianorum debet abnuere. Patrimi ſeu ſuſcepto- Cap. 28.

ris officium, eſt pietatis officium, quod à Chriſtiano quoquam reſpui non poteſt.

Cap. 29. *Ac ex familia propria tonſuratos inſtituit Monachos.* Aredius cœnobium conſtruxit in ſuo fundo in finibus Lemovicum, & ex propriâ familiâ tonſuratos inſtituit monachos. Monachi tonſi, & hoc eſt quod dicitur monachos recipi humiliatis, id eſt decurtatis capillis Gregor. de glor Confeſſ. cap. 22. *Ad nos verò cum horum notitia deveniſſet, puerum humiliatis capillis huic monaſterio ceſsimus.* Monachi tonſi ab Abbate cùm recipiuntur Gregor. de vit. Patr. cap. 6. de Gallo. *Cumque ei pater cujuſdam Senatoris filiam quærere vellet, ille aſſumpto ſecum puerulo, Monaſterium Cromonenſe expetijt, ſexto ſitum de Arverna vrbe Milliario, ſuppliciter Abbatem exorans, vt ſibi comam capitis tondere dignaretur.*

Et valedicens abſceſsit gratias agens Deo, quia priuſquam obiret, ſepulchrum Beati Antiſtitis oſculari promeruiſſet. Aredius Abbas gratias egit Deo, quod priuſquam è vivis abiret, licuerit oſculari ſepulchrum B. Martini. Moris erat antiqui oſculari ſepulchrum & reliquias Sanctorum Gregor de mirac. D. Martin. libr. 2. cap. 49. *Dumque beatum ſepulchrum labijs oſculans, lachrymis rigat, mox beati Confeſſoris auxilium implorans, fide non diffiſus ſolitum præſtolatur auxilium.* Idem eod. libr. cap. 36. *Oſculato autem fideliter velo, quo capſa Sanctorum coôperta erat, mox in pedes conſtitit.* Et Gregorius infr. h. ipſo cap. *Poſt celebratum vero funus, mulier quædam rictu patulo ſine vocis officio, ad ejus acceſsit tumulum, quo oſculis delibato, elocutionis meruit recipere beneficium.*

Cap. 30. *Apud Lemovicum verò vrbem, ob Dominici diei injuriam, pro eo quod in eo operam publicam exercerent plerique igne cæleſti conſumpti ſunt.* Dies dominicus colendus abſque opere ſervili à veſpera ad veſperam Syn. Laodic. can. 29. Capitul. lib. 1. cap. 86. Conc. Agath. can. 47. Aurel. 1. cap. 28. can. miſſas & ſeq. de conſecr. diſt. 1. Rothomag can. 9 Burkard 2. decr. c. 239. Diem dominicam non impunè contemni probavit incendiũ Lemovicæ urbis, quod contigiſſe memoratur ob injuriam dominicæ.

Cap. 31. *Hic prohibuit nè Maximus gladium in Hiſpaniam ad interficiendos deſtinaret hæreticos.* Martinus Turonenſis Epiſcopus in-

tercesſit apud Maximum Tyrannum Treveris ſedentem, nè gladio ſæviretur in Priſcillianiſtas in Hiſpania, in Gallia in Synodo Burdegalenſi damnati Ithacius & Urſatius Epiſcopi qui apud Maximum effecerant ut in Priſcillianiſtas gladio animadverteretur, Sever. Sulpit. Hiſt. ſacræ lib. 2. cap. 60. & ſeqq. ad fin. uſque Sigebert. ad ann. 386. Priſcillianum ſeculi gladio, & totius orbis judicio damnatum refert Hieronym. ad Chteſiphont. adverſ. Pelag. *Quid loquar de Priſcilliano, qui & ſeculi gladio, & totius orbis auctoritate damnatus eſt.*

In monaſterio verò quod nunc Maius dicitur, baſilicam in honorem Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ædificavit. Martinus Turonenſis E. ædificavit monaſterium quod Majus dictum eſt. Hodie *Marmouſtier.* Hujuſce monaſterij meminit Bernard. Clarevallenſ. epiſt. 228. *Cluniacenſes, & qui de Majori Monaſterio ſunt.* Ordericus Vital. libr. 4. ad ann. 1067. *Maius enim Monaſterium à ſanctiſsimo Martino Turonorum Archiepiſcopo, cæptum eſt, ibique bonorum hominum religio crevit, inſpirante Deo, & multiplicata eſt.* & Aute Severus de vit. B. Martin. *Aliquandiù ad Eccleſiam cellula vſus eſt, deinde cum frequentantium inquietudinem ferre non poſſet, duobus ferè extra civitatem millibus Monaſterium ſtatuit*, &c.

In vicis quoque id eſt Alingavienſi, Solonacenſi, Ambacienſi, Ceſomagenſi, Condatenſi, Ternomagenſi Eccleſias ædificavit. Martinus Turon. E. Eccleſias ædificavit certis vicis, quos inter cenſetur vicus Ambiacenſis, hic eſt Turonicæ Diœceſis ad Ligerim. Gregor. de mirac. D. Martin. libr. 2. cap. 17. *Quodam die dum Guntranus Boſo, contra vicum Ambiacenſem Ligerim fluvium tranſmearet.* Idem libr. 4. cap. 41. *Puer quidam pedibus manibuſque contractus de vrbe Themallo in pago Turonicæ vrbis, vici Ambiacenſis adveniens ad Baſilicam ſancti*, ibi fuit caſtrum vetus memoratum Severo Sulpitio dialog. 3. *In vico autem Ambatienſi, id eſt caſtello illo veteri, quod nunc frequens habitatur à fratribus.* Feudum nobile quod honoris nomine intellexit Robert. Montenſ in Chronic. ad ann. 1161. *Caput autem ſui honoris ſc. Ambaſiam tenebat de Rege Henricò*, noſtris *Amboiſe.* Vicus Condatenſis hic eſt ubi vita deceſſit Martinus vulgò *Condè*, Briccius proximus Martini ſucceſſor, inſti-

tuit alias Eccleſiæ per vicos Gregor. infr. hoc cap. *Hunc ferunt inſtituiſſe Eccleſias per vicos.*

Calatennum Bricam Rothomagum Briotcidem Cainonem. Cainone oppidum ſeu caſtrum Turonicæ Diœceſis Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 22. *Deinde ad caſtrum Cainonenſe vrbis Turonicæ veniens, Monaſterium conlocauit.* Idem ſupr. lib. 5. cap. 18. *Cainone verò Turonico vico*, nobis *Chinon.*

Brixis Iciodorum Luccas Dolus. Lucas caſtrum Turonicę diœceſis. Locias idem Gregor. de vit. Patr. cap. 18. *Commiſſaque Leubatio Præpoſito ſumma regulæ Monaſterium aliud ſtatuit quod nunc Locias vocant, ſitum ſcilicet ſuper fluuium Ligerim in receſſu cui nunc caſtrum ſupereminet ipſo nomine, vt monaſterium vocitatum.* Poſteriores Lucas. Abbas Vrſpergenſ. in Chronic. *Capto quodam caſtello quod dicitur Lucas,* vulgò *Loches.*

Turres holocryſo tectas. Lacerda cap. 74. adverſar. n. 14. explanat turres puro auro tectas, verum Holocryſum non eſſe aurum purum authorem habemus ipſum Gregorium de mirac. D. Martin. libr. 2. cap. 43. *Pendebat autem ſuper ipſum altare crux holocryſa eleganti opere facta, & erat tam præclara viſu, vt eam putares ex auro eſſe mundiſſimo*, & fidem ſuperat Epiſcopum qui erat auctor operis, turres auro tegere potuiſſe. Magis eſt igitur ut credamus Holocryſum hic accipi pro auricalcho, id eſt pro ære deaurato, quod ruſticis habetur pro auro.

In alijs etiam operibus elegans fuit. Faber lignarius dicitur elegans in opere propter peritiam artis. Gregor. ſupr. libr. 4. cap. 35. *Erat enim puella elegans opere.* Mundities Gregor. de vit. Patr cap. 12. *Video te fili dilectiſſime in grandi elegantiâ compoſitum*, & elegantia operis dicitur Gregor. libr. 4. cap. 20. *Protinùs Beati Martini baſilica ordinante Chlotario Rege ſtanno cooperta eſt & in illa qua priùs fuerat elegantia reparata.* Elegans etiam pro diſerto & callido. Gregor. eod. libr. cap. 29. *Vt erat elegans & verſutus.* vel pro pulchro & formoſo, idem libr. 3. cap. 1. *Habebat jam tunc Theodoricus filium nomine Theodobertum elegantem atque vtilem.*

Hic inſtituit menſam Canonicorùm. Baudinus Turonenſis Epiſcopus inſtituit menſam Canonicorum id eſt collegium Canonicorum, quod menſæ appellatione intelligitur, quia ea

ætate

ætate Clerici vivebant in commune una & eadem menſa. Gregor. de vit. Patr.cap. 9. *Nec multò poſt Diaconatus officium ſumens, vacabat jejuniijs, delectabatur vigilijs, exercebatur lectione atque in oratione aſſiduâ promptus effundebatur, vt nec ad convivium menſæ Canonicæ cum reliquis accederet clericis, quod audiens Archidiaconus frendens contra eum ait.* Adam Bremenſ. libr. 2. cap. 51. de Bezelino Archiepiſcopo Bremenſi. *Nam & clauſtrum renovavit, & canonicis menſam ipſe primus inſtituit.*

LIBR. XI.

FREDEGARII.

Cap 1. ECCLESIAM *Beati Marcelli, vbi ipſe pretioſus requieſcit in corpore, ſuburbanę Cabillonenſi.* Guntranus Eccleſiam B. Marcelli martyris apud Cabillonum condidit, & ibidem monaſterium poſuit & inſtituit ad exemplum Monaſterij Agaunenſis. Marcelli martyris Cabillonenſis meminit idem de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 53.

Cap. 16. *Eo anno exercitus Childeberti cum VVarnis, qui rebellare conati fuerant fortiter dimicavit, & ita VVarni trucidati victi ſunt, vt parum ex eis remanſiſſet.* VVarni à Childeberti Junioris Regis Auſtraſiæ copijs, ad internecionem propè deleti, hi erant populi Germanici ſubditi Regibus Francorum, qui diviſo regno in tetrarchias fuére ditionis Regni Auſtraſiæ.

Cap. 21. *Eo anno Theodobertus & Theodoricus exercitum contra VVaſcones direxerunt, ipſoſque Deo auxiliante dejectos ſuæ dominationi redigunt, & tributarios faciunt, Ducem ſuper ipſos nomine Genialem inſtituunt, qui eos feliciter dominavit.* Vvaſcones à Theodoberto & Theodorico Regibus domiti, & tributarij facti, Genialis Dux eis impoſitus, in hunc diem VVaſcones Aquitaniæ valde infeſti fuére, & ab Auſtrovaldo Duce ſæpiùs tentati, ſed infelici exitu de quo Gregor. ſupr. libr. 9. cap. 7.

Cap. 22. *Eo anno corpus ſancti Victoris qui Salodoro, cum ſancto Vrſione paſſus fuerat, à beato Æconio Pontifice Mauriannenſe invenitur.* Idem refert Sigebert. in Chronic. ad ann. 608. *Corpus ſan-*

cti Victoris Thebæi, apud Solodorum cum ſancto Vrſo paſſi invenitur. Victor & Vrſus milites legionis Thebeæ apud Solodorum Martyrium paſſi ſub Maximiano. Horum corpus inventum ab Æconio Mauriannenſi Epiſcopo. Mauriana urbs Sabaudiæ, olim Taurinenſis Diœceſis, poſtea proprium habuit Epiſcopum. Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 14. *Etiam quædam mulier à Mauriana vrbe progrediens ipſius Præcurſoris reliquias expetivit*, & infra. *Et quia locus ille Mauriennenſis ad Taurinenſem quondam vrbem pertinebat, tempore illo quo Rufus erat Epiſcopus, ait Archidiaconus ejus ad eum, non eſt dignum vt hoc pignus in loco viliori teneatur, ſed ſurge & illud accipe, & defer ad Taurinenſem Eccleſiam, quæ plus popularis habetur.* Maurianenſis Eccleſia ſacra Joanni Baptiſtæ, & ipſius reliquijs inſignis. Anaſtaſ. in Stephan. III. *Maurienna in Eccleſia ſancti Ioannis Præcurſoris Domini noſtri Ieſu Chriſti atque Baptiſtæ.* Victorem paſſum apud Troïam quæ Xantis dicitur tradit Otho Friſingenſ. Chronic. libr. 3. cap. 45. *Victorem etiam cum* CCCIX. *in vrbe Troïa quæ nunc Xantis dicitur, interemerunt.*

Vt ſurgens protinus iret ad Eccleſiam, quam Sediluba Regina ſuburbanum Genavenſe conſtruxerat. Genava, vel rectiùs Geneva civitas Epiſcopalis in finibus Allobrogum. Cæſar de bell. Gallic. libr. 1. cap. 2. *Extremum oppidum Allobrogum, proximumque Helvetiorum finibus Geneva.* Januba Gregorio de vit. Patr. cap. 8. *Igitur Florentinus quidam ex Senatoribus accepta Artemia conjuge, cùm duos jam haberet liberos, ad Epiſcopatum Ianubenſis vrbis expetebatur.* Genebenſis urbs eidem eod. cap. *Apud Gebennenſem Galliarum vrbem, dum ejus reliquiæ cum honore pſallentij portarentur.* Gebenna Othon. Friſingenſ. de geſt. Frideric. libr. 2. cap. 29. *Tres civitates inter Iuram & montem Iovis Loſannam Gebennam & N. accepit.*

Induamur vterque ego & tu veſtibus vermiclis, præcidamur cæteris, vbi congreſſus erit certaminis. Veſtes vermiclæ ſunt veſtes purpureæ, à Latino vermiculus, quo utuntur tingendæ purpuræ, unde veſtes vermiculæ dictæ, & eliſa voce vermiclæ, ſic emblemata vermiculata dicta in pavimentis teſſellæ rubricatæ. Lucillius apud Plin. libr. 36. cap. 25. *Ante pavimenta, atque emblemata vermiculata*, & M. Tull. 3. de Orator.

Quum lepidè lexeis compoſtæ, vt teſſerulæ omnes arte pavimento, atque emblemate vermiculato. Milites in Gallia uſi veſtibus purpureis quas vocant *de Eſcarleta.* Thom. Cantipratenſ. libr. 1. cap. 7. *Veſtes ejus ex ſcarleta forrata, variè duplices vix genua contingentes*, idem libr. 2. cap. 28. *Matrem quoque ſuam cum in ſolemnitate quadam optimis ſcarleticis, & rubicundis veſtibus vteretur, cum graui mœrore corripuit in Eccleſia coram conſedentibus.* VVillelm. Nangius de geſt. Ludovic. *Ab illo enim tempore numquam indutus ſqualeto* l. ſcarleto *, vel panno viridi in boneta, nec pellibus varijs, ſed veſte nigri coloris, vel camelini, ſeu perſa.* Nobiles viri purpura uſi maximè in bello vel ſingulari certamine, ut probatur ex hoc loco, ubi Landricus provocans Bertoaldum ad ſingulare certamen, monet ut ad hoc induantur uterque veſtibus vermiclis, unde ductum eſt vernaculum, *Vermeil.*

Ibique & mea, & tua apparebat vtilitas. Utilitas eſt fortitudo ſeu virtus bellica. Gregor. ſupr. lib. 2. c. 2. *Novi inquit vtilitatem tuam, quod ſis valde ſtrenuus.* Utilis eſt vir fortis ſtrenuus & utilis bello. Fredegar. infr. cap. 47. *VVinidi cernentes vtilitatem Samonis eum ſuper ſe eligunt Regem.* Gregor. ſupr. libr. 4. cap. 3. *Precor vt ſorori meæ ſeruæ veſtræ vtilem, atque habentem virum ordinare dignemini.* Idem eod. libr. cap. 22. *Et ad Francos vtiliores petijt*, idem libr. 2. cap. 9. *Ferunt etiam tunc Chlogionem vtilem ac nobiliſsimum in gente ſua Regem Francorum fuiſſe*, Idem valet probitas, id eſt ſtrenuitas. Guill. Brito. Philipp. libr. 1.

Tot bene geſta domi, tot militiæ probitates.
——— *Per nimiam probitatem illius & actus.*

Gallis *proüeſſe*, probus *preus.* Eodem ſignificatu valentia pro ſtrenuitate animi, *valleur.* Zachar. 14. *Et congregavit omnem valentiam populorum*, quem locum laudat Tertullian. adverſ. Judæos cap. 9. Auguſtin. contr. Maximin. libr. 3. cap. 14. *Et quod iſte minor, major eſt ille, poteſt tamen ad formam patris, valentiamque pervenire creſcendo*, idem de morib. Manichæor. cap. 16. *An argumento nobis eſt, firmitas quædam atque valentia, quæ iſtis rebus detrahi videtur* &paulò poſt, *non enim athletæ quibus illud robur & valentia maximè eſt neceſſaria.*

Provinciam Cantabriam Gothorum Regno ſubegit, quam ali quando Franci poſſederant. Cantabria regno Francorum erepta per Siſebutum Regem Gothorum. Cantabri iidem dicti Baſculi. Varro de re ruſtic. libr. 2. cap. 9. *Non omnis apta natio ad pecuariam, quod neque Baſculus, neque Turdulus idonei.* Deminutivè Baſcli Robert. Montenſ. in ſuppl. Sigebert. ad ann. 1179. *Quidam Baſcli & Navarrenſes, & Brebenſones venerunt ad vrbem Burdegalenſem.* Innocent. III. libr. 1. epiſt. 533. *Conjunctis & adjunctis Cotterellorum, & Baſclorum ruptis diverſis,* Baſculorum appellationem retinuit Conc. Lateranenſe habitum ſub Alexandro III. cap. 5. *De Brebantionibus, & Arragonenſibus, & Navarris & Baſculis, & Coterellis, qui tantam in chriſtianis immanitatem exercent, vt nec monaſterijs deferant, ſimiliter conſtituimus*, &c. Cap. 33.

Vbi ad ventrem purgandum in Faldeone ſedebat, ſagittâ ſaucius moritur. Falda Saxonicâ lingua eſt ſtabulum ovile, inde faldeo ſella ſtercoraria, & faldones laneæ veſtes Helmold. Hiſt. Slavor. libr. 1. cap. 1. *Itaque pro laneis indumentis, quos nos appellamus Faldones, illi offerunt tam pretioſos martures.* inde ductum & Faldiſterium ſedes Epiſcopalis plicatilis, vulgò *fauteil*, de quo Spelmannus in gloſſar. Cap. 34.

In tantum vt Theodoricus Rex ad eum ſæpè Luxouium veniret. B. Columbanus conſtruxit Monaſterium Luxovienſe in Burgundia, de quo præter Fredegarium Paulus Vvarnefrid. de geſt. Longobard. libr. 4. cap. 43. Aimoin. libr. 3. cap. 193. Sigebert. in Chronic, ad ann. 602. Cap. 36.

Itaque venerunt & juxta imperium Regis oblata offerunt. Columbanus reſpuit eſcas, quæ à Theodorico Rege offerebantur, quas oblata appellat Fredegarius. Oblata ſunt oblationes quæ religionis vel honoris cauſa offeruntur, oblatas alij Jo. Monach in Hiſt. Gaufridi Comitis, *in panibus quos oblatas appellant*, alij offerenda, Martian. Capella libr. 2. *Vt in conſeſſu cælitum offerenda probarentur.* Oblata dijs probabantur, ſic apud Germanos nuptialia munera quæ dotis cauſa maritus offerebat uxori, probabantur à parentibus & propinquis. Tacit. de morib. German. *Dotem non vxor marito, ſed vxori maritus offert, interſunt parentes & propinqui, ac munera probant.*

Ipſe verò ſanctus Italiam expetens Monaſterium in loco nomine Bobio conſtruens. B. Columbanus poſtquam Luxovienſe Monaſterium in Gallia conſtruxiſſet, à Theodorico Rege ob pias monitiones pulſus, in Italiam tranſiens, in Alpibus Cottijs Bobienſe monaſterium ædificavit Paul. Vvarnefrid. loco modo laudat. Aimoin. libr. 3. cap. 94.

Cap. 37. *Anno duodecimo regni Theodorici, cùm Aleſaciones vbi fuerat enutritus, præcepto patris ſui Childeberti tenebat.* Aleſaciones ſunt ijdem, qui Alſacij qui paulò poſt memorantur. *Quod cum vndique Theodoricus timore perterritus, per pactionis vinculum, Alſacios ad partem Theodoberti firmavit*, Gallis *Alſace.*

Ibique Theodoricus cum Scarittis vtrumque decem millia acceſsit. Scara eſt globus ſeu cuneus lectorum militum Fredegarius ipſe infrà cap 74. *Scaram de electis viris fortibus.* Aimoin. libr. 4. cap. 26. *Anno autem decimo Dagobertus collegit lectam è Franciæ bellatoribus ſcaram, quam nos turmam vel cuneum appellare poſſumus.* Ademar. Monach. S. Eparchij in vit. Caroli M. *quod Domnus Rex Carolus audiens in Antiſſiodoro civitate, mox miſit ſcaram Franciſcam in Saxoniam ad reſiſtendum Saxonibus.*

Cap. 38. *Theodobertus expoliatus, equuſque ejus, cum ferratura rei, totumque Berthario à Theodorico conceditur.* Ferratura pro ornatu ſeu inſtrumento militari, quod ferro maximè conſtat, niſi malis legere foderatura, pro veſte regia foderata id eſt ſubſtrata pretioſis pellibus, ut legitur in cle. ult. de vit. & honeſt. cleric. & cle. nè in agro §. ſtatuimus de ſtat. Monach.

Ob quam rem Theodoricus cùm jam toti Auſtriæ dominaretur. Auſtria accipitur hic pro Auſtraſia, ut infra hoc cap. *de Auſtria & Burgundia movere præcipit*, & idem cap. 39. *Clotharius factione Arnulſi & Pipini, vel cum cæteris proceribus Auſtriam ingreditur.* Auſtraſiæ regni caput fuit Metis.

Cap. 3 *Clotharius reſpondebat, & per ſuos legatos Brunichildi mandavit, judicio Francorum electorum, quicquid procedente domino à Francis inter eoſdem judicabitur, pollicitum eſſe implere.* Cum Brunichildis Theodoricum Regem per legatos interpellaret, ut de Regno Theodoberti Germani ſui abſcederet, Theodoricus reſpondit, ſe ſtaturum judicio Francorum electorum. Ma-

jores cauſæ dirimebantur judicio Francorum, id eſt ordinum Franciæ, judicio Francorum damnatus eſt Bernardus Rex Italiæ ob conjurationem in Ludovicum P. Patruum Aimoin. libr. 4. cap. 106. *Tranſactoque quadrageſimali jejunio, paucis poſt ſanctum Paſcha diebus conjurationis auctores, ſimul & Regem judicio Francorum capitali ſententia condemnatos, luminibus tantùm juſsit orbari.* Tempore Ludovici Craſſi cauſa quæ erat inter Haimonem cognomine Variam vaccam Burbonenſem Dominum, & nepotem ex fratre Erchonbaldo diſceptata judicio Francorum poſtulante Alardo Guilebardi Bituricenſi. Suger. in ejus vita. *Alardus Guilebaldi Domino Regi humillimè ſupplicans rogat, quatenùs nobilem Baronem Haimonem nomine variam vaccam cognomine Burbonenſem dominum nepotem majoris fratris Erchonbaldi ſcilicet filium exheredantem tam præſumptuoſa audacia compeſceret, & Francorum judicio, eorum quis quid habere debeat determinauit, hic verò retento caſtro & eodem Haimone in Francia cauſæ reducto, Francorum judicio aut concordia, avunculi & nepotis litem, tam juſtiſſimè quam pijſſimè diremit.*

Burgundiæ Barones verò tam Epiſcopi, quam cæteri Leudes timentes Brunichildem. Barones ſunt regni optimates, & majores vaſſi ſeu vaſſalli Regij. Aimoin. libr. 5. cap. 50. *Barones & regni optimates complures, qui etiam Hiſpaniam perdomare ſufficerent.* VV. Nangius de geſt. S. Ludovic. *Rex nobilis communicato cum ſuis Baronibus conſilio, tertio juſſit eos ſuo Parlamento intereſſe.* Idem Fredegar. cap. 55. *Burgundiæ Barones.* Cap. 41.

Venienſque Sigebertus in Campaniam Catalaunenſem, ſuper fluvium Axonam. Campania diviſa in Rhemenſem, & Catalaunenſem. Gregor. libr. 4. cap. 17. *Childebertus autem Rex dum Clotharius contra Saxones decertaret, in Campaniam Remenſem accedit.* Idem libr. 5. cap. 19. *Meroveus verò dum in Rhemenſi Campaniâ latitaret.*

Meroveus Ingobodo Graffioni commendatur, vbi plures annos vixit. Graffiones ſunt judices ſeu præfecti pagi cujuſpiam. Fredegar. infra cap. 74. *Scaram de lectis viris fortibus, de Auſtria & Burgundiâ, cum Ducibus & Graffionibus ſecum habens.* Leo Oſtienſ. Chronic. Caſſinenſ. libr. 1. cap. 14. *Epiſcopos omnes &*

Abbates, Duceſque, & Graffiones, ac plures qui ſecum venerant, Honoratos ſubſcribere mandans. Idem Anaſtaſ. in Adriano ijſdem ferè verbis Graviones alij appellitarunt Paul. Diacon. de geſt. Longobard. libr. 5. cap.36. *Hic dum Dux eſſet, Tridentina civitate, cum Comite Bajoariorum, quem illi Grauionem dicunt.*

Clotharius cum Brunichildis ſuo conſpectui præſentaretur per triduum eam diverſis tormentis afflictam jubet priùs camelo per omnem exercitum ſedentem perducere. Brunichildis Regina, juſſu Clotharij II. ignominiæ cauſa camelo invecta per caſtra traducta. Rei damnati priuſquam ultimo ſupplicio tollerentur, camelo vel aſino traduci ſoliti. Georgius Epiſcopus Alexandrinus Arrianus à plebe cæſus, priùs camelo traductus. Epiphan. hæres 76. art. 1. Socrat. libr. 3. cap. 2. Juvenali Epiſcopo Hieroſolymitano ſua ſede pulſo à Monachis Paleſtinæ, in ejus locum intruſus Theodoſius quidam, qui Alexandriæ ob ſcelera camelo traductus fuerat. Evagr. lib. 2. cap. 5. Gomacharius Comes commotus in Leonem Agathenſem Epiſcopum ait ad eum apud Gregor. de mirac. Martyr. libr. 1. cap. 79. *Sile ſile decrepite, jam infrenatum te loris circuire vrbem ſuper aſinum faciam, vt ſis in ridiculo omnibus, qui te aſpexerint.* Brunichildis poſt hæc ad calces equi indomiti crinibus ligata, concitato equo in partes diſrupta ut narrat Fredegar. hic. Aimoin. lib. 4. cap. 1. Sigebert. in Chronic. ad ann. 618.

Cap. 44. *Exinde latente fuga Luxouium ad domum Auſtraſij Abbatis pervenit.* Euſtaſius Luxovienſis Abbas, poſt Columbanum laude ſanctitatis claruit. Sigebert in Chron. ad ann. 624.

Cap. 48. *Filij Hunorum, quos in vxores, & filias generauerant, tandem non ſufferentes malitiam ferre, & oppreſſione Hunorum dominationem negantes.* Sufferre eſt ſuſtinere tolerare, inde ſufferentia tolerantia. Tertull. 4. adverſ. Marcion. cap. 15. *Quo ſuam ſupra in benedictionibus ſufferentiam commendaret*, noſtris *ſouffrir, ſouffrance.*

Cap. 54. *Eo anno Palladius, ejus filius & Seducius Epiſcopus Toloſanus incuſante Aighynane Duce, quod rebellionis VVaſconorum fuiſſent conſcij, exilio retruduntur.* Palladius & Seducius Epiſcopus Toloſanus pater & filius accuſante Aginone Duce, quaſi

conſcij

conſcij rebellionis Vvaſconum damnati, & in exilium truſi. Sedocum vocat. Aimoin. libr. 4. cap. 14. *Eo anno Palladius quidam, ejuſque filius Sedocus Toloſatium Epiſcopus incuſante Aniano Duce, quod rebellionis VVaſconum fuiſſent conſcij, in exilium truduntur.*

Quod fratri ſuo Chariberto ad tranſigendum ad inſtar privato habitu ad vivendum potuiſſet ſufficere conceſſiſſe pagum Toloſanum, Cathorcinum, Agennenſem, Petrocoreum & Santonicum. Dagobertus Ariberto fratri Toloſanum pagum, & Aquitaniæ partem conceſſit Regino 2 Chronic. *Dagobertus Monarchiam totius imperij obtinuit, excepto quod fratri ſuo Heriberto contra Ligerim, & limitem quo traditur partibus Vaſconiæ pagum ſcilicet Toloſanum, Caturcinum Agennenſem, Petrogoricum & Sanctonicum, vel quod ab his verſus Pyræneos montes excluditur conceſſit*, quo nomine eum Regem Aquitaniæ vocitat Aimoin libr. 2. cap. 20. 25. Cap. 57.

Modo amentiæ, id eſt ad modum amentis, ſpecie amentis amenti ſimilis.

Charibertus ſedem Toloſæ eligens, regnat in parte Provinciæ Aquitaniæ. Toloſa fuit ſedes Ariberti, Aquitania ejus ditionis de quo prox. dictum eſt.

Sicharius veſtem indutus ad inſtar Sclauorum, cum ſuis ad conſpectum pervenit. Hæc erat veſtis quam Sclaviniam vocabant à Sclavis, quæ gens eo genere veſtis utebatur Cæſarius de mirac. libr. 12. cap. 40. *Tempore ſchiſmatis inter Ottonem & Philippum Reges Romanorum, peregrinus quidam de tranſmarinis veniens partibus, Sclaviniam ſuam pro vino exponens in tantum bibit.* Idem cap. 42. ejuſd. libr. *Peregrinus quidam in villa quadam moriens Sclaviniam ſuam Sacerdoti legauit.* Inde Sclavinia dicta eſt veſtis quali ſolent uti peregrini. Saxonicia pariter dicitur veſtis propria Saxonum Auguſtin. quæſt. utriuſque teſtam. cap. 127. *Numquid non tunica mediocris hominis, quamvis munda Imperatori tamen ſordida & illicita eſt, ſimiliter & Saxonicia Senatori.* Cap. 68.

Samo reſpondens jam ſaucius dixit. Id eſt offenſus verbis Sicharij legati Dagoberti Regis, ſaucius vel ſauciatus eſt, animo æger. VV. Malmesbur. de geſt. Pontific. Anglor. libr. 3. *Iam*

Theodorus in mortem vergebat, qui de peccato in Vuilfridum commiſſo ſauciatus conſcientiam, ipſum & Erconualdum Epiſcopum euocauit Londoniam.

Cap. 69. *Hujus beneficij viciſſitudine tributa, quæ Longobardi de manu publica recipiebant tria centenaria auri annis ſingulis.* Centenarium auri, eſt centenarium numorum aureorum, qui ſinguli præſtant libram auri ut infra hoc cap. exponit Fredegar. *Vnus centenarius centum libras auri capit* Gregor. de glor. Confeſſ. cap. 65. *qua ſanatâ tria ei centenariâ auri Imperator offert*, de centenarijs plura in Gregor. libr. 7. epiſt. 129. quæ hic repetere otioſum eſt.

Cap. 71. *Papiam cognomento Ticinum ciuitatem Italiæ.* Papia olim Ticinum, Regia Regum Longobardorum Paulus. VVarnefrid. de geſt. Longobard. cap. 15. *Et Ticinus quæ alio nomine Papia appellatur.* Ottho Friſingenſ. de geſt. Frideric. libr. 2. cap. 20. *Papiæ antiquum Regum Longobardorum Palatium fuit.*

Exinde Reges Francorum & Franci eſſent ingrati. Ingrati barbarè ſumptum pro non gratis, & acceptis. Franci Longobardis ſuſpecti ob potentiam, nec non Romanis & Græcis Eginart in Carol. M *Erat enim ſemper Romanis & Græcis ſuſpecta Francorum potentia, vnde & illud Græcum extat proverbium* φρανκὸν φίλον ἔχης, γείτονα οὐκ ἔχης.

Quo audito Dagobertus vt erat cupidus, exercitum in auxilium Siſinandi, totum regnum Burgundia bannire præcepit. Bannire eſt vocare ad delectum ſeu militiam, Fredegar. infr. cap. 87. *Iuſſi Sygeberti omnes Leudes Auſtraſiorum in exercitu gradiondum banniti ſunt.* Bannus eſt citatio ad militiam vel edictum quo militia indicitur, vel pœna non reſpondentis ad delectum, vel quælibet pœna pecuniaria. Abbas Vrſpergenſ. *Banum id eſt pœnam pecuniariam conſtituit.*

Cap. 74. *Sacramentum vt eorum mos erat, ſuper arma, placita pro vniuerſis Saxonibus firmant.* Solemne Jusjurandum ſuper arma. Idem Aimoin. libr. 4. cap. 26. *Hoc pactum ſacramento quidem ſuper arma, ut eis mos erat jurantibus firmatis.*

Tamen tributum Saxones quod reddere conſueuerant, præceptione Dagoberti habent indultum, quingentas vaccas inferendas

annis ſingulis à Clothario ſeniore cenſiti reddebant, quod à Dagoberto ceſſatum eſt. A Dagoberto Saxonibus remiſſum annuum vectigal quingentarum vaccarum inferendalium, ſic vocat Aimoin. libr. 4. cap. 26. *Quingentas namque vaccas inferendales à Clothario ſeniore, regiæ menſæ inferre juſſi fuerant, quæ ideò inferendales dicebantur, eo quod ſingulis inferrentur annis.* Idem Chronic. S. benigni Divionenſ. *Tamen Saxones tributum quod à Clothario ſeniore cenſiti, annis ſingulis quingentas vaccas inferendales reddere conſueuerant, præceptione Dagoberti habent indultum.*

Dagobertus Sigebertum filium ſuum in Auſtriæ regno ſublimauit, ſedemque Metis ciuitatem habere permiſit. Metis caput Regni Auſtraſiæ. Cap. 75.

Exceptis Comitibus plurimis, qui Ducem ſuper ſe non habebant. Comites parebant Ducibus, Comites enim erant præfecti ſingulorum pagorum, Duces univerſæ Provinciæ, quæ conſtabat ex pluribus pagis, & ſub ſe Comites habebant Gregor. libr. 8. cap. *Nicetius per emiſſionem Eulalij, à Comitatu Arverno ſubmotus, Ducatum à Rege expetijt, datis pro eo immenſis muneribus, & ſic in urbe Aruerna, Ruthena atque Vceticâ Dux ordinatus eſt.* Erant tamen nonnulli Comites Majores, Ducibus pares, qui ſuper ſe Ducem non habebant, ut Comes Campaniæ, Comes Toloſæ, Comes Andegavenſis & Comes Britanniæ qui poſteà Ducis nomen accepit. Gregor. ſupr. libr. 4. cap. 4. *Nam ſemper Britanni ſub Francorum poteſtate, poſt obitum Regis Clodouci fuerunt & Comites non Reges appellati ſunt.* Similiter in Hiſpania Comites erant præfecti ſingularum civitatum. Paul. Diac. de vit. P. Emeritenſ. *quoſdam Gothos nobiles genere, è quibus etiam nonnulli in quibuſdam ciuitatibus, Comites à Rege fuerant conſtituti.* Cap. 78.

Et totam VVaſconiæ patriam. Patria accipitur pro regione. Fredegar. infr. cap. 90. *Cabilono pro vtilitate patriæ tractandum menſe Maio placitum inſtituit.* Inde compatriotæ ſunt populares. Municipes Thomas Cantipratenſ. libr. 2 cap. 28. *Et quoniam mos eſt in alienis maximè terris, compatriotas ſibi inuicem congaudere.* Conterranei Plin. in præfat. natural. Hiſt. *Vt obiter emolliam Catullum conterraneum meum.*

Omnes domus eorum incenſas peculijs, & rebus expoliant. Peculium ſumitur pro pecore vel grege pecudum, idem in chronic. S. Benigni Divionenſ. *Omnes domos eorum incendijs tradunt peculijs & rebus ſpoliant.* Gregor. lib. 10. ep. 12. *in peculio capita quindecim.* Vbi dixi.

VVaſcones de intermontium rupe egreſſi, ad bellum properant. Vaſcones è jugis Pyrenei montis, quę erat antiqua eorum ſedes, varijs excurſionibus in Novempopuloniam, quæ eſt ad radicem Pyrenei tentatis, tandem eam occuparunt, & ditionem Regum Francorum jugumque admiſére, de quo ſupr. Gregor. libr. 9. cap. 7.

Sed Aremberto Duces maximè cum ſenioribus, & nobilioribus exercitus ſui, per negligentiam à Vaſconibus in valle Subola fuerunt interfecti. Vallis Subola eſt ad radicem Pyrenei, noſtris *la vallée de Soule.*

Quod audiens Iudicaele Rex Britannorum, curſu veloci Clipiacum cum multis muneribus ad Dagobertum perrexit. Judicaël Rex Britonum ſe & regnum Dagoberto & ſucceſſoribus ſubjecit. Initio Britones habuére Regulos, quorum tertius & ultimus fuit Salomon, ad quem pertinet epiſtola Joannis 8. can. hæc quippe 3. qu. 6. cujus meminit & Regino 2. Chronic. poſteà habuére Comites cap. ex tenore de foro compet. cap. accedens ut lit. non conteſtat. tandem Duces. Gregor. ſupr. libr. 4. cap. 4.

Sed tamen cum Dagoberto ad menſam vel ad prandium diſcumbere noluit, eo quod eſſet Iudacaile, religioſus & timens Deum valde. Judicaël Rex Britonum abſtinuit à menſa Dagoberti Regis, propter religionem, quæ cauſa ejus fuerit vix eſt dicere.

Anno XVI. regni ſui Dagobertus pro fluvio ventris in Spinogevillâ ſuper Sigonâ fluvio, nec procul à Pariſijs ægrotare cœpit. Sigona fluvius eſt Sequana, *c'eſt la Seine.* Idem ſupr. cap. 20. *inter Sigonam & Ligerim vſque mare Occeanum.*

His geſtis poſt paucos dies Dagobertus emiſit ſpiritum, ſepultuſque eſt in Eccleſia ſancti Dionyſij. Dagobertus condidit & dotavit Baſilicam ſancti Dionyſij in qua ſepultus eſt de quo Aimoin. libr. 4. cap. 33.

Pſallentium ibidem ad inſtar Monaſterij ſanctorum Agau-

nenſium inſtituere juſſerat. Dagobertus condito cœnobio S. Dionyſij, ibidem inſtituit pſallentium, id eſt ritum pſallendi antiphonatim ſeu diſtinctis choris monaſt. Agaunenſis, ritum pſallendi monaſt. S. Martini Turonenſ. ſancti Mauritij Agaunenſ. & S. Germani Pratenſis ibi inſtitutum refert Aimoin. libr. 4. cap. 33. *Ordinem pſallentium, vbi apud ſanctum Martinum Turonis, nec non apud ſanctum Mauricium Agaunis, & apud ſanctum Germanum Pariſios agebatur, inibi inſtituit.*

Hujus Tolganis adoleſcentiâ, omnis Hiſpaniâ more ſolito vitiatur, diverſa committens inſolentia, Latinis inſolens eſt novum & inſolitum, quaſi non ſolens M. Tullius pro Sextio. *Non ſum tam ignarus cauſarum, non tam inſolens in dicendo,* inſolentia loci pro novitate, idem pro Roſcio Amerino. *An is qui propter fori judiciorumque inſolentiam non modò ſubſellia verum etiam vrbem reformidat.* Aliàs inſolens eſt ſuperbus Papias. *Inſolens ſuperbus moribus non conveniens.* Inſolentia, protervia, arrogantia tumor. Ambroſ. in 1. ad Corinth. cap. 14. *In mulierum enim inſolentia, & mariti notantur.* Odo Cluniacenſis de vita Geraldi Comitis libr. 1. cap. 32. *Nam Reipublicæ ſtatu jam nimis turbato, regales Vaſſos inſolentia Marchionum ſibi ſubjugauerat.* Cap. 82.

Ante paucos dies Ermenfridus, Ænulfum Comitem apud Albiodorum in mallo interfecit. Idem Aimoin. libr. 4. de geſt. Franc. cap. 37. *Arnulfus Comitem apud Albiodorum in mallo interfecit.* Arnulfus Comes interfectus dum pro tribunali ſederet juris dicundi cauſa. Mallus eſt placitum ſive judicium ſeu conventus juridicus. Flodoard. Hiſt. Rhemenſ. libr. 2. cap. 18. *Reſidens VVlfarius ad ſibi definienda judicia, cum quibuſdam Comitibus in mallis publicis.* Baldric. Chronic. Cameracenſ. libr. 1. cap. 72. *Poteſtatem habeat mallum tenendi vel bannum exigendi.* Sigebert. in Chronic. ad ann. 422. *Hi quatuor proceres per tres mallos, cauſarum origines conuenientes, de ſingulis diſcutiendo, ſicut lex Salica declarat judicare decreverunt,* inde admallare in jus vocare. Marculf. libr. 3. cap. 21. *Eo quod propter ſimplicitatem ſuam, cauſas ſuas minimè poſſit proſequi vel admallare,* & Mallenſes ſunt in jus vocati litis diſceptandæ cauſa. Odo Cluniacenſ. de vit. Gerald. Comitis lib. 1. cap. 19. *In craſti-* Cap. 83.

num verò Mallenſibus, vndique ad Seniorem confluentibus jubet reum adduci.

Ermenfridus in Auſtriâ in baſilicam ſancti Remedij confugium fecit. Hæc fuit baſilica S. Remigij Rhemenſis Epiſcopi, quem Remedium vel Remigium vocant Fortunatus Flodoardus & alij veteres Scriptores. Confugium hic pro fuga. Gregor. ſupr. libr. 3. cap. 36. *Ille verò in periculo poſitum ſe cernens, confugium ab vrbe facit.* Eadem anologia alluvium pro alluvione Gregor. libr. 6. cap. 26. *Vt quia pars parva reſidebat, quæ non vallabatur à Rhodano, educta ex eo parte locus ille totus, hoc alluvio muniretur.* Colludium pro colluſione idem eod. libr. cap. 31. *Cognoſcet protinus quod hujus colludio pater ejus eſt interfectus.*

Cap. 85. *Tertiam tamen partem, de qua Dagobertus adquiſierat Nanthildis Regina recipit.* Theſauri Dagoberti Regis apud Compendium oppidum inter Sigebertum & Clodoveum fratres, ex æquis partibus diviſi, tertia ſepoſita Nanthildi Reginæ. Aimoin. libr. 4 cap. 36. *Omnis theſaurorum Dagoberti ſupellex in ſpeciebus varijs muneribuſque antea abditis prolata, ac inter fratres æqua eſt lance diviſâ, tertia parte tamen ex omnibus quæ Dagobertus adquiſierat, poſtquam Nanthildem ſibi ſociaverat ipſi Reginæ ſervata*, idem geſta Dagoberti. Moribus Francorum ſocietas quæſitorum conſtante matrimonio contrahitur inter virum & uxorem, & tertia eorum acquirebatur uxori, quæ tertia collaborationis dicitur. Capitul. libr. 4. cap. 9. *Volumus vt vxores defunctorum poſt obitum maritorum tertiam partem collaborationis, quam ſimul in beneficio conlaboraverunt accipiant.* Marculf. 1. form. cap. 17. *Sed dum in villis quibuſdam, quos pariter ſtante conjugio adquiſivimus, prædicta conjux tertiam habere potuerat.*

Cap. 86. *Otto quidam filius Vronis Domeſtici, qui Bajulus Sigeberti ab adoleſcentia fuerant.* Bajulus eſt educator regij pueri, munus graviſſimum & proximus gradus ad culmen dignitatum. Aimoin. libr. 4. cap. 38. *At vero quidam Otha Berone genitus patre, ſperabat ſe Comitem Palatij fieri poſſe, eo quod Bajulus fuerat Regis Sigeberti in ejus tenerâ ætate.* Hermarius è bajulo Ariberti Regis factus fuit Comes Palatij ejuſdem Aimoin. libr. 4. cap. 15. *Inter primores Franciæ qui convenerant, quidam Her-*

marius gubernator Palatij Ariberti filij Regis, ſimulque Bajulus à pueritia Agniano ſuper ſe irruente perimitur. Ludovico Pio regnaturo in Aquitania, à patre Bajulus impoſitus eſt Arnulfus, unus ex optimatibus. Vit. Ludovic. Pij. *Filiumque ſuum Ludovicum Regem regnaturum in Aquitaniam miſit, præponens illi Bajulum Arnoldum.* Lupus Ferrariens epiſt.64.ad Carolum R. *Non admittentur ergo à vobis monitores, quos Bajulos vulgus appellat, nè gloriam veſtram inter ſe ipſi partiantur, & meliorem amorem alienent à vobis.*

Faochatus collectis ſecum Pontificibus, & Ducibus de regnò Burgundiæ Cabilono, pro utilitate patriæ tractandum menſe Maio placitum inſtituit. Concilium Epiſcoporum & optimatum regni de rebus publicis deliberandi cauſa ſolebat convocari menſe Maio. Inertiâ defluente Regum Merovingiorum gente, concilium indicebatur quot annis in quo Rex plauſtro bobus tracto apparebat, & annua dona ſuſcipiebat, cætera verò gerebantur per Majorem domus. Annales Francor. ad ann. 751. *Sed poteſtas regni tota apud Majorem domus habebatur, excepto quod cartæ & privilegia Regis nomine ſcribebantur, & in Martis campum qui Rex ſcribebatur, plauſtro bobus trahentibus vectus, atque in loco eminente ſedens, ſemel in anno à populis viſus, publica dona ſolemniter ſibi oblata accipiebat, ſtante coram Majore domus, & quæ deinceps eo anno agenda eſſent, populis adnuntiante.* Idem Eginart. in vit. Caroli M. init. De die Concilij nempe Kalendis Maij convenit Sigebert. in Chr. ad ann. 662. *Regni potentia diſponebatur per Majores domus, Regibus ſolo nomine regnantibus quibus moris erat Kalendis Maij præſidere coram tota gente, & ſalutare & ſalutari, obſequia, & dona accipere, & rependere, & ſic ſecum vſque ad alium Maium pervenire.* Cap. 90.

VVillibaldus colligens ſecum plurimâm multitudinem de Patriciatus ſui termino. Patriciatus erat nuda dignitas, ſed in Gallia plerumque patriciatus honori, adjiciebatur præfectura cujuſpiam Provinciæ, ut obſervavi in Gregorium.

Habebatque Majorem domus Palatij, virum ſtrenuum atque ſapientem, nomine Erchualdum. Ercualdus vel Ercoaldus fuit Major domus ſub Clodovco II. idem dicitur Erconualdus vel Cap. 91.

Erconvaldus Fredegarius infr. prox. cap. *Eodem quoque tempore mortuus eſt Erchonvaldus Major domus palatij.* Hic eſt Erconvaldus quem Patricij nomine cohoneſtat Beda libr. 3. cap. 19. de S. Furſeo Hyberno. *Hic ex Anglia navigavit in Galliam, ibique à Rege Francorum Lothouvio, vel Patricio Erconualdo honorificè ſuſceptus, Monaſterium conſtruxit in loco Latiniaco nominato.*

Cap. 94. *Contra Theodoricum inſurgunt, eumque à regno deijciunt crines capitis ejus abſcindentes totonderunt.* Theodoricus Rex à Francis tonſus, & regno depoſitus. Et cum eo Ebroinus Major palatij pulſus, & ipſe tonſus, & Luxovienſe monaſterium relegatus.

Cap. 95. *Quo ingraveſcente vnum Francum nobilem nomine Bodilonem ad ſtipitem tenſum cædere contra legem præcepit.* Bodilo Francus nobilis ad ſtipitem extenſus, & virgis cæſus juſſu Childerici Regis contra legem Francorum, ex qua nobiles non cæduntur virgis quæ eſt pœna ſervilis. Grave nimis viſum eſt Clothario Regi quod à Dagoberto ejus filio adhuc vix pubere Sadregiſilus Dux Aquitaniæ ejus educationi præpoſitus flagellis cæſus, & barbæ raſione dehoneſtatus. Aimoin. libr. 4 cap. 17. & 28. & Regin. 2. Chronic.

Sigebert. in chronic. ad ann. 670. *Sanctum Leudegarium Epiſcopum crudeliſsimis tormentis cæſum gladio perimi juſsit.* Ebroinus Major domus Regiæ Theodorici Sanctum Leodegarium Epiſcopum Auguſtodunenſem varijs pœnis affectum, capite plecti juſſit, idem Aimoin. libr. 4. cap. 45. Sigebert. in Chronic. ad ann. 683. *c'eſt S. Leger.*

Eo tempore Beatus Audoenus Epiſcopus plenus virtutibus migravit ad Dominum. Anno Chriſti 696. diem obijt ſanctus Audoenus è Referendario Dagoberti Regis Rothomagenſis Epiſcopus. Resbacenſis Monaſterij fundator de quo Aimoin. libr. 4. cap. 41. Sigebert. in Chronic. *c'eſt ſaint Oüen.*

Eudo namque Dux cernens ſe ſuperatum, atque deriſum gentem perfidam Sarracenorum ad auxilium contra Carolum Principem, & gentem Francorum excitavit. Eudo Dux Aquitaniæ notatur à Fredegario, quod ab eo exciti Sarraceni

è fi-

è ſinibus Hiſpaniæ irruerint in Galliam adverſus Carolum Martellum, per id tempus Principem Francorum, ſed hoc vix credibile eſt, Eudo enim unà cum Carolo ſingularem operam navavit adverſus Sarracenes. Nec Sarraceni pepercére Eudoni, Burdegalam & Pictavum, quæ erant ditionis Eudonis vi cœpére, Eccleſias cremarunt, & magnam ſtragem populi edidére, ut fatetur Fredegar. hoc ipſo capite.

Vrbem Burdegalenſem vel caſtrum Blaviam occupavit. Eudone Duce mortuo Carolus Martellus delectu inito penetravit in Aquitaniam ad Garumnam uſque, Burdegalam urbem & caſtrum Blaviam quæ eſt arx munitiſſima Aquitaniæ armis occupavit, & univerſam regionem in poteſtatem redegit. Cap. 108.

Navali evectione properat. Id eſt navigio ſeu cum claſſe navium idem infr. *qui evaſerunt cupientes navali evectione evadere.* Idem ſupr. cap. 170. *Evectu navali per Ararim fluvium qui cognominatur Saugonna.* Gregor ſupr. libr. 4. cap. 33. *qui euntes evectu navali Conſtantinopolitanam urbem ſunt ingreſsi.* Idem libr. 3. cap. 3. *Evectu navali per mare Gallias appetunt.*

Super fluvio Byrrha, & valle Corbaria palatio. Carolus Martellus iterùm fœliciter pugnavit cum Sarracenis in Gallia Narbonenſi, ſuper Byrrha amne, valle Corbaria Eginart. in Carolo M. *Nam pater ejus Carolus, & Sarracenos Galliam occupare tentantes, duobus magnis prælijs, uno in Aquitania apud Pictavium ciuitatem, altero juxta Narbonam apud Byrrham fluuium ita deuicit, ut in Hiſpaniam eos redire compelleret.* Byrra amnis fluit per Narbonnenſe territorium malè Byrſa. Aimoin. libr. 4. cap. 57. *Super fluuium Byrram & Vallem Corbariam*, vulgò *Bere.* Vallis Corbaria eſt quæ jacet in eodem tractu, ad pedem montis cognominis, copia apum & laude mellis celeberrimi, vulgò *la montaigne de la Corbiere.* Commendatur hæc vallis Corbaria Palatio, ibi fortè Palatium Regum Gothorum, vel potiùs id nomen loco ubi primas ſedes poſuit Ataulfus Rex Gothorum, Provincia Narbonenſi potitus. Ottho Friſingenſ. 4. Chronic. 21. *Sed*

Athaulfus amore vxoris ſuæ Placidiæ, à finibus Romanorum cedit, ac in Galliјs juxta Prouinciam Narbonenſem, quam poſtmodum Vir Dei Egidius inhabitans Metropoli ex nomine ſuo, ut villa ſancti Egidij dicatur dedit, in loco qui uſque hodie Palatium Gothorum vocatur conſedit.

FINIS.

LAVS DEO HONOR ET GLORIA.

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

ABBA pater. 337
Abbates utriuſque ſexus ſubjecti Epiſcopis. 325. 347.
Abraham Abbas conditor M. S. Cyriaci in Arvernis. 59.
Abſis pars Eccleſiæ. 52. 228.
Actio furti in quadruplum. 359.
Adoptionis varij ritus. 169.
Adſultus *Aſſaut*. 304.
Adjutor Advocatus. 338.
Adulterij pœnæ. 194. 202.
Adverſarius id eſt diabolus. 372.
Ædes veterum è ligneis tabubulis. 148.
Ædificia publica quadrato lapide ſtructa. 10.
Ægri deſperati delati ad tumulum ſanctorum. 198.
Æneum olla ænea. 293.
Agatha urbs Septimaniæ. 220.
Agens actor. 237.
Agens in rebus 234.
Aginnum Nitiobrigum. 234.
Agger publicus via publica. 39.
Agaunenſe Monaſterium. 90. 389.
Agripina colonia. 239.
Altarium quid diſtet ab altari. 59.
Alezaciones Alſacij. 382.
Aloës uſus. 113.
Amuletum adverſus peſtem. 176.
Amaritudo. 328.
Analocium vicus Carnotenſis. 145
Analogium. 87.
Ambacienſis vicus. 76. 375.
Andeliacum. 331.
Anicium Velaunorum civitas 242. 240.
Aniſolæ Monaſterium. 162.
Anniverſarium pro defunctis. 91. 92.

Antiphona. 79. 307.
Apollinaris Dux. 81.
Apoſtolicus. 346.
Aqua de ſepulchro S. Martini. 182.
Aquæ Tabellicæ. 274.
Aquileia ſolo everſa ab Hunnis. 41.
Ardenna ſylva regia. 303.
Archiatri medici principis. 166
Archidiaconus individuus comes Epiſcopi. 25.
Archidiaconi varium officium 139. 321.
Archidiaconatus ad tempus. 217.
Archivum Eccleſiæ Romanæ. 252.
Aredius Abbas Lemovicenſis. 297
Arelatenſe M. virginum fundatum à Cæſario Arelatenſi E. 130.
Ariſitenſis vicus. 155.
Aribertus Regulus Aquitaniæ. 385.
Argumentum Argutia. 13.345
Arrhę ſponſalitiæ annulus calcei poculi hauſtus. 26.
Arræ ſponſalium. 142.
Aſcellæ latera Eccleſiæ vel regiæ. 52.
Attila victus in campis Catalaunicis. 141.
Atrium Eccleſiæ. 82.218
Avennica civitas Avenic. 34.
Avitus Arvernus à Senatu electus Imper. 46.
Avitus Viennenſis. E. 73.
Auguria ex volatu avium. 269.
Auguſta Tricaſtinorum. 179.
Auctoritas præceptum Regium. 341.
Auſtria Auſtraſia. 382.

B

Babylonia Syriæ ejus magnitudo. 8.
Babylonia Ægypti al. Memphis. 10.
Bachinon *un baſſin.* 339
Baiocaſſini Saxones. 184.360.
Bajulus nutritius liberorum Principis. 208. 390.
Balneorum uſus. 143.
Baltheum militare cingulum. 262.
Bannus edictum citatio. 185. 386.
Baptiſmus in die Paſchæ, & Pentecoſtes. 161.
Baptizatis nomen imponitur. 201.
Baptizati mox veſtem candidum aſſumebant. 68.
Baptiſterium in atrio Eccleſiæ. 69.
Barbari pro Paganis. 99.
Barbatoriæ. 367.
Barones Regni majores. 383.
Baſculi Baſcli. 381.
Baſilica SS. Apoſt. Petri &

Pauli Pariſijs hodie S. Genovefa. 89.
Baſilica S. Vincentij martyris Pariſ. hodie S. Germani de Pratis. 109.
Baſilica S. Aniani Aurelianenſ. 329.
Baſterna genus vehiculi. 162.
Begorra Tarba Bigeronum. 322.
Benarnum. 323. 338.
Beneficium pro feudo. 140.
Benedictio & ſalutatio Epiſcopalis in concilijs. 215.
Benedictio Abbatum. 351.
Benedictio ante cibum. 224
Bipennis genus ſecuris bellicæ. 67.
Bituriga caput regni Aquitanici. 56.
Blaſphemare. 252
Blatea tunica. 82.
Bona damnatorum læſæ maieſtatis fiſco vindicantur. 98.
Bobenſe M. 382.
Brennacum villa regia. 125. 214.
Breve id eſt formula iuramenti. 342.
BrivaCurretia vicus inLemovicibus. 257.
Brivatenſis Eccleſia exempta. 48.
Britannia minor. 114.
Britanni minores primum habuére Reges, tum Comites, tum Duces. 114
Brunichildis caſtrum
Buccellarius, Buccella. 42.
Buccus hircus. 336.
Burgundionum ditio in Gallia. 46. 73.
Burgundionum leges. 73.

C. C.

Caballus vilior equus. 233.
Caducarius 3.
Cæmenta Cæmentarij. 10
Caganus nomen Regum Hunnorum. 133.
Cainone. 169. 376.
Calumnia. 343.
Cala villa fiſcalis. 202.
Calenſe M. virginum. 202.
Camelorum uſus. 277.
Camera teſtudo templi. 50. 279.
Camerarij Concellanei Epiſcopi. 117. 245.
Camerarius Cubicularius Regis. 259.
Campania Rhemenſis. 122.
Campania latior planities. 102. 279.
Campeſtria Campeſtrati. 38. 362.
Campi lapidei. 141.
Campus locus pugnæ. 34. 361.

Capitolium etiam Toloſæ & Carthagine. 17.
Capſum pars Eccleſiæ, vel corporis humani. 50.
Capſum piſcium. 295.
Caput Arietis caſtrum. 306.
Capſa Evangeliorum. 96.
Cataplus adventus claſſis. 178.
Cancelli ſepulchrum. 229.
Cappa S. Martini. 241. 273.
Capraſius & Fides Martyres Aginnenſes. 234.
Capitulum Capitellum. 321.
Capitularium Capdaſtre. 341.
Caritas. 372
Carus amnis. 204.
Caraxare Caraxatura. 279
Caſſa fructuum. 184.
Cataracta ſuffuſio oculorum. 157.
Catenati pœnitentes. 224.
Catini lances eſcariæ. 292.
Cavea. 301
Caudices ſive Codices ſunt ſurculi vitium vel arborum. 252.
Cautio chirographum. 267
Cella pro monaſterio. 80
Cella Cellarium cuſtodia clericorum. 239
Centenarium. 178. 386.
Cereis uſi veteres pro facibus. 60.
Cerei flagrantes in baptiſmo. 70.
Charta ſeu papyrus ex Ægypto. 133.
Chriſmarium. 95.
Cibarium eſt panis. 100
Cicindela lampas. 135.
Cilicium ad cutem. 160.
Ciliciorum varius uſus. 356.
Cincinnorum fimbriæ. 105.
Circenſes ludi. 170.
Cingulis uſi veteres. 117.
Circuli loricæ. 285.
Clenus amnis. 350.
Clitellæ uſui in oppugnatio- urbium. 28.
Clodio Comatus Rex Francorum. 45.
Clypeus lanx aurea in modum clypei. 339.
Clerici tonſi. 85. 105. 275. 359.
Clerici periti literarum. 211.
Clerici inſtituti in monaſterijs. 162.
Coadjutor datus Epiſcopo cum futurâ ſucceſſione. 124. 133. 154. 204.
Codicilli Conſulatus. 32.
Codicilis honores deferuntur à Principe. 44.
Cognomen fuit quibuſdam, pleriſque nomen tantum. 264.
Collaborationis tertia. 390.
Colliſio palmarum. 312.
Colobium veſtis linea ſine manicis. 320.
Comes palatij. 178.
Comes ſtabuli. 204. 211.
Comites præerant ſingulis civitatibus. 120. 300. 387. præ-

erant juridicundo. 300.
Comites ſuper ſe ducem non habentes. 300.
Commendare deponere. 174.
Commendare ſe dicebantur, qui majoribus ſe tradebant in vaſſos. 14c. 264.
Commiſſum mandatum. 42.
Commodatum pro mutuo. 113.
Communio poſt miſſas. 164. 309.
Communio ſub utraque ſpecie, vel ſub unica. 124.
Competitor. 146.
Componere. 49.
Concædes. 43.
Compoſitio variè accipitur. 338. 254.
Concilia Provincialia coacta non ſine conſenſu Regis. 186 333.
Concilium annuum Francorum. 391.
Condatenſis vicus. 28. 316. 375.
Conditio ſtatus ſervorum. 6.
Conditionales genus ſervorum. 6
Conditio teſtamenti confertur in alium. 304.
Confluentes. 296.
Confugium pro fugâ. 390
Conjectura conjectum. 251.
Conſentaneus cōſentiens. 206.
Conſularia faſti conſulares. 45.
Conſularia ornamenta palmata Scipio calcei aurei. 82.
Convenæ unde nomen. 276.
Conventus juridici indicti certis locis & diebus. 152.
Converſus. 343.
Conjugatus electus in Epiſcopum dimittit uxorem. 24.
Corales puſulæ. 139.
Corona inſigne Patriciatus. 82.
Corona clericalis. 163.
Copiæ militum per Pagos diviſæ. 133.
Corbaria vallis. 393.
Corydalus alauda. 155.
Contum pro haſta. 80.
Cordatus. 339.
Cornua gladij. Cornua antennarum. 136.
Cortinæ vela. 68.
Corvus corvo oculum. 171.
Cottia ſylva regia. 201.
Crotta camera fornix. 312.
Cryptæ loci ſubterranei latibula fidelium. 22.
Cryptæ ſepulturæ cauſa, juxta vias publicas. 25.
Cucullus ſagi vel caſulæ capitium. 286. 300. 320.
Culmus calamus ſpicæ. 370.
Cuppa cupella. 281.
Cultura ager cultus. 167.
Curſus officium ſacrum nocturnum & diurnum, vel officium ſingularum horarum. 184. 299.
Curtis Cortis curia. 369

D.

DActili fructus palmarum 224.
Damnati ad quæſtionem extenſi ad ſtipitem. 189.
Damnatis ultimo ſuplicio non denegatur ſacra communio. 183.
Damnati ad molam. 345.
Damnati ad metallum. 346.
Damnati priuſquam ſuplicio afficerentur crimen confeſſi in Eccleſia. 371.
Declinus acclinis. 83.
Decollatio pœna capitis. 36.
Depoſitio Epiſcoporum. 179. 263.
Decimarum reſtitutio. 225.
Dedicatio Eccleſiæ vel oratorij. 233
Delegatum mandatum. 245.
Delegatum pro legato. 338.
Deſtinare deſtina. 130.
Deſcriptiones vectigalium. 188 340.
Deſperati propter metum imminentis judicij. 5
Detrahi dicitur puella quæ ſtupratur. 48.
Detruſio in Monaſterium pœnitentiæ cauſâ. 217.
Diaconi officium. 50.
Dies elevationis, & tranſlationis Sanctorum. 52.
Dies anniverſarius ordinationis Epiſcoporum. 51. 176.
Diœceſis pro Parochia. 246.
Dies ſolis dies Dominicus. 100.
Dies Dominicus colendus. 374
Directum verbum. 93.
Diviſio regni per ſortes. 126. 145.
Dolenſis vicus. 56.
Domeſticatus Domeſticus Comes Domeſticorum. 42. 230. 261.
Domnus Domna. 332.
Donatio pia per modum venditionis nummo uno vel tribus. 29.
Donatio per chartulam. 119.
Ducatus regni. 216
Duces præerant ſingulis Provincijs. 57. 222. 300. 322. præerant judicijs. 139.
Dux cæſus petebatur vulneribus ab omni exercitu. 285.
Duces primùm, tum Reges habuére Franci. 43
Duello lites dirimebantur. 33.
Dunenſe caſtrum. 264. 531.
Dynaſtiæ: 11.

E.

EChinus piſcis genus. 314.
Eccleſiæ depictæ. 55.
Eccleſiæ S. Saturnini & S. Mariæ Toloſæ. 234. 258.
Eccleſia S. Dionyſij de carcere. 198.

Elanes

Elaver amnis. 196
Elegans cultus. 807. 376.
Elementum pro aqua. 133
Electioni & ordinationi Epiſcoporum accedit adclamatio plebis. 49.
Electio per adclamationem.
Emiſſio ſuggeſtio. 117
Eparchius Recluſus. 228.
Epiſcoporũ ſimplex ſermo. 4.
Epiſcopi priores Galliarum. 15
Epiſcopi tempore Quadrageſimæ ſecedebant in eremum. 58.
Epiſcopis ſede ſuâ pulſis præſtabantur alimenta à vicinis Epiſcopis. 77. 245
Epiſcopus indulgens gratus Iudæis & hæreticis. 119.
Epiſcopi Patres plebis ſuæ. 129. 291.
Epiſcopi Galliæ notantur quod rei bellicæ ſe immiſcerent. 137.
Epiſcopi mitiùs puniuntur, in gratiam ordinis. 187.
Epiſcopi ſi ſint rei, audiuntur ſoluti, illuſtres ſedentes. 233.
Epiſcopi admiſſi ad epulas regias. 247
Epiſcoporum hoſpitium domus Eccleſiæ. 291.
Epiſcopus per injuriam exulans non amittit Epiſcopatum. 307.
Epiſcopi non debent vindicare proprias injurias. 313.
Energumeni arreptitij. 271.
Energia arreptio dæmonis 278 336.
Epiſtolæ commendatitiæ, 246
Epulæ ſuper tumulos mortuorum. 115
Epulæ ſolemnes per triduum. 276.
Epulæ inter Pagenſes diebus ſolemnibus. 288.
Epulæ tribus ferculis. 292.
Equo vehi ſolebant Reges. 224
Euchariſtiæ aſſumendæ ritus. 336. & ſeqq.
Eudo Dux Aquitaniæ. 392.
Eulogia panis qui benedictionis nomine datur. 50. 243. 254.
Eulogiæ variè acceptæ. 163. 243
Evectio publica, 344.
Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus exulat apud Albiam Civ. Occitaniæ. 36.
Excommunicati pro abſolutis habentur, ſi in conſpectum vel menſam Regis admiſſi ſint. 177.
Excommunicationis exceptio non poteſt opponi in foro ſeculari. 333
Exheredare exheredatio. 343.
Exorciſmis fugantur dæmones. 287.
Exuperius Toloſanus & alij clariores Epiſcopi Galliarum. 48.

F.

FAbula variè accipitur. 94. 214.
Facilis pro levi. 3.
Factionarij agitatores equorum Circenſium. 192.
Falarica genus teli. 344
Faldeo ſella ſtercoraria. 382.
Fanatici ſacrificuli gentilium. 18.46
Fatigatio. 91. 312.
Felix Nannetenſis E. 153.
Ferculum miſſus carnis. 292.
Ficta dolor repentinus. 156.
Fidejuſſor judicio ſiſti. 232.
Filij Regum Reges dicebantur Regum filiæ etiam velatæ Reginæ. 120.
Fiſcalini ſervi fiſcales. 249.
Fiſci res alienari non poſſunt, nè quidem in dotem filiarum Principis. 249.
Flagella crinium. 103.238
Flores & herbulæ in ornatum altarium. 259. 322.
Foderatura. 382.
Fomenta quid diſtent à medicamentis. 154.
Fontes Hiſpaniæ mirabiles. 168.
Formula pulvinar. 307.
Fortes viri nobiles genere. 305.
Francia non agnoſcit Imperium. 82.
Francis rei militaris cura tradita ſub Valentiniano. 43.
Francorum variæ ſedes. 44. 103.
Francorum Reges criniti. 44.
Franci ante Clodoveum Ethnici. 46.
Franci diſtincti à Romanis. 509.
Franci è Sicambris orti. 70.
Franci vicinis formidoloſi. 386.
Franciſca genus ſecuris bellicæ. 67.
Frigoritici. 159.
Functio tributum. 189.
Fundus pro profundo. 83
Funus ſolemne. 199. 308.

G.

GAllia clara ſtudiis liberalibus. 1. 2.
Garacharius Comes Burdegalenſis. 243.
Gazeticum vinum. 107.
Gemmæ Hiſpanicæ. 372.
Genialis Dux Vaſconum. 378.
Geſta Pilati. 12.
Geſta civilia & criminalia relata in monumenta publica. 12.
Geſta martyrum. 54.
Gleba pro fundo. 7.
Gleba corporis. 7.

Gloria tribuitur Regibus Francorum pro majeſtate. 306.
Gothorum ditio in Gallia 45.
Gothi Regicidæ. 110. & ſeq.
Gothia Septimania. 151.

H.

HAbens habentia. 114
Hæretici gladio non puniendi. 375.
Haſtula ligni lingula levigatâ in modum haſtæ. 261.
Hiſtoriæ paſſionis martyrum.

I.

JAnoba Geneva. 133. 379.
Idoneus idoneare. 181.
Jejunium per triduum. 167.
Jejunium non ſolvitur ante ſolis occaſum. 207.
Ignem adorant Perſæ. 8.
Ignis admotus confugis in Eccleſiam. 327
Igni damnati induti tunica pice & ſulfure illitâ. 372
Imprecationes Sanctorum. 16. 17.
Inceſtator. 67. 105.
Indiculus quid diſtet à ſigillo. 206.
Inferendales vaccæ tributum Saxonum. 387.
Ingratus non gratus. 336.
Ingenium aſtutia. 132 264.
Ingenui liberi nati. 119.
Graffiones judices municipales. 383.
Gregorius I. ante Pontificatum monachus. 354.
Gutteria Gutturoſus. 527.
Gynecium textrinum Regium Gyneciarij. 345.

H.

53. 54.
Hora tertia, hora ſexta. 182.
Hoſpitale noſcomium. 229.
Hoſpitius Recluſus. 224.
Hoſtis exercitus. 71.
Humilitas humiliatio. 244.

I.

Ingenui id eſt nobiles immunes à tributis. 263.
Inſcriptiones ſepulchrorū 201
Inſolens inſolentia. 389.
Inſtallatio ſolemnis Epiſcoporum & Abbatum. 89. 117. 293.
Intentio contentio. 257.
Interceſſiones Epiſcoporum pro ſervis confugientibus ad Eccleſiam. 148.
Interceſſiones Monachorum. 228.
Interdictum Eccleſiæ. 195 310.
Inventarium rerum Eccleſiæ. 217.
Joannes Apoſtolus vivus depoſitus in ſepulchro. 13.
Italia minor hodie Lombardia. 112.

Judæi ſecretum petebant ventris levandi cauſa, priuſquam ad orationem accederent. 91.
Judæi malè audiunt de fœtore corporis. 161.
Judæi negotiatores. 382
Judicium Francorum in Gallia. 226.
Juniores. 97
Juniores Eccleſiæ Junioratus. 186.

K.

Kyrie eleiſon. 355.

L.

LAïci expertes literarum. 211.
Laïci non audiuntur adverſus Epiſcopum. 215.
Lamiæ infeſtæ pueris 248
Lapſus piſcium. 144.
Lapurde. *Lourde.* 332.
Larvæ Talamacæ. 335.
Laſciæ licia. 128.
Laticinum vinum album. 107.
Lateralia viatoria. 101
Largitiones. 82.
Laudunum clavatum. 222.
Laus profeſſio fidei. 86.
Laus adclamatio. 231.
Lectio inter epulas. 166.
Lectulus B. Martini. 28.
Legati à latere. 123.
Lemane pars ima Arvernorum. 94.
Lepræ maculæ veſtium. 235.

Juliani Martyris Baſilica apud Brivatenſem vicum. 27.
Juris Romani periti Galli. 127.
Juſcellum vas eſcarium. 172.
Juſjurandum poſita manu ſuper altare vel tacta palla altaris. 97. 142. vel levatâ manu. 172., 240. 299. 300.
Juſjurandum per plures ædes ſacras. 280.
Jus jurandum ſuper arma. 386.

L.

Leudes vaſſi fideles. 86.
Letania ſeptiformis. 335.
Levior levatus. 241.
Libellare Libellarium. 141.
Libera cuſtodia. 213.
Liberi ſequuntur patrem. 181.
Libertates Eccleſiæ tuendæ. 171.
Liger flu. 197.
Lintres naviculæ fluviatiles. 288.
Limbus veſtis regia. 174.
Lites inter Reges componuntur in conciliis Epiſcoporum. 144.
Logium rationale. 87. 205.
Lotio corporum defunctorum. 39.
Lotis manibus diſcumbebant veteres. 223.
Lugdunum illuſtrata ſanguine Martyrum. 12.
Lugdunenſis Eccleſia. 12.

Lues inguinaria. 354.
Luxovienſe M 381

M.

MAceria paries ſtructus ſine calce & arenâ. 227.
Mactare *Matter.* 250.
Maculæ bullæ catenarum. 285.
Maforte. 366.
Magnulfus Toloſanus E. 268.
Majus Monaſterium. 270. 375.
Majores vel ſeniores optimates Regni. 275.
Mala hora bonâ horâ. 250.
Malum omen. 250.
Malſones capillorum. 105.
Manus injectio. 344.
Manumiſſio per chartulam. 338.
Mallus judicium. 389.
Manus poſt tergum vinctæ.
Martyres Lugdunenſes. 14.
Martyribus pœna capitis remiſſa nè colerentur pro martyribus. 36.
Martyres quid diſtent à Confeſſoribus. 36.
Martyrium oratorium ſacrum Martyri, Martyrarius æditus ejuſdem oratorij. 118.
Martini gratia minor poſt Epiſcopatum. 23.
Martinus bonus in auxilio, carus in negotio D. Clodovei. 81.
Martini duo diſcipuli Martini Turonenſis Epiſcopi. 257.
Lychni ardentes ad ſepulchra Sanctorum. 132.

M.

Martini oratorium Pariſijs. 311.
Martinus Gallicienſis Epiſcopus. 200.
Martius primus menſis anni. 152. 311.
Maſſæ fermentatæ. 209.
Maſſylia emporium Galliæ. 336
Matricula Eccleſiæ Matricularij. 186. 276. 271.
Matutinæ & aliæ horæ Canonicæ. 41. 59. 175. 181. 266. 317.
Mauriana urbs Sabaudiæ. 379.
Maxentius Abbas Pictavienſis 80.
Medici Judæi. 157.
Meduana. 360.
Meliores optimates. 18.
Melitenſe M. 159.
Menſa Canonicorum. 376
Metidiano. 85.
Metà annonæ, fœni. 148.
Melidunum. 242.
Mimate vicus Gabalorum. 22. 23. 246.
Miniſteria ſunt vaſa ſacra. 145.
Minores plebei. 96.
Migratio populi ad alias Provincias ob onera vectigalium. 188.
Miſſa S. Martini. 289
Miſſa de Dominica. 294

Miſſorium. 222.
Miſſas quotidie celebrare ſolebant Epiſcopi & Presbyteri. 33.
Miſſæ pro Miſſæ ſacrificio. 33.
Miſſi à latere. 120.
Miſſi dominici. 218.
Miſſi dominici Epiſcopi & Comites. 305.
Molina mola aquæ. 106.
Monachi ad militiam coacti. 24.
Monachi tonſi. 225 374
Monachæ non erant tonſæ ad cutem ſaltem regiæ puellæ. 369.
Monaſteria Ægypti. 9.
Monaſt. S. Martini de Lata. 145.
Monaſteria virginvm nè locentur juxta monaſteria virorum. 342
Monaſteria ſub Mundeburde regio. 349.
Morganegiba domum matutinale. 235. 306. 333.
Morini hodie Flandri, 177.
Moriones. 350.
Mulieres lugent maritos per annum in nigra veſte. 100.
Muſcipula. 337.
Muſivum opus Muſivarli. 21.
Muſſitare. 288.
Mutilatio membrorum corporis pœna perduellionis. 177.

N.

Narbonenſis Provincia diſtincta ab Arelatenſi ſeu Maſſilienſi. 328.
Nobiles virgis non cæduntur. 391.
Notarij ſcribæ amanvenſes. 370.
Novigentum duplex. 220
Numiſma pro nummo. 138.
Nummi cuſi imagine principis. 221.
Nummi ſolebant obſignari cuſtodiæ causâ. 257.
Nuptiæ ex reſcripto Principis. 142. 243.
Nuptiæ liberorum Principis abſque conſenſu patris damnatæ. 148.
Nuptialia dona. 250

O.

Oblata oblationes. 381.
Oblata dijs probabantur. 381.
Oblatæ panes qui altari offerebantur ad conficiendum corpus Domini. 266
Obſervatio judicij uſque ad ſolis occaſum. 267.

Obſervantes clerici poſiti in oratorijs privatis. 356.
Obſides fide fractâ in ſervitutem rediguntur. 98.
Officia Palatina ad tempus. 261.
Oleum benedictum prodeſt curationibus. 80. 227.
Orarium & ſtola inſignia clericorum. 162.
Oratio plebis pro martyribus, & Epiſcopis. 35.
Oratio flexis genibus, vel humi proſtrato corpore. 75. 296.
Orantes ſtantes die Dominica & à Paſcha ad Pentecoſten. 75.
Oratorium ædes ſacra Monachorum. 237.
Oratoria privata. 356.
Orca amphora olei vel liquoris, 139.
Orbita. 92.
Ordinatio Epiſcoporum Galliæ ex præcepto Regio. 8. 222. 246. 274. 302.
Ordines ſacri longo interſtitio collati. 316. 236.
Oſculum manuum Epiſcoporum. 31.
Oſculum ſalutationis cauſa. 226. 313.
Oſculum reliquiarum SS. 374.
Oſculum pacis ſignum communionis fidelium. 248

P.

PActum pacis jurejurando ſancitum. 222. 255.
Pagenſes 283. 390
Palladij gens nobiliſſima. 136.
Palla pallium ſepulchri. 212. 258.
Palmites vitium 320.
Papia Regia Longobardorum 386.
Papæ appellatione veniunt Epiſcopi. 66
Papilio tentorium. 141.
Parentes pro cognatis. 65.
Pariſius Regia Francorum Regum. 83.
Paranymphus. 251
Paſſio Martyrum. 4.
Paſtellum Paſtillarius. 210
Patella eſt patella quæ ſuperponitur Calici. 95.
Patria regio. 72. 388.
Patriciatus honor junctus præfecturæ Provinciæ. 126.
Patriarcha pro Primate. 180.
Patulum pervium. 95
Pavor metus puerilis. 312.
Peccator peccatrix. 380.
Pedibulum 102.
Pedules calcei. 102.
Penſio annua ſtatuta Epiſcopis depoſitis. 304

Penſiles domus penſiles horti 380.
Peregrinatio frequens ad limina Apoſtolorum. 37. 226.
Perſecutio in Epiſcopos, & Presbyteros. 20
Perjurio decipitur ſapiens. 217
Pharus. 79.
Piſtillum & cophinus. 209
Placitum. 288.
Phalanga turma militaris. 278.
Podagra vix incidit in fœminas. 36.
Polyeuctus Martyr vindex perjurij. 251.
Pœna interfectorum Epiſcopi. 200.
Pœna furti laqueus. 228
Pœna Sagarum. 244
Pœnæ pecuniariæ. 254.
Pœna non reſpondentis ad delectum. 276. 246.
Pœna reorum majeſtatis porrigitur ad propinquos. 25.
Pœnitentiæ ſignum tunſio pectoris. 148.
Pœnitentes tonſi. 241. 302.
Pœnitentes veſtem mutabant. 342.
Pontigone villa regia. 126.
Pontificum munus annales ſcribere. 3.
Poſtica. 369.
Petrocorium olim Veſunna. 234.
Prępoſitus monaſterij. 227. 364
Præſidium pecunia domi ſe poſita. 332.
Præſtitum pro mutuo. 113.
Præſumere per vim ſumere. 77.
Præda capta ab hoſtibus quo pacto dividatur. 66.
Preces pro Principe. 256.
Preces ſuper tumulis defunctorum. 362.
Preces Paganorum dictante Pontifice. 256.
Pretioſitas. 324.
Primicerius præcentor Eccleſiæ. 78.
Principalis. 346.
Privatus Gabalorum Epiſcopus & Martyr. 21.
Probatio partus legitimi per teſtes. 294.
Probus. 380
Proceſſiones ſolemnes in diebus feſtis cum crucibus, & banerijs. 551.
Proceſſus Imperatoris in Circum imperij auſpicandi causâ. 191.
Proceſſus Imperatoris ad baſilicam Petri. 191
Profeſſio confeſſio ultronea. 203.
Profeſſio fidei. 5.
Profeſſio fidei Nicenæ. 6
Profeſſio fidei publica requiritur. 73.
Pſallentium concentus pſalmorum. 29. 389.
Promptus

Promptuarium cella penuaria. 147.
Proprium alodium. 102.
Provincia 229. 329.
Provocatus promotus. 210.
Puer pro ſervulo. 34.
Pueri ſtantes coram dominis. 148.
Pulmentum obſonium. 100.
Pulpitum domus. 316.
Purgatio innocentiæ. 32. 194. 215.
Purgatio per monomachiam. 269.
Purgatio quintâ ſeptimâ, aut duodecima manu. 314.
Pythoniſſa pythonici. 166. 287.

Q.

QUadrigati genus nummi. 221.
Quæſtio de die Paſchatis. 168.
Quaſi id eſt ferè. 235.
Quaſſatio fuſtium cæſio. 23.
Quinquennalia & decennalia Epiſcoporum. 269. 313.
Quintianus RuthenenſisEpiſcopus. 76.

R.

RAdegundis Regina Fundatrix M. S. Crucis, apud Pictavum ſub regula S. Cæſarij Arelarenſis E. 93. 345.
Ragnemodus Pariſienſis Epiſcopus. 165.
Rebaptizatio apud Vvandalos & Donatiſtas. 35.
Recluſi genus Monachorum aut pœnitentium. 159.
Recurſus ad Principem. 196.
Redemptio reorum vel ſervorum ſumptu Eccleſiæ. 289.
Referendarius cuſtos regij ſigilli. 149.
Reges Francorum ſuccedunt ex genere. 87. 277.
Reges Francorum comam alebant. 103.
Reges fratres inter ſe. 76
Reges non habendi pro impuberibus. 276.
Regum injuriæ diſſimulandæ. 260.
Reginæ habebant proprium fiſcum. 250.
Reginæ habebant majores officiales. 252.
Regina non tenetur legibus. 259.
Reginæ dictæ filiæ Regum etiam moniales. 349.
Regum iudex ſolus Deus. 172.
Regiæ majores portæ Eccleſiæ. 14.
Regius morbus. 228.
Regeſta archiva. 230. 324.

Religioſæ veſtem mutabant. 67.

Regnovaldus Dux Aquitaniæ 254.

Regulæ variæ monaſteriorum. 254.

Relicta. 413.

Rei coram judice abſque cingulo. 323.

Reliqua vectigalium remiſſa Eccleſijs. 108. 197.

Reliqua vectigalium remiſſa ob natalem Principis. 213.

Reliquiæ SS. lipſana & pignora dicuntur. 40.

Reliquiæ SS. geſtari ſolitæ in ſolemnibus litis. 109. 240. 273.

Reliquiæ SS. depoſitæ in capſula 295. 598.

Remedium animæ. 337.

Remigius Rhemenſis Epiſcopus facundus. 70.

Renatus Frigeridus Hiſtoricus. 42.

Res mancipi ſunt quæ ſunt in alode. 102

Reſcripta muniuntur ſubſcriptione Referendarij. 362. 370.

Reſtitutio Epiſcoporum per ſedem Apoſtolicam. 33. 180.

Reſultare. 364.

Ridiculum. 97. 369.

Rogationes inſtitutæ à Mamerco Viennenſi Epiſcopo 75. & à Gallo Epiſcopo Arvernorum. 115.

Rogationes inſtitutæ peſtis causâ. 334.

Romani dicti omnes Provinciales. 45.

Romani pro Orthodoxis. 99.

Romei Romipetæ. 37.

Rotæ pœna antiquior in Gallia. 177.

Rudis imperitus. 143.

Ruſtica Romana lingua. 3. 290.

S.

SAcrarium Sacriſtia. 294.

Sagittare. 77.

Sagona flu. olim Arar. 145.

Salutatorium Epiſcopium. 57. 265.

Sarſurium opus id eſt tectorium. 53.

Saucius ſanguine. 153.

Saxonicia veſtis Saxonum. 245.

Saxones infeſti littori Saxonico. 56.

Scalonum vinum. Scalona. 106.

Scara turma militum. 382.

Scapha navicula. 312.

Sciſſio veſtium pœnæ genus. 176.

Scholæ Palatinæ Scholæ Epiſcopi, Schola Cantorum. 176.

Scholæ Auguſtodunenſes & Maſſylienſes. 2
Schola cœtus conſpiratorum. 364.
Scholæ inſtitutæ in ſingulis Eccleſijs Epiſcopalibus. 244
Sclavinia veſtis Sclavorum. 385.
Scramaſaxi breves gladioli. 146.
Scutum & Framea 101.
Seceſſus latrina. 60.
Seceſſus Epiſcoporum & Monachorum. 316.
Secretarium Eccleſiæ. 171
Sectio Epiſcopatus vetita. 264
Securitas profeſſio ſolutionis. 388.
Sedes Apoſtolica. 129.
Securus. 16.
Sedentes veſcebantur Galli. 329.
Sedulius Poëta Chriſtianus. 206
Senatores Galliarum. 19.
Sententia in cauſis Eccleſiaſticis non priùs fertur quàm lectis Canonibus. 342. 371.
Septa domus. 144.
Sepulchrum duorum Amantum. 27
Sepulturæ juxta vias publicas. 39. intra vel extra Eccleſiam. 316
Sepulturæ fidelium juxta tumulos Martyrum. 47.
Sepultura denegatur his qui ſibi mortem conſciverunt. 137.
Servi quando deſiere eſſe in Galliâ. 99.
Servi fugitivi ſtigmatis notati. 216.
Servientes quid diſtent à militibus. 203
Sidonius ex præfecto urbi Arvernenſis Epiſcopus. 19.
Sigillum ſolidorum 257
Sigilla parvula ſigna Deorum. 298
Signi crucis virtutes. 36. 58. 225.
Signum crucis. 290.
Signum crucis nè ſculpatur in ſolo. 178.
Signum crucis uſu frequens. 284.
Signum militare buccinâ datur. 72.
Signa campanæ. 231.
Sigona Sequana. 388.
Simonia exploſa à Guntrano Rege. 247.
Solarium projectum ædium 27. 363
Solatium pro ope & auxilio. 249. 352.
Solemnia inaugurationes Imperatoris. 191. 231.
Solemnis ingreſſus Principis vel Epiſcopi in civitatem. 290.
Soles plures viſi in cœlo. 135.
Sortes biblicæ ſortes virgilia-

næ, ſortes per libellos poſitos ſuper altare, 78.
Sortilegi ſunt fori Epiſcopalis. 287.
Spaniſca veſtis Hiſpanica. 372.
Species ſunt res quæ conſiſtunt in pondere numero & menſurâ. 119. 333,
Spiculum aquæductus. 72.
Spatula ſpalla. 137
Spoliatio veſtis & balthei. 213. 261.
Spolium. 41. 341.
Sponſalitia dona. 333.
Stadium. 8.
Staplone villa Regienſis agri. 138.
Statuncula parvula ſtatua.
Stragula veſtis varia. 344.
Stratesburgus olim Argentoratum. 345.
Stylitæ Monachorum genus. 298.
Studere curare. 268.
Subſcriptiones optimatum præceptis Regijs. 239.
Sudarium. 363.
Sufferre ſufferentia. 384.
Sugillare. 108 132.
Sulpitius Severus Aquitanus. 9.
Sulpitius Alexander hiſtoricus. 42.
Suſpectus pro ſuſpicionem habens. 40.
Superventum. 114
Suſceptus Suſceptor. 175.
Syndon pallium lineum 320.
Syri horrea Ægyptia, horum ſpecies. 16
Syri negotiatores in Gallia. 223. 473.
Syriaca lingua vernacula apud Judæos tempore Chriſti. 290.

U.

Vah verbum imprecantis. 125.
Vale dicere. 218.
Valentia. 380.
Vandali Africam occupant. 35.
Vaſa ſacra diſtrahi poſſunt certis cauſis. 268.
Vaſconia olim Novempopulonia. 235. 223.
Vaſcones domiti. 378.
Vaſſo templum Mercurij apud Arvernos. 20.
Vectigal ob tranſitum exercitus. 77.
Vectigalia remiſſa Turonibus in gratiam D. Martini. 77. 340.
Vectigalia exacta in fructibus 184.
Vela ad fores. 60. 61.
Venatio canum, & accipitraria ſtudium gentilitium Francorum. 167. 360.
Venari in ſylva regia capi-

tale. 361.
Ventoſæ cucurbitulæ. 157.
Vermiculatæ, veſtes, Vermiculata emblemata. 380.
Veſtis alba propria clericorum. 139.
Veſtiti ſepulti. 145
Ugernum caſtrum Arelatenſe. 306.
Vicarius Comitis. 356.
Vicariæ epiſtolæ. 351.
Victoriacum caſtrum. 97.
Victorius Dux 57
Victorinus Aquitanus. 6.
Vicinonia amnis. 184.
Vicus Julienſis. 274.
Viduæ devotionis cauſa veſtem mutabant. 31.
Vigenna amnis. 29.
Vigiliæ non ſine jejunio. 49. 297.
Vinum damnatorum, vinum myrhatum. 305.
Vinum abſynthiacum. 308.
Viſitatio Diæceſis munus Epiſcopi. 156.
Vincti inter duos cuſtodes. 214.
Vincti ſoluti meritis Sanctorum. 310. 311.
Vincti ſoluti ob natalem Principis. 238.
Vindiciæ corporis D. Martini 28.
Vincentius Aginnenſis Martyr. 277.
Virdunenſes negotiatores. 115.
Virga inſigne Epiſcoporum. 156.
Virgæ ſacræ inſignia legatorum. 275
Virgâ fit coërcitio ſervorum. 289.
Virgo ſemel Deo dicata non debet prævaricari. 244.
Vitta corona nubentium. 267.
Umbones capillorum. 104.
Unctio infirmorum. 26
Unguen pro Unguento. 35.
Vivario *Viviers*. 372.
Volucrum pro involucrum.
Voluſianus E. Turonenſ. martyrium paſſus in Pago Fuxenſi. 65.
Vota ſunt res ex voto oblatæ. 105.
Votum Saxonum. 168.
VVillecarius Dux Aquitaniæ. 122.
Ultrogotha uxor Childeberti R. cum eo fundavit Lugdunenſe Xenodochium. 124
VVlcaſſinus pagus feudum. M. S. Dionyſij. 23.
Vulpecula canis convicij genus. 293.

Z.

ZOroaſtes auctor idololatriæ. 80

ERRATA,

37 HOrtenſius Hortenſium. 20. Alexaudro, Alexandro 24. Athanis, Athanais. 25 publianum, publicum. 29. Regatis, Regalis. 33 .ſingulari, ſingulari pugnâ. 36 crueis crucis 46. dicat, indicat. 48. Brivalenſem, Brivatenſem, 54. deniquo, denique, 56. traditis, tradidit. 57. Camponiæ, Campaniæ. 57: ἀσπαςικὸν, ἀσπαςικὸν τω, τῶ. 72. obſtendentes, obſidentes. 74. Ediſcopo, Epiſcopo. 76. reſtibus, precibus. 79. 3. 83. Gunchramnus, Guntchramnus. 64. diteptium, direptum. 67. Cendualla, Ceadvalla. 102. pedibnlum, pedibulum. 103. Heliogobalo, Heliogabalo. 122. ſupr. ſuper. 137. Ebrodunum, Ebredunum. 156. Epiſcopum, Epiſcoporum. 161. Synagogum, ſynagogam. 164. imbletur, impletur. 166. continuatio, continuato. 179. jus ſit, juſſit. 198. præficere, proficere. 200. Nartinus, Martinus. Decalatio decalvatio. 201, 209. 2. 209. Domitatum, Comitatum. 216. Tracleam, Trocleam. 218. oculis, oſculis. 232. Chiiuricum, Chilpericum. 246. diœciſi, diœceſi. 245 λαμπάδων λαμπάδων. 16. παμνύχοις παννύχοις. 316. τριςίγυ, τριςέγυ. 320. terrenam ortificatos, terrena mortificatos. 345. ua, ſuâ. 354. pæſtis, peſtis. 351. Baronies, Baronius. 356. quomdem, quondam. 360. veſtes, veſtis. ritu, ritus. 362. Eugeltrudis Engeltrudis. 362 Andoveo, Audovero. 372. hinc. 375. aute, ante. 372. lacedomonijs, lacedemonijs.

~~14. G. 55.~~
6. B. 13